# F. GREGORIUS CANALIUS

## S. T. D. AC HUMILIS

## *PRIOR GENERALIS*

## CARMELITARUM

*Dilectis nobis in Chriſto RR. PP. Provincialibus, Prioribus, Magiſtris, cæteriſque Patribus, Fratribus, & Sororibus ejuſdem Ordinis, utramque fœlicitatem in Domino exoptat.*

NEcesse eſt leges hominibus ponere, ut ſecundum legem vivant. Nam ſi abſque his viverent, nihilo a feris atrociſſimis diſcreparent: Inquit Plato. Quod quidem potiori jure in Illuſtriori Republica exigitur, quod enim ſplendidior, & pulchrior, eo majori ratione leges ad ſui conſervationem, & decorem expoſtulat. Quemadmodum enim naturale corpus, dum inanime redditur, propria tunc vita deſtituitur, agendique virtute, & omni decore, ac venuſtate privatur, cadaveriſque miſeram conditionem ſubiens, omnino tandem corrumpitur: ita Reipublicæ myſticum corpus, legibus deſtitutum, vita caret, orbatur pul-

*Plat. 9. de leg.*

chritudine, bene, recteque operandi virtute deperdita, in varia, & inutilia ſtudia ſcinditur, diſſolvitur, ac proinde nedum corruptioni obnoxium redditur, ſed ipſam corruptionem, mortemque induit. Quapropter rationi ſemper conſentaneum, imo neceſſarium apud Rerumpublicarum Rectores fuit, ut commiſſam ſibi Univerſitatem variis inſtitutis, legibus, ac præceptis fulcirent, ac veluti munitione vallarent.

Quo ſpiritu ducti antiqui noſtri Patres, in noſtroque munere Anteceſſores Gen. hoc in primis labore Religioni noſtræ conſulendum eſſe putarunt, ut quas leges, ſeu Conſtitutiones ipſi proficuas, & neceſſarias crederent, eas unico volumine per partes, claſſes, capitaque diſtinctas, toti Ordini obſervandas proponerent. Sic Reverendiſſimus Magiſter Jo. Balliſtarius anno 1369. fecit. Illum Ven. Magiſter Jo: Soreth anno 1466. fuit imitatus. Eumdem etiam illuſtravit laborem Reverendiſſimus quoque Magiſter Nicolaus Audet anno 1524. Ac tandem Rmus Magiſter Jo: Baptiſta Caffardus de Senis anno 1586. eaſdem Leges, ſeu Conſtitutiones ad normam Sac. Conc. Tridentini redactas in unum volumen copulari fecit.

Cum vero a Patribus noſtri Capituli Generalis anno tranſacto Jubilei in hac Alma Urbe celebrati, animadverſum fuerit in prædictis Conſtitutionibus (etſi non parvo ſtudio a noſtris Præ-

deceſ-

deceſſoribus elaboratis ) multa reperiri, quæ cum aliis cohærere non apparebant, ſubobſcura quædam, alia pro his temporis circumſtantiis non multum neceſſaria, omittique alia, quæ pro præſenti ſtatu congruentiora videbantur. Quibus etiam adjungi oportebat nova quædam a Summis Pontificibus Clemente VIII. & S. D. N. Urbano VIII. circa reformationem omnium Regularium Decreta edita. Ea propter in ipſo Capitulo, annuente præcipue Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Card. Millino Ordinis Protectore, Capitulique Præſide, ſtatutum fuit, ut prædictæ Conſtitutiones, nova lima, novaque norma reſtitutæ, majori correctione, explicatione, recognitioneque typis mandarentur, totique Religioni obſervandæ darentur. Cumque ad id munus nobiſcum ſubeundum graves, & doctos noſtræ Familiæ Patres, videlicet Admodum R. P. Magiſtrum Jo: Stephanum Barberi Procuratorem Gen. Ordinis, & RR. PP. Mag. Theodorum Stratium Provincialem Hiberniæ, Dominicum Campanellam Daciæ Provincialem, & Tranſpontinæ Priorem, Julium Frattam Ariminen. Conventus Priorem, & Jo: Baptiſtam de Lezana Tranſpontinæ Regentem, jungeremus; ipſique non mediocri cura injunctam ſibi Provinciam cœpiſſent, hoc Conſtitutionum noſtrarum volumen juxta præſcriptum Capituli Gen. Decretum, recognitum, cor-

rectum,

rectum, explicatum, ſimulque Summorum Pontificum Decretis auctum, toti noſtræ Religioni offerendum, & intimandum decrevimus, atque ut facile ad omnium manus devenire poſſit, typis recudendum mandavimus, ut & præſenti noſtro Decreto mandamus.

Vos igitur RR. PP. Provinciales, Priores, Magiſtros, cæteroſque noſtræ Sacræ Religionis Patres, Fratres, & Sorores, quos omnes in Domino cordialiter diligimus, charitatiſque viſceribus amplexamur; Auctoritate noſtra, zelo ſalutis animarum veſtrarum permoti, ad harum Conſtitutionum obſervantiam adhortamur, & quoad poſſumus, ad ipſarum cuſtodiam aſtringimus. Hac via anguſtam Cælorum portam intrandam, arctamque Paradiſi ſemitam ambulandam putetis. Hoc jugum Domini ſuave, onuſque leve humeris veſtris imponite. Hoc tramite perfectionis apicem, vobis ex profeſſione veſtra neceſſario exquirendum, perventuros credatis. Decreta iſta vobis fore ſalutifera, toti Religioni congrua, Eccleſiæ proficua, Deique gloriam, & honorem redolentia non dubitetis. Quæ Moyſes quondam populo
*Deuter.* 32. Dei, hæc nos vobis. Implete univerſa, quæ ſcripta ſunt legis hujus, quia non incaſſum præcepta ſunt vobis, ſed ut ſinguli in eis vivatis. Faxit Deus. Felices in Domino gaudete. Datum Romæ in noſtro Carmelo Tranſpontinæ die 12. Julii anno 1626.

IN-

# INDEX CAPITUM HARUM CONSTITUTIONUM

Capita primæ Partis.

Cap. 1. *Qualiter reſpondendum ſit quærentibus, quando, aut quomodo Ordo noſter ſumpſit exordium: Et quare dicamur Fratres Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli.* Pag. 1
Cap. 2. *De receptione Locorum.* 2
Cap. 3. *De Officio Divino.* 6
Cap. 4. *De jejunio, & comeſtione Fratrum.* 11
Cap. 5. *De ſilentio, & locutione Fratrum.* 14
Cap. 6. *De dormitione Fratrum, & manſione in cellis.* 15
Cap. 7. *De honeſtate extra Monaſterium ſervanda.* 16
Cap. 8. *De minutione, & raſuris, atque balneis Fratrum prohibitis.* 19
Cap. 9. *De hoſpitibus, & itinerantibus.* ibid.
Cap. 10. *De Confeſſionibus, & Prædicationibus.* 23
Cap. 11. *De Communione Fratrum.* 26
Cap. 12. *De veſtimentis, & calceamentis Fratrum.* 27
Cap. 13. *De receptione, & probatione Novitiorum.* 29
Cap. 14. *De inſtructione Novitiorum.* 32

Cap 15.

Cap. 15. *De Profeſſis.* 33
Cap. 16. *De Laicis, Semifratribus, & labore Fratrum.* 36
Cap. 17. *De Studiis, & Studentibus in generali.* 37
Cap. 18. *De Studiis ſpecialibus.* 40
Cap. 19. *De prærogativis Graduatorum.* 43
Cap. 20. *De Fratribus infirmis, & eorum cuſtodia.* 46
Cap. 21. *De Fratribus decedentibus, & ſuffragiis pro eiſdem faciendis.* 48
Cap. 22. *De diſpoſitione librorum, & aliorum bonorum defunctorum Fratrum habentium communem adminiſtrationem in Ordine.* 49
Cap. 23. *De Sigillis, & literis.* 50

Capita ſecundæ Partis.

Cap. 1. D*E officio Prioris Gen.* 52
Cap. 2. *De officio Prioris Provincialis.* 58
Cap. 3. *De officio Prioris Localis.* 63
Cap. 4. *De Vicariis, & Commiſſariis Gen.* 66
Cap. 5. *De Viſitatoribus, & eorum receptione.* 68
Cap. 6. *De modo, & forma viſitandi.* 71
Cap. 7. *De ſolemni receptione Magiſtri G. Ordinis.* 75
Cap. 8. *De officio Subprioris.* 77
Cap. 9. *De officio Sacriſtæ.* 78
Cap. 10. *De officio trium Clavariorum.* 80
Cap. 11. *De communi cuſtodia bonorum.* 81
Cap. 12. *De Libraria, & cuſtodia librorum.* 82

Capita tertiæ Partis.

Cap. 1. DE apoſtatis, & vage diſcurrentibus. 84
Cap. 2. De inobedientibus, contumacibus, ſeu rebellibus, & uſurpantibus officia Majorum, & Prælatos, vel Principes contra Superiores excitantibus. 87
Cap. 3. De appellationibus, & eis adhærentibus. 89
Cap. 4. De conſpiratoribus, & colligationem facientibus. ibid.
Cap. 5. De recurrentibus ad ſæculares pro ſua promotione, aut defectuum purgatione. 90
Cap. 6. De dantibus operam ſtudiis, artibus, & ludis probibitis. 93
Cap. 7. De lapſis in peccatum carnis. 95
Cap. 8. De diffamantibus, & convitioſis. 96
Cap. 9. De diviſionibus, & partialitatibus cavendis, & de purgationibus diffamatorum. 98
Cap. 10. De minantibus, percutientibus, & arma tenentibus. 99
Cap. 11. De Proprietariis. 101
Cap. 12. De Monialibus. 103

Capita quartæ Partis.

Cap. 1. DE Capitulo Gen. & ejus Præſidente, & qui poſſunt intereſſe. 109
Cap. 2. Quid agendum ſit, abſente Priore Gen. 111
Cap. 3. Quid agendum ſit, mortuo Priore Gen. aſſumpto, vel amoto. ibid.
Cap. 4. De modo celebrandi Generale Capitulum. 112

Cap. 5. *Quid agendum ſit, præſente Priore Generali.* 113
Cap. 6. *De electione Prioris Gen.* 114
Cap. 7. *De Diffinitorio ipſius Capituli Gen.* 116
Cap. 8. *De publicatione, & litteris, ac ſigillatione actorum Capituli Gen.* ibid.
Cap. 9. *De terminatione ipſius Gen. Capituli.* 118
Cap. 10. *Quando, & de quibus Capitulum Provinciale eſt celebrandum.* 120
Cap. 11. *De forma celebrandi Capitulum Provinciale.* 121
Cap. 12. *Quid agendum ſit, Provinciali abſente, mortuo, vel aſſumpto.* 123
Cap. 13. *De electione Diffinitorum.* ibid.
Cap. 14. *De culpa Prioris Provincialis facienda.* 124
Cap. 15. *De electione Provincialis.* ibid.
Cap. 16. *De electione Sociorum Provincialis ituri ad Gen. Capitulum, & Diffinitoris.* 126
Cap. 17. *Litteræ Sociorum iturorum ad Capitulum Gen.* 127
Cap. 18. *De electione Vicarii, & ejus poteſtate.* 128
Cap. 19. *De proceſſu Capituli Provincialis, & terminatione ejuſdem.* 130
Cap. 20. *De Congregatione inter unum, & alterum Cap. Provinciale celebranda.* 133
Cap. 21. *De Capitulo Conventuali.* 134
Cap. 22. *Mortuo Priore Locali, de ejus electione quid faciendum.* 138
Cap. 23. *De electione Socii Prioris ituri ad Capitulum Provinciale.* 139
Cap. 24.

Cap. 24. *De electionibus in communi, & qui poſſunt eis intereſſe.* 142
Cap. 25. *De modo recipiendi Novitios.* 143
Cap. 26. *De modo profeſſandi.* 147
Cap. 27. *Forma faciendi Jubileum.* 150
Cap. 28. *Quis habeat facultatem inſtituendi noſtram Confraternitatem Scapularis; quæ forma ſervanda in illius erectione, & receptione Confratrum, quæve eorum obligationes.* 154
Cap. 29. *De modo recipiendi ad noſtri Ordinis beneficia, & de benedictione habitus.* 156

Capita quintæ Partis.

Cap. 1. *DE culpis, & pœnis in communi.* 161
Cap. 2. *De culpa, & pœna levi.* ibid.
Cap. 3. *De culpa, & pœna media.* 162
Cap. 4. *De culpa, & pœna gravi.* ibid.
Cap. 5. *De culpa, & pœna graviori.* 164
Cap. 6. *De culpa, & pœna graviſſima.* 166
Cap. 7. *De pœna privationis vocis, & loci.* 169
Cap. 8. *De pœna depoſitionis ab officio.* 172
Cap. 9. *De pœna ſuſpenſionis gradus, & dignitatis.* 175
Cap. 10. *De pœna inhabilitationis ad officia.* 176
Cap. 11. *De ſententia excommunicationis.* ibid.
Cap. 12. *De pœna apoſtatarum.* 178
Cap. 13. *De pœna rebellium, uſurpantium Majorum ſuorum officia, & inobedientium.* 179
Cap. 14. *De pœna conſpiratorum.* 180

Cap. 15. *De pœna proprietariorum, & falſariorum.* 181

Cap. ult. *De Confirmatione harum Conſtitutionum.* 182

*Regula Carmelitarum cum Bullis Pontificum.* 185

*Decreta Clementis VIII.* 198

*Decreta Capitulorum Generalium.*

# INDEX NOTABILIUM

*Quæ in Conſtitutionibus continentur, per ordinem Alphabeti.*

## A

ABſolutiones à caſibus reſervatis Superioribus prohibentur, ſub pœna privationis vocis, & loci, ac excommunicationis. Part. 1. Cap. 10. §. 5.
Abſolutio Priorum, & Officialium in Capitulo Provinciali, quando facienda. p.4. c.19. §.14.
Abſolutio Provincialium in Capitulo Gen., quando facienda. p.4.c.8.§.1.
Abſtinenria ab eſu lacticiniorum, quando facienda. p.1. c.4. §.1.
Abſtinere a carnibus, quando tenemur. p.1. c.4. §.2.
Accuſans audiatur, etiam ſi Superiorem accuſet, dummodo ſe obliget ad pœnam talionis. p.4. c.21. §.8.
Accuſans ex ſola ſuſpicione, vel ſub modo denunciationis, tenetur ad pœnam talionis. p.4. c.21. §.9.
Accuſans non debet acclamare culpas in Capitulo. p.4. c.21. §.5.
Accuſans non debet replicare iterum, niſi ulterius interrogetur. p.4.c.21.§.1.
Accuſare plures pro eadem culpa quilibet poteſt. p.4. c.21. §.6.
Accuſare licet (etiam ſi non ſit interrogatus) negantem culpam veram. p.4. c.21. §.2.
Accuſari nullus poteſt amplius quam de tribus culpis in eodem Capitulo, nec a pluribus tribus, aut quatuor Fratribus pro diverſis culpis etiam de una. p.4. c.21. §.6.
Accuſati nominatim ſurgant ad petendam veniam: Ibidem.
Accuſationes, & querelæ non ſunt faciendæ Superioribus majoribus, niſi in defectu Superiorum immediatorum. p.1. c.9. §.12.
Accuſationes abſque exageratione proponendæ ſunt. p.4 c.21. §.1.
Accuſatus non reſpondeat, niſi interrogatus. & humiliter. p.4. c.21. §.5.
Accuſatus non reprehendat accuſantem. Ibidem.
Acta Capituli Provincialis ſcribenda, & publicanda. p.4. c.19. §.9.
Advocatorum, ac Procuratorum conſilia requirentes, ſub pœna puniendi. p.3. c.5. §.3.
Agitationibus taurorum, & comœdiis aſſiſtentes puniantur. p.3. c.6. §.8.
Anathema, & maledictio Omnipotentis Dei, revelantibus Secreta Monaſterii. p.1. c.7. §.9.
Animalia quæ haberi prohibentur. p.1. c.2. §.14.
Apoſtaſiæ tempus in gradibus, & præcedentiis non eſt computandum. p.3. c.1. §.9.
Apoſtata cenſeatur, exiens ſepta Monaſterii contumaciter contra præceptum ſpecialiter directum ſui Superioris, etiam cum habitu, & Socio. p.3. c.1. §.1.

Apo-

Apoſtata cenſeatur, exiens ſine licentia ſui Superioris, etiam ſi eadem dic, vel nocte redierit. p.3. c.1. §.3.
Apoſtata cenſendus eſt, vagans cum licentia indeterminata. p.3. c.1. §.7.
Apoſtatæ diligenter ſunt perquirendi a Superioribus. p.3. c.1. §.5.6. & 10.
Apoſtatæ non interſint electionibus. p.4. c.24. §.1.
Apoſtatæ veri; qui ſint. p.3. c.1. §.4.
Apoſtata non eſt, vadens directe ad Majorem, petita tamen prius licentia in præſentia aliquorum, licet non obtenta. p.3. c.1. §.1.
Apoſtatarum bona Conventui applicentur, in cujus terminis capti ſunt. p.3. c.1. §.7.
Apoſtatarum pœna. p.3. c.1. §.8. & 9. & p.5. c.12. §.2.
Apoſtatarum pœna puniatur, exiens ſolus, ſine ſpeciali licentia. p. 3. c.1. §.4.
Apoſtatarum pœna, quibus caſibus incurritur. p.5. c.12. §.1.
Apoſtatarum pœna ſunt puniendi profugi. p.3. c.1. §.5.
Appellantes a Regulari correctione non interſint electionibus. p.4. c.24. § 2.
Appellantium Conſtitutio inviolabiliter obſervari præcipitur. p.3. c.3. §.2.
Appellantium pœna, & eis adhærentium. p.3. c.3. §.1.
Approbatio noſtri Ordinis per plures Summos Pontifices. p.1. c.1. §.2.
Arca trium clavium habeatur: qui eorum claves tenere debeant: in ea ponendus eſt liber receptorum, & expenſarum, & inventarium librorum, rerum Sacriſtiæ & Conventus. p.2. c.11. §.1. & in ea reponendæ ſunt pecuniæ Conventus. p.1. c.2. §.11. in ea etiam reponantur pecuniæ a ſingulis Fratribus quovis modo acquiſitæ. p.3. c.11. §.3.
Artificum pœna. p.3. c.6. §.4. & 5.
Aſſuetis in culpis aggravandæ ſunt pœnæ. p.5. c.6. §.10.
Archivia facienda. p.2. c.3. §.5.

# B

Baccalaurei gradus quomodo accipiendus eſt. p.1. c.17. §.9.
Baccalaurei locus ibidem. c.19. §.4. & 6.
Baccalaurei ordinandi ſunt per Capitulum Provinciale ad legendum in ſua Provincia. ibid. c.17. §.8.
Balnea quæ prohibentur, & quæ concedantur. p.1. c.8. §.3. & 5.
Bona, ſeu cibaria extra Conventum mittere prohibetur. p.1. c.4. §.11.
Bona Conventus non ſunt vendenda, aut alienanda, neque immobilia commutanda. p.1. c.2. §.9.
Bona Conventus quomodo recipienda. p.2. c.10. §.2.
Bona Fratrum defunctorum in aliena Provincia decedentium, cui competant: ac eorum, qui per triennium, aut decennium manſerunt in Conventu, cujus non ſunt filii: & eorum qui filiationem mutaverunt. par.1. cap.22. §. 3.
Bona immobilia, & animalia cujuſvis Fratri quocumque jure contingentia Conventui applicentur. Ibid. c.2. §.14.
Bona proprietariorum, apoſtatarum, & aliorum criminoſorum: quomodo applicanda. p.3. c.11. §.9.
Bona quovis modo a Fratribus acquiſita, concludantur in Arca communi. Ibid. §.3.
Bonorum Fratrum defunctorum rationes videndæ ſunt in Capitulo Provinciali. p.4. c.19. §.12.

Bonorum mobilium ad incertum uſum conceſſorum inventaria habenda, , ſingulis annis renovanda. p.3. c.11. §.6.
Bonorum mobilium diſtributio, & uſus. ibid. §.3. & 5.
Bonorum morientium Fratrum cuſtodia. p.1. c.22. §.1.
Breviario reformato tantum utendum: nulluſque illud corrigat, aut imprimat ſine licentia Generalis. p.1. c.3. §.22.
Bulla Eugenii IV. de mitigatione Regulæ in fine Conſtitutionum. Ibidem.
Bulla Pii II. de eodem. Ibidem.
Bulla Xyſti IV. de eodem. Ibidem.

# C

CÆremoniæ uniformiter ab omnibus ſervandæ. part.1. cap.3. §.4. & 6. & p.2. c.2. §.1.
Cæremoniarum, & rubricarum lectio quotidie habenda eſt. p.1. c.3. §.3.
Calceamentorum forma, & qualitas. p.1. c.12. §.8.
Camera, vide Cella. Ibidem.
Camiſeæ conceduntur: conſutæ more Secularium, criſpatæ, & in collo, ac in manicis apparentes prohibentur. p.1. c.12. §.4.
Cancelli confeſſariorum habendi, & quomodo conſtruendi. par. 2. cap.3. §.10. Dum cantatur Kyrie eleiſon, & Gloria in excelſis Deo, nullus ſedeat. p.1. c.3. §.12.
Cantores deputentur, & ipſi tantum intonent intonanda. Ibidem §.21.
Cantus laſcivi, & tripudia prohibentur. p.1. c.5. §.5.
Cum Capitula Generalia, & Provincialia celebrantur, quæ Miſſæ, & Orationes fieri debeant. p.4. c.23. §.11.
Capituli Generalis acta quando, & quomodo publicanda. p.4. c.8. §.1.
Capituli Generalis eleemoſynas Provinciales petant a principibus, & ſecum fideliter portent. p.4. c.1. §.5.
Capituli Generalis initium p.4. c.4. §.1. ipſius Diffinitorium c.7. §.1. ejuſque terminatio. Ibid. c.9. §.1.
Capituli Generalis papyrum, & ſigillum mittat ad Capitulum, ſi ipſe Generalis non veniat. p.4. c.2. §.1. Vacante Officio Generalatus, Provincialis in cujus Provincia aſſumptus, vel mortuus fuit Generalis, deferat ſigillum, & papyrum ad Capitulum Generale, vel ad Vicarium Generale. p.4. c.3. §.4.
Capituli Conventualis initium. p.4. c.2. §.1.
Capituli Provincialis initium. p.4. c.11. §.1. Ejuſque Diffinitorium. c.13. Et terminatio. ibid. c.19.
In Capitulo nullus loquatur, niſi interrogatus, aut, &c. p.4. c.21. §.7.
Capitulum Conventuale quando, & quomodo celebrandum. p.4. c.21. §.1.
Capitulum Generale a quo convocandum, & quo tempore, Generalatus Officio vacante. p.4. c.3. §.1.
Capitulum Generale eligat Præſidentem Capituli. abſente Generali. p.4. c.2. & 3. §.3.
Capitulum Generale ingreſſurus quantæ ætatis, profeſſionis, & ſcientiæ eſſe debeat, ac quo tempore ingredi debeat. p.4. c.1. §.6. & 7.
Capitulum Generale, ſeu Diffinitores Capituli Generalis habent plenariam auctoritatem ſuper quibuſdam culpis Prioris Generalis. p.4. c.5. §.1.
Capitulum Generale, quando, & quibus vocalibus celebrandum. p.4. c.1. §. 1.

§.1. Quo modo celebrandum abſente Generali. c.2. Quo tempore ordine, & ritu ſit inchoandum. ibid. c.4. §.1.
Capitulum Provinciale quando celebrandum. p.4. c.10. §.1. A quibus celebrandum. Ibidem §.2. 3. 4. 5. 6. 8. & 9. A quo convocandum, vacante Provincialatus Officio. Ibid. c.12. §.1.
Capitulum Provinciale ingredientes, quantæ ætatis debent eſſe p.4.c.10.§.7. Quo tempore ingrediendum eſt. Ibid. §.11.
Cappæ albæ forma, & uſus. p.1. c.12. §.3. & c.3. §.20. & c.7. §.3.
Capſa, vide Arca.
Carcer conſtruendus in quolibet Conventu. p.5. c.6. §.9.
Carceris pœna pro quibus criminibus quis puniendus ſit. p.5. c.6. §.1.
Carceris pœna puniendus eſt incurrens in culpam graviſſimam. p.5.c.6.§.2.
Carceris pœna puniendus, reincidens in crimen, pro quo caruit; vel modo caret voce, & loco. p.5. c.6. §.3.
Carentes voce, & loco non interſint electionibus. p.4. c.24. §.1.
Carnium eſus extra domos, diebus nobis prohibitis, non licet, etiam ſi ſeculares edant. p.1. c.4. §.2.
Carnium eſus quando liceat: prohibetur in Adventu, Feriis quartis, & Prædicatoribus in Quadrageſima. p.1. c.4. §.2.
Caſus Epiſcopales, Statuta Synodalia, & Bulla in Cœna Domini habeantur, & ſerventur. p.1. c.10. §.3.
Caſus reſervatos Superioribus abſolvens, qua pœna puniendus. par. 1. cap. 10. §. 5.
Cauſæ, & lites Conventuum, abſque licentia Provincialis non inchoentur. p.1. c.2. §.18.
Cauſæ, & lites Conventuum pauperum non ſunt omittendæ propter paupertatem, ſed aliorùm Conventuum ſubſidio proſequendæ. par.1. cap. 2. §. 18.
Cellæ Fratrum quo ordine aſſignandæ. p. 1. c. 1. §. 17. Quando ab eis non ſit aſſignandum. c.6. §.3. Quo tempore in aliorum Cellis non ſit intrandum. §. 5. In eis non ſunt introducendæ mulieres. part. 3. cap. 7. §. 2. Nec pueri. Ibidem §. 5. Omni nocte ſint viſitandæ a Præſidente Conventus. p. 1. c. 6. §. 4. & p. 2. c. 3. §. 7. Improviſo viſitandæ etiam. p.3. c.6. §.1.
Chorum adire qua celeritate omnes debeant. p. 1. c. 3. §. 1. In Choro ſervanda. Ibidem §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 15. & 18. Tabula Officiorum Chori ſingulis Sabbathis ordinanda. Ibidem §. 13. In Choro ſilentium ſervandum. §. 14. A Choro, ſine licentia non eſt exeundum. Ibidem §. 16. Quæ cantanda prohibentur in Choro, & organo. Ibidem §. 25. Ad eum quando tenentur omnes convenire cum cappis albis. §.23. & c.12. §.3.
Choro interſint omnes. p.1. c.19. §.10.
Clavarii Patres, quot, & quales in Conventu inſtituendi, & eorum facultas. p.2. c.10. §.1. & 2. Eorum electio. p.4 c.24.
Claves Arcæ communis qui tenere debeant. p.2. c.11. §.1.
Clauſura honeſta munienda loca ante inchoationem alicujus operis notabilis. p. 1. c.2. §.5.
Clauſura Monialium ſervanda. p.3. c.12. §.19.
Comedere pulmenta cocta cum carnibus licet. p.1. c.4. §.2.
Commemoratio Benefactorum in Capituli Conventualis terminatione facienda. p.4. c.21. §.17.

Com-

Commemoratio Deſunctorum in Capitulo Generali facienda. p.4. c.4. §.1.
Eadem in Capitulo Provinciali facienda. Ibid. c.11. §.2.
Commemoratio Vivorum in Capitulo Generali facienda. p.4. c.5. §.1.
Commercium cum Secularibus fugiendum. p.1. c.7. §.9.
Comeſtio communis eorumdem ciborum in utraque menſa. p.1. c.4. §.4.
Comeſtio extra Refectorium, & domum. Ibid. §.5. 6. 7. & 8.
Comminatoria verba proferentes contra Prælatos Ordinis, conſpiratorum pœna puniendi. p.3 c.4. §.3.
Commiſſarii Ordinarii Monialium ſunt Provinciales. p.3. c.12. §.23.
Communio Generalis quoties, & a quibus. p. 1. c. 11. §. 1. & c. 14. §. 9. & p.3. c.12. §.12.
Computa, & rationes reddere tenentur omnes Officiales. p.2.c.11 §.2. & 3.
Computa ſingulis hebdomadis facienda in loco communi, ſed quater in anno cogantur omnes ad prædicta computa convenire. p.2.c.11.§.2. & 4.
Confeſſarii, a quibus licentiam habere debeant, & in quibus verſati. p.1. c.10. §. 1. 2. & 3.
Confeſſarii in cancellis ſibi deſignatis audiant confeſſiones. p.2.c.3.§.10.
Confeſſarii Monialium a quibus deputandi. p. 3. c. 12. §. 11. Audiant etiam confeſſiones puellarum cum eis exiſtentium educationis gratia. Ibid. §.14. Non ingrediantur Monaſteria ſine neceſſitate. Ibid. §.11. Nunquam ingrediantur ſoli. Ibidem. Si ingrediantur pro Sacramentis adminiſtrandis habeant ſtolam ſuper cappam albam. Ibidem.
Confeſſarius extraordinarius exhibeatur Monialibus. Ibid. §. 13.
Confeſſiones audire, prohibetur Novitiis Sacerdotibus. p.1. c.10. §.1. Similiter carentibus voce, & loco, Ibid. §.4.
Confeſſiones etiam Fratrum noſtrorum nullus Frater audire poteſt ſine licentia Superioris. p.1. c.10. §.1.
Confeſſiones frequentandæ. p.1. c.3. § 30. & c.14. §.9. & c.15. §.5. & p.3. c.12. §.12.
Confeſſiones Novitiorum ante eorum receptionem. p.1. c.10. §.1.
Confeſſiones non fiant extraneis Sacerdotibus, niſi in caſu neceſſitatis. p.1. c.10. §.1. Neque fiant in locis abſconditis, ſed in locis apertis. Ibidem §.4. & 6. & c.3 §.21. Pro Sacramentis adminiſtrandis, quæ licentia, & examen requiratur. p.1. c.10. §.2.
Confirmatio Generalis. p.4. c.6. §.3.
Confirmatio Prioris Localis. p.4. c.22. §.5.
Confirmatio Provincialis, ubi, & qualiter expetenda. p.2. c.2. § 19. & 20.
Confitentem culpam ſuam. nullus de eadem accuſet. p.4. c.21. §.5.
Congregatio habenda inter Capitula Provincialia. p.4. c.20. Quomodo. Ibidem per totum.
Congregatio Mantuana. p.2. c.1. §.10. & p.1. c.2. §.1.
Conſilia Advocatorum requirentes, qua pœna ſunt puniendi. p.3.c.5.§.3.
Conſpiratorum pœna. p.3. c.4. §.1. & 2. & p.5. c.14. §.2.
Conſtitutio de appellationibus, & eis adhærentibus ſervari præcipitur. p.3. c.3. §.2.
Conſtitutiones noſtræ non obligant ad culpam. p.5. c.1. §.1.
Conſtitutionum interpretatio ad quem pertinet. p.2. c.1. §.8.
Conſuetudines arctiores Conventuum pro abſtinentia carnium, & jejuniis ſerventur. p.1. c.4. §.12.
Contumaces, rebelles, & ſe erigentes contra Majores, ac inobedientes, qui ſint, & quæ eorum pœna. p.3. c.2. & p.5. c.13.

Convicia prohibentur. p.1. c.5. §.6.
Convicioſi, diffamatores, detractores, objectores criminum, & obloquentes, qui, & qualiter puniendi. p.3. c.8.
Corona Clericalis omnino prohibetur Laicis, & Semifratribus, p.1.c.8.§.4. & c.16.§.6.
Correctio fraterna facienda. p.3.c.8. §1.
Correctio non impedienda. p.3.c.2.§.4.
Correctiones in Capitulo Conventuali quomodo faciendæ. p.4. c.21. §.1.
Correctio Regulæ per Hugonem, & Guillelmum, in fine Conſtitutionum.
Crimina notabilia ſcribantur in libro communi Provinciæ. p.4.c.19.§.10.
Criminoſi torqueri poſſunt ſine incurſu cenſuræ. p.4 c.21. §.11.
Culpæ commiſſæ in Choro, quotidie corrigantur, & de eis veniam petant delinquentes. p.4. c.21. §.16.
Culpæ correctæ in Capitulo, Sacramentaliter confitendæ ſunt. p.1.c.10.§.6. & p.4. c.21. §.16.
Culpæ Generalis a quibus audiendæ, & quando. p.4. c.5. §.1.
Culpæ Generalis, propter quas abſolvendus eſt ab Officio, quæ ſint. p.4. c.5. §.1.
Culpæ graviores cum ſcandalo notabili perpetratæ, quomodo puniendæ. p.5. c.5. §.5.
Culpæ in Capitulo nullo modo per ſe, vel per alios pertinaciter defendantur. p.4. c.21 §.4. 5. & 7.
Culpæ Priorum Localium quando audiendæ, & puniendæ in Capitulo Provinciali. p.4. c.11. §.2.
Culpæ Provincialis in Capitulo Provinciali, quando, & a quibus audiendæ. p.4. c.14. §.1.
Culpæ Provincialium in Capitulo Generali, quando audiendæ, & puniendæ. p.4. c.4. §.2.
Culpæ ſi non ſunt notabiles, & ſufficienter probatæ non præſententur Capitulo Generali, vel Provinciali. p.4 c.23. §.7.
Culpæ, quæ præſente Generali, Provinciali, vel eorum Vicariis corrigi potuerunt in Conventu, non præſententur in Capitulo Generali, vel Provinciali. p.4. c.23. §.7.
Culpa gravior quibus modis incurritur. par. 5. cap. 5. §. 1. Qua pœna punienda. Ibid. §.2.
Culpa graviſſima quibus modis incurritur. par.5. c.6. §.1. Qua pœna puniatur. Ibidem. §. 2.
Culpa gravis quibus modis incurritur. par.5. c.4. §. 1. Qua pœna puniatur. Ibidem. §. 2.
Culpa levis quibus modis incurritur. pag. 5. c.2. §. 1. Qua pœna puniatur. Ibidem. §. 2.
Culpa media quibus modis incurritur. par. 5. c.3. §. 1. Qua pœna puniatur. Ibidem. §. 2.
Culpa notabilis non habens pœnam determinatam in Conſtitutionibus, ad arbitrium Præſidentis, & diſcretorum Conventus puniatur. p.4.c.21.§.3. & p.5. c.1. §.2.
Cura Animarum quibus prohibetur. p.1. c.10. §.4, & p.4. c.19. § 7. & 8.
Curſoratus non eſt gradus, ſed præcedit ſimplices Studentes in exercitationibus literariis. p.1. c.17. §.9.
Cuſtodia Bonorum. p.2. c.11.
Cuſtos carceris permittens ingredi ad incarceratos, qua pœna puniendus. p.5. c.6. §.8.

# D

DEclaratio Regulæ per Hugonem, & Guillelmum, in fine Conſtitutionum.
Decretandi, & determinandi modus in rebus Conventus. p. 2. c. 10. §. 5. 6. 7. 8. & 9.
Decreta Patrum Conventus ſcribantur in libro communi, alias nullius erunt roboris. p.2. c.10. §.4.
Decretum Capituli Generalis Rupeculæ, in fine Conſtitutionum.
Defectuoſi torqueri poſſunt ſine incurſu cenſuræ. p.4. c.21. §.11.
Defendentes appellationem, non interſint electionibus. p.4. c.23. §.2.
Defendere culpam ſuam, vel alterius in Capitulo prohibetur. p.4.c.21.§.7.
Defuncti Fratres ubi ſepeliendi. p.1. c.21. §.3.
Defunctorum Fratrum ſuffragia. p.1. c.21. §.1. 2. 3. & 4.
Defunctorum nomine bona acquiſita, cui Conventui applicanda. p.1.c.22. §. 2. & 3.
Denuncians aliquem nominatim in Capitulo, tenetur ad pœnam talionis. p. 4. c. 21. §. 9.
Depoſita bonorum noſtrorum apud extraneos prohibentur. p.3. c.11. §.2.
Depoſita bonorum, quæ non ſunt Conventus, quomodo facienda. par.3. cap.11. §.10.
Depoſitio ab Officio duplex. p.5. c.8. §.1. Depoſitio ab Officio infligenda quibus caſibus incurritur. Ibidem § 2. Depoſitio ab Officio ipſo facto quibus caſibus incurritur. Ibidem §. 3. Depoſitionis pœna ipſo facto, quomodo intelligitur. p.5. c.1. §.3. & c.8. §.4.
Depoſitus, vel abſolutus a Prioratu pro culpis, nec in eodem Capitulo, nec in ſequenti poteſt inſtitui, etiam in alio Conventu. p. 4. c. 19. §. 7. & c. 22. §. 3.
Detractores, diffamatores, convitioſi, objectores criminum, & ſimiles quomodo, & qualiter puniendi. p.3. c.8. §.1. 2. 3. 4. & 5.
Dicens accuſando in Capitulo: Ego credo illum feciſſe hoc: obligatur ad talionem. p.4. c.21. §.9.
Diffamans aliquem literis, vel aliter, habens locum accuſandi prius coram Superioribus puniatur. p 3. c.8. §.3.
Diffamati purgatio canonica quomodo facienda. p.3. c.9. §.4.
Diffamator, vide Detractores, & Objicientes.
Diffinitor Capituli Generalis inquirere debet de culpis Provincialis, & de culpis propoſitis contra Gremiales Capituli Generalis. p.4. c.23. §.6.
Diffinitore electo in Provincialem, vel Vicarium Provinciæ, ſtatim eligatur alius. p.4. c.15. §.5.
Diffinitor electus pro Capitulo Generali ſi fuerit Provincialis, & poſtea a Provincialatu abſolvatur, erit etiam Diffinitor, niſi factus fuerit inhabilis, vel ſequatur electio novi Provincialis, vel Vicarii. p.4.c.1.§.2.
Diffinitore electo pro Capitulo Generali non eunte ad Capitulum, quis ſit Diffinitor ejus loco. p.4. c. 1. §. 2.
Diffinitores Capituli Generalis, quando, & qui eligendi. p. 4. c. 16. §. 7. & c.1 §.2. Super quibus culpis Generalis habent auctoritatem. par. 4. c. 5. §. 1. Habent etiam auctoritatem inſtituendi Provinciales, & inſtituendi Procuratorem Generalem, & Lectores in Univerſitatibus. p.4. c.7. §.1. & 2.

Diffinitores Capituli Provincialis, quando, quot, quomodo, & a quibus eligendi, & publicandi. p. 4. c. 13. §.1. & 2. Ipſi auctoritatem habent ſuper culpis Provincialis. c. 14. §. 1. Habent etiam auctoritatem inſtituendi, & abſolvendi Priores, & alios Officiales, ſervato tamen illæſo Indulto Apoſtolico Callixti Papæ. c. 19. §. 1. Habent etiam auctoritatem faciendi Statuta. Ibidem §. 9. Item reſtituendi vocem, & locum carentibus; & quibus. Ibid. §. 11.

Diffinitori Capituli Generalis accuſanti, non credatur, niſi de culpis ſcriptis, & de culpis a Provinciali commiſſis poſt deceſſum a Provincia. p. 4. c. 22. §. 10.

Diffinitor ſuperveniens Capitulo Generali altero in ſui locum admiſſo non admittatur. p. 4. c. 4. §. 1.

Diffinitorum literæ examinantur ante auditionem culparum Provincialium. Ibidem.

Divinatorum pœna. p. 3. c. 6. §. 4.

Diviſiones, & partialitates cavendæ. p. 3. c. 9. §. 1.

Domus Monaſteriorum honeſtis perſonis locentur. p. 1. c. 7. §. 7.

Dormire quibus veſtibus, & coopertutis, liceat. p. 1. c. 6. §. 1. & 2.

Dormitionis tempore non licet egredi cellam, niſi pro neceſſariis, nec in ea ſtrepitum facere. Ibid. §. 3.

Diſcalceatorum Congregatio. p. 1. c. 2. §. 2.

# E

Eccleſiæ ingreſſus ad loquendum cum Mulieribus, cur, & quando ſit Fratribus prohibitus. p. 1. c. 3. §. 19.

Electio Diffinitorum Capituli Provincialis. p. 4. c. 13. §. 1.

Electio Generalis cum ſuo ſolo conſenſu eſt confirmatio. par. 2. cap. 1. §. 1. & p. 4. c. 6. §. 3. Fieri debet ſtatim poſt ſcrutinium factum. par. 4. c. 3. §. 2. & c. 6. §. 1. Quomodo fieri debeat. Ibid. §. 3.

In Electione Socii Prioris pro Capitulo Provinciali, quis non habeat vocem. p. 4. c. 23. §. 2.

Electiones quando, & quoties repetendæ. p. 2. c. 8. §. 1. & p. 4. c. 6. §. 3. & c. 15. §. 4. & c. 16. §. 4. & c. 22. §. 5. & c. 23. §. 2.

Electionibus Officialium Monialium nullum ſuffragium detur a Præſidente. p. 3. c. 12. §. 7.

Electionibus quis non poſſit intereſſe. p. 4. c. 24.

Electioni non interſint privati voce, & loco. p. 5. c. 23. §. 1.

Electioni non interſit faciens pœnitentiam graviorem. p. 5. c. 5. §. 2.

Electio Prioris Localis. p. 4. c. 22. §. 5.

Electio Prioriſſæ, & aliarum Officialium, quomodo habendæ. par. 3. c. 12. §. 7. 8. & 9.

Electio Provincialis quando, & quomodo facienda. p. 4. c. 15. §. 1. & 3.

Electio Sacriſtæ, quomodo facienda. p. 2. c. 9. §. 1. & p. 4. c. 24. §. 9.

Electio ſi fieri debeat, aliquo Electore faciente pœnitentiam graviorem, vel differatur, vel Frater a pœnitentia relevetur. p. 5. c. 5. §. 2.

Electio Socii Prioris Localis ituri ad Capitulum Provinciale, quomodo & quando. p. 4. c. 23. §. 1. & 2.

Electio Socii Provincialis pro Capitulo Provinciali, & Viſitationibus ad arbitrium illius relinquitur. p. 4. c. 17. §. 3.

Ele-

Electio Sociorum Generalis per ipſum libere facienda. p.4. c.1. §.1.
Electio Sociorum Provincialis pro Capitulo Generali. p.4. c.16. §.4.
Electio Subprioris quomodo facienda. p.2. c.8 §.1. & p.4. c.24. §.9.
Electio trium Clavariorum. p.2. c.10. §.1. & 2. & p.4. c.24. §.9.
Electio Vicarii Conventus tempore Capituli Provincialis. p.4. c.23. §.3.
Electio Vicarii Generalis in Capitulo Generali, abſente Generali. p.4. c.2. §.1 & c.3. §.3.
Electio Vicarii Provincialis ad cuſtodiam Provinciæ, tempore Capituli Generalis. p.4. c.18. §.1.
Electo Diffinitore in Provincialem, vel Vicarium Provincialem, alius loco ejus eligatur. p.4. c.15. §.5.
Electo Generali, quæ cœremoniæ habeantur. p.4. c.6. §.3. & 4.
Electores, ſeu Vocales, ſeu Gremiales Capituli Generalis, qui, & quales debent eſſe. p.4. c.1. §.1. 2. & 6.
Electores, ſeu Vocales, aut Gremiales Capituli Provincialis, qui, & quales eſſe debeant. p.4. c.10. §.2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. & 10.
Electores Sociorum in una Provincia, vel Conventu, non poſſunt eligere alios alibi. p.4. c.10. §.8. & c.16. §.3.
Eleemoſynæ non fraudandæ. p.3. c.11. §.7.
Eleemoſynæ pro Capitulo Generali a Provincialibus petendæ, & diligenter portandæ. p.4. c.1. §.5.
Eligendus in Generalem, qualis eſſe debeat. p.4. c.6. §.2.
Eligendus in Priorem Localem, qualis eſſe debeat. p.4. c.22. §.2. 3. & 4.
Eligendus in Provincialem, qualis eſſe debeat. p.4. c.15. §.2.
Equitare, & equos alere prohibetur. p.1. c.9. §.13. & 14.
Erigentium ſe contra Majores nomina, & appellantium a correctione Regulari, & eis adhærentium, cum eorum appellationibus, in communi libro Provinciæ ſcribenda. p.3. c.3. §.2.
Eſus carnium, & lacticiniorum quando prohibetur. p.1. c.4. §.1. & 2.
Euchariſtiæ Sacramentum quomodo renovandum, & conſervandum. p.1. c.3. §.32. & c.20. §.7.
Examinationes habendæ in Viſitationibus pro Miſſis, Prædicationibus, & Confeſſionibus. p.1. c.10. §.2.
Exceſſus factos in generali manifeſtare: quilibet poteſt, & requirere Superiorem, ut inquirat de eis. p.4. c.21. §.10.
Exceſſus graviores cum ſcandalo notabili, quomodo puniendi. part. 5. cap. 5. §.5.
Excommunicare inferiores non facile debent Superiores. p.5. c.11. §.5.
Excommunicare quis in ordine poſſit. Ibidem.
Excommunicati non interſint electionibus. p.4. c.24. §.1. & p.5. c.11. §.6. a quibus ſunt privati. Ibidem.
Excommunicatio tripliciter conſideratur. p.5. c.11. §.1.
Excommunicatio infligenda. Ibid. §.2.
Excommunicatio ipſo facto inflicta ab Ordine. Ibid. §.3.
Excommunicatio ipſo facto a jure inflicta. Ibid. §.4.
Excommunicatos quis abſolvere poſſit. p.2. c.1. §.7. & c.2. §.1. & p.3. c.2. §.4. & quomodo. p.2. c.2. §.1.
Excommunicatus etiam poſt abſolutionem excommunicationis puniri poteſt. p.5. c.11. §.7.
Excuſare ſe quando liceat in Capitulo. p.4. c.21. §.1.
Executor teſtamentorum ſine licentia nullus poteſt eſſe. p.1. c.9. §.19.

Expellere aliquem ab Ordine nullus poteſt ſine licentia Generalis. p.3. c.1. §.11.
Expenſæ pro conducendis Prioribus, & Regentibus faciendæ a Conventibus. p.1. c.19. §.16.
Expenſæ Provincialium, & Sociorum pro Capitulo Generali a tota Provincia faciendæ ſunt. p.4. c.1. §.3.
Expenſæ Provincialium itinerantium pro ſcandalo aliquo, vel quando vocati ſunt ab aliqua Provincia, Conventu, vel Fratre, a quo faciendæ, idem de Generali: p.2. c.2. §.7.
Expenſarum rationes pro negotiis Ordinis in Capitulo Generali reddendæ. p.4. c.7. §.3.
Expulſus ab Ordine, ſi redierit, ut Novitius recipiendus eſt. par. 5. cap. 1. §.11.
Expellendus ab Ordine quomodo quis. p.4. c.21. §.13. & 14.

# F

Facientes pœnitentiam graviorem conſortandi ſunt. p.5. c.5. §.4.
Falſariorum pœna quibus modis incurritur. p.5. c.15. §.3.
Falſarii qua pœna puniendi. Ibidem, & p.4. c.8. §.6.
Familiaritas perſonarum inhoneſtarum, & vicinarum Conventus fugienda. p.1. c.7. §.6.
Fatui non interſint electionibus. p.4. c.24. §.1.
Favores requiſiti a Secularibus damnantur. p.3. c.5. §.1. 2. 3. 4. & 5.
Feriis quartis non licet comedere carnes. p.1. c.4. §.2.
Feſtis diebus egreſſus Monaſterii prohibetur. p.1. c.7. §.2.
Filii etiam Conventus ſingulis annis mutandi ſunt. p.3. c.5. §.5.
Filiorum Conventuum bona, vide Bona.
Forma faciendi Jubileum. p.4. c.27.
Frater mutatus de Conventu ad Conventuum, vel de Provincia ad Provinciam non interſit electionibus, niſi in ſua obedientia fiat expreſſa mentio de ſua voce. p.4. c.24. §.4. & 5.
Fratrum captorum in domibus inhoneſtis pœna. p.3. c.7. §.4.
Fratres libere poſſunt mutari de Conventu ad Conventum, & de Provincia ad Provinciam a Generali, p.2. c.1. §.1.
Fratres mutati prope Capitulum. vide Electores.
Fratres non poſſunt mitti, aut ire ad terminos alterius Provinciæ, vel Conventus. p.1. c.9. §.16.
Fratres noſtri tenentur facere ter in anno Ternaria, & pro Fratribus decedentibus Officium Defunctorum dicere. p.1. c.21. per totum.
Fratres prohibentur ire ſoli. p.1. c.7. §.2. & c.9. §.14. & p.3. c.1. §.4.
Fratres prohibentur ſe promoveri facere ad dignitates extra Ordinem. p.2. c.2. §.9.
Fraudationes, & uſurpationes bonorum damnantur. p.1. c.2. §.9. & 10.
Fugientes a Superioribus, & recurrentes ad Generales, vel Provinciales, ut non puniantur, pœna multiplicetur. p.3. c.1. §.2.
Fugitivorum pœna. p.3. c.1.
Furti reſervatur abſolutio Generali. p.2. c.3. §.6.

# G

Generali aſſumpto, vel mortuo, aut ad Capitulum Generale non veniente: quid agendum. p.4. c.2. & 3. Ipſo reſignante officio, quæ ſint exhibenda. p.2. c.1. §.14. Ejuſdem electio & confirmatio. par.2. c.1. §.1. & p.4. c.6. §.3. Ejuſdemque veſtiarium, ſeu taxa ordinaria, & pro ſolemni viſitatione quanta, & quando mittenda. p.2. c.1. §.11. 12. & 13.

Generalis poteſt privilegia de Conventu ad Conventum, & de Provincia ad Provinciam libere transferre: Fratres ſimiliter mutare, & eorum omnium culpas corrigere. par.2. cap.1. §.1. In Capitulis omnibus præſidere per ſe, vel per Vicarios, aut Viſitatores. Ibidem. Capitulum Generale, & Provinciale mutare, & terminum abbreviare, vel elongare. Ibidem §.7. & p.4. c.1. §.1. & c.10. §.1. *Et* Vocalibus Capituli licentiam concedere introeundi ad locum Capituli ante vigiliam vigiliæ. p.4. c.1. §.7. & c.10. §.11. In electionibus Diffinitorum Capituli Provincialis, & Vicarii Provinciæ vocem habere, p.4. c.13. §.2. & c.18. §.1. Computa in quibuſcumque Capitulis recipere, & de eis judicare. p.2. c.1. §.1. Conventus, & Provincias viſitare. Ibidem. Viſitatores ad viſitandum mittere. Ibidem, & c.5. §.1. Provinciales confirmare. Ibidem c.1. §.1. & c.2. §.19. & 20. & p.4. c.15. §.4. Eorum culpas corrigere: ab Officio eos abſolvere, deſtituere, & inſtituere. p.2. c.1. §.1. Eligendos in Provinciales nominare. p.4. c.15. §.2. Priorum Localium culpas corrigere; eos ab Officio abſolvere, & inſtituere. p.2. c.1. §.1. In Conventibus ei immediate ſubjectis ponere, & deponere ad libitum omnes Officiales. Ibidem §.3. & 4. & par.4. c.7. §.2. & c.19. §.1. Conventus ubi ſunt ſtudia, & in quibus reſidet, a taxa, & obedientia Provincialium eximere. p.1. c.19. §.16. & p.2. c.1. §.8. Et licentiam dare vendendi libros inutiles & duplicatos. p.2. c.1. §.9. & c.12. §.1. Studentes ad ſtudia Generalia mittere: & redeundi ab eiſdem licentiam dare. p.1. c.17. §.2. & 4. & p.2. c.1. §.2. Lectores in ſtudiis ordinare, & mutare. Ibidem. Ad Gradus promovere. p.1. c.17. §.5. & 9. Fratribus idoneis licentiam concedere publice legendi, & libros imprimendi. Ibidem §.11. Idoneoſque ad audiendas confeſſiones, & ad prædicandum licentiare. Ibidem c.10. §.4. & p.2. c.1. §.2. Inhabiles ad ſtudia, gradus, & officia habilitare. Ibidem §.7. Procuratores Generales Romanæ Curiæ, & ad alios Reges inſtituere, & deſtituere, etiam ſi per Capitulum Generale fuiſſent inſtituti. Ibidem §.5. Novitios recipere, receptos profeſſare: Profeſſos ad Ordines promovere: & Provincialibus concedere auctoritatem promovendi ad Ordines Fratres alienæ Provinciæ. p.2. c.1. §.7. & c.2. §.12. Laicos, & Semifratres recipere. p.1. c.13. §.5. Licentiam dare recipiendi Moniales, & Monialibus velum dare: eis de Confeſſariis providere, & licentiam concedere recipiendi puellas ad educationem, p.3. c.12. §.1. 5. 11. 13. & 14. Poteſt Fratres ab excommunicatione abſolvere pro injectione manuum in ſe ipſos aut apoſtaſia, vel ex Ordinis cenſura

ſura incurſa ; & venientes ad Ordinem ab excommunicatione abſolvere , & ſuper irregularitate cum eis diſpenſare . p. 2. c. 1. §. 7. & p. 3. c. 10. §. 1. & 2. Apoſtatas , & fugitivos recipere , & abſolvere , & ſuper pœnitentiis omnium Defectuoſorum diſpenſare . part. 2. c. 1. §. 7. & p. 3. c. 1. §. 1. 5. 6. 8. 9. 10. & 11. & c. 5. § 3. & c. 6. §. 2. & c. 7. §. 1. & 5. & c. 8. §. 1. & c. 10. §. 1. & c. 11. §. 11. & p. 4. c. 8. §. 6. Licentiam dare expellendi ab Ordine profeſſos pro criminibus . p. 3. c. 1. §. 11. Bona apoſtatarum , & aliorum criminoſorum ſceleratorum in uſus communes Ordinis applicare . Ibidem c. 11. §. 9. Breviarium , & alios libros ad divinum Officium pertinentes corrigere , vel corrigi facere , & imprimere . p. 1. c. 3. §. 22. Famulos ſeculares habere . Ibidem c. 19. §. 9. Licentiam dare accipiendi loca nova, & inchoandi opus notabile in Conventibus. Ibidem c.2. §.3. & 7. Recipere ad participationem totius Ordinis . p.2. c.2. §.7. & p. 4. c. 29. Conſtitutiones interpretari : & omne id , quod Diffinitores Capituli Generalis poſſunt facere , libere poteſt facere : & quod Provinciales in ſuis Provinciis , & Priores Locales in ſuis Conventibus . p.2. c.1. §.8.

Generalis pro aliquibus exceſſibus poteſt ab officio deponi . p. 4. c. 5. §. 1. a ſententia Diffinitorum non poteſt appellare . Ibidem . Ab ejus auctoritate tria excipiuntur . p. 2. c. 1. §. 9. In Capitulo Generali de receptis , & expenſis pro negociis Ordinis tenetur rationem reddere . Ibid. c. 11. §. 3.

Generalis Socii ad ejus nutum , & arbitratum eligendi ſunt . part. 4. cap. 1. §. 1.

Gladii conceſſi forma , & quantitas . p.1. c.12. §.7. & p.3. c.10. §.6.

Graduati Horis , & Officiis obligantur . p.1. c.19. §.10. 11. & 13.

Graduati quicumque in Priores Locales electi , amittunt exemptiones . p.2. c. 3. §. 2. Graduati in Capitulo Provinciali deputandi ſunt ad legendum in ſua Provincia . p. 1. c. 17. §. 8. Graduatis prohibita . p. 1. c. 19. §. 9. Graduatorum exemptiones . Ibidem §. 10. 11. & 12. Graduatorum prærogativæ , & præcedentiæ . Ibidem §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. & 12. Ordo inter Graduatos , & Patres . Ibid. §.6.

Gradus haberi non poſſunt niſi a Generali . p. 1. c. 17. §. 9. Ad gradus nullus promovendus eſt , niſi præſentatus a Diffinitoribus Capituli Provincialis ſuæ Provinciæ . Ibid. §.3.

Gradus , vide Lector , Baccalaureus , & Magiſter .

Gratiæ Secularium favore impetratæ , quam pœnam ſecum trahant . p. 1. c.5. §.1. & 2.

Gravior culpa quibus modis incurritur . p.5. c.4. §.1. Qua pœna puniatur . Ibid. § 2.

Graviorem pœnitentiam facientem nullus alloquatur . p.5. c.5. §.3.

Gravis culpa quibus modis incurritur . p.5. c.4. §.1.. Qua pœna puniatur . Ibid. §.2.

Graviſſima culpa quibus modis incurritur . p.5. c.6. §.1. Qua pœna puniatur . Ibid. §.2.

Gremiales Capituli Generalis qui poſſint eſſe . p.4. c.1. §.1. Et qui non poſſunt eſſe . Ibid. § 6. & 7.

Gremiales Capituli Provincialis qui poſſint eſſe . p. 4. c. 10. §. 6. & 10. Et qui non poſſunt eſſe . Ibid. §.5. 6. 7. & 11.

Gre-

Gremiales, vide Electores, & Diffinitores.
Graduandi quomodo inſtituendi. par. 1. cap. 17. §. 9. Gradus de gratia abolendi. Ibid. §.10.

# H

HÆreticum alias, vel hæreſum invulgatores nunquam promovendi ad gradus, & dignitates, & officia. p.3. c.6. §.3. De hæreſi ſuſpecti denunciandi ſunt, & de eorum pœna. Ibid. §.1.2. & 3.
Hiſtrionum opera, larvarum uſus prohibentur. p.3. c.6. §.7.
Honeſtas extra clauſtra ſervanda. p.1. c.7. per totum. Prohibetur ut inhoneſtum frequentare officinas artificum, & vicinorum, & ibi ſpectare ludos, & ſcurrilia. Ibid. §.8.
Honeſtas, vide Monaſterium, & familiaritas, & Seculares.
Horæ Laicorum, & Semifratrum habentur in Regula. cap.8.
Horæ, vide Officium Divinum.
Hoſpites, & itinerantes Fratres benigne recipiantur. p. 1. c. 9. §. 1. Non comedant, nec hoſpitentur extra Conventum. Ibidem §. 2. Et ſi habita licentia eundi extra Civitatem, in ea remaneant extra Conventum, qua pœna puniendi. Ibidem §. 3. Si ſine licentia exeant ſepta Monaſterii, apoſtatarum pœna puniendi. Ibidem §.4. Nihil emant, niſi per Priorem, ſub pœna proprietariorum. Ibidem. Hoſpites non viſitentur ſine licentia Præſidentis. Ibidem. Poſſunt corrigi a Prioribus, in quorum terminis deliquerunt. Ibidem §. 5. Tenentur ſequi chorum, & Miſſas celebrare. Ibidem §. 9. Debent revelare Priori cauſam, pro qua venerint. Ibidem §. 13.
Hoſpitia malefactorum qualiter evitanda. p.1. c.9. §.6.
Hoſpitum Secularium quanta mora, & Societas cum Fratribus permittenda. Ibidem.

# I

JEjunare quando tenetur. p.1. c.4. §.1. & 2.
Jejunium panis, & aquæ quomodo faciendum. p.5. c.4. §.4.
Jejuno ſtomacho celebrandum eſt Capitulum Conventuale. part. 4. cap. 21. §. 1.
Impedientes correctionem, & reformationem, qua pœna puniendi ſunt. p.3. c.2. §.4.
Imprimere Breviarium, vel aliud ſimile ad divinum Officium pertinens nullus præſumat. p.1. c.3. §.22. Imprimere ceteros libros nullus audeat ſine licentia Generalis. p.1. c.17. §.11.
Incarcerandus eſt qui accuſatur, aut infamatur de crimine digno carceris ante probationem, ſi ejus fuga timeatur, per modum cuſtodiæ: & ſic incarceratus, non eſt privatus voce, & loco: & ejus culpæ celeriter ſunt inquirendæ. p.5. c.6. §.4.
Incarcerandus eſt loco fugientis, qui cauſam dedit, ut incarceratus fugeret. Ibid. §.6.

Incarceratus ipſo facto eſt privatus voce, & loco. p. 5. c. 6. §. 5. Et incarceratus Feriis ſecundis, quartis, & ſextis jejunare tenetur in pane, & aqua. Ibidem.
Incendiarii etiam negligentia, quomodo puniendi. p. 1. c. 6. §. 6.
Incorrigibiles jam moniti, quomodo ejiciendi. p. 4. c. 21. §. 12.
Indulgentiæ a quo tempore ſint nobis conceſſæ. p. 1. c. 1. §. 2.
Infames non interſint electionibus. p. 4. c. 24. §. 1.
Infirmi confitendi, & communicandi quam primum. p. 1. c. 20. §. 1. Quæ revelare tenentur infirmi. Ibidem. Infirmorum quanta cura habenda. Ibidem §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Quomodo puniendi ſunt negligentes circa infirmos. Ibidem §. 1. 2. & 4. In quibus locis, & quorum expenſis curandi ſunt infirmi. Ibidem §. 2. 3. 5. & 6. Quid agendum circa Bona infirmorum exiſtentium cum vitæ periculo. p. 1. c. 22. §. 1.
Ingredi ad incarceratos non licet. p. 5. c. 6. §. 8.
Inhabilitatio ad officia duplex. p. 5. c. 10. §. 1. Inhabilitatio reſervata Generali, quibus modis incurritur. Ibidem §. 3. Inhabilitatio reſervata Provinciali, vel Capitulo Provinciali quibus modis incurritur. Ibidem §. 2. Inhabilem eſſe quomodo intelligitur. Ibidem §. 4.
Inhonoratæ perſonæ non recipiantur ad Ordinis beneficia. p. 4. §. 29.
Inobedientium pœna quibus caſibus incurritur. p. 5. c. 13. §. 3. & 4. Qua pœna puniendi. Ibid. §. 5.
Inſtitutio, & confirmatio Generalis. p. 4. c. 6. §. 3.
Inſtitutio, & confirmatio Ordinis noſtri. p. 1. c. 1. §. 1. & 2.
Inſtitutio, & confirmatio Prioris Localis. p. 4. c. 22. §. 5.
Inſtitutio, & confirmatio Provincialis. p. 1. c. 15. Inſtitutio Provincialium in Capitulo Generali. Ibid. c. 8. §. 1.
Inquiſitiones fiant fama ſcandali laborante, etiam, ſi diffamatus ſit abſens. par. 4. cap. 21. §. 10. In inquiſitionibus, & judiciis quando quis torqueri debeat. Ibidem §. 11. Inquiſitiones fieri debent per Socios ad Capitulum ituros, de culpis propoſitis contra Gremiales Capituli. c. 23. § 6.
Inſtrumenta, vide Scripturæ.
Interceſſores apud Seculares, pro Fratribus incarceratis, vel ſequeſtratis, graviter puniuntur. p. 3. c. 5. §. 4.
Inventaria bonorum Conventus Prior videat, & ſi non ſint, nova faciat, & ſecundum ea, bona Conventus accipiat, & rationem reddat. p. 2. c. 3. §. 2.
Inventaria Conventus deferenda ſunt ad Capitulum Provinciale, & quomodo conſervanda ſunt a Provinciali. p. 4. c. 11. §. 3.
Inventaria rerum ad uſum incertum Fratribus conceſſarum habenda, & renovanda. p. 3. c. 11. §. 6.
Inventaria rerum Fratrum morientium facienda. p. 1. c. 22. §. 1.
Irregulares non interſint electionibus. p. 4. c. 24. §. 1.
Irregularitas. p. 5. c. 11. §. 8.
Itinerantes habeant literas teſtimoniales. p. 1. c. 9. §. 7. Recta tendant via, & dato tempore revertantur, & Socios ſibi aſſignatos habeant. Ibidem §. 10. & 11. Itinerantium ordo qualis eſſe debeat, & via, ac terminus. Ibid. §. 10.

Jubileus Frater quomodo fiat : quibus gratiis fruatur : & quem locum teneat. p.4. c.27.
Juramenta, & turpia de Sanctis dicere prohibetur. p.1. c.5. §.4.
Juramentum præſtare omnes aſtringere poteſt Superior. p.4. c.21. § 11.
Juvenes ſtudentes, in quibus non occupandi. p.1. c.9. § 17.
Jurare debent Electores in electionibus. p.4. c.24. §.9.

# L

LAici non portent coronam, caſſanturque omnes gratiæ. p.1. c.8. §.4. & c.16. §.6.
Laici quando culpas in Capitulo dicere debeant. p.4. c.21. §.1. Non interſint electionibus. Ibidem c.25. §.1. Eorum veſtitus. p.1. c.16. §.2. Eorum profeſſio. Ibidem §.3. Eorum educatio, & cum Semifratribus ordo. Ibidem §.4. Quæ eis prohibentur. Ibidem §.5. & 6. Eorum Orationes. Ibidem §.3. Et in Regula. c.8. Eorum opera, & labor. Ibidem §.7. Quæ ſcire debent. Ibid. §.1.
Larvarum uſus prohibetur. p.3. c.6. §.7.
Lectio de Conſtitutionibus legenda eſt in principio Capituli Conventualis. p.4. c.21. §.1.
Lectio de Sacra Scriptura in menſa continuo habenda. c.4. Regulæ. De Conſtitutionibus vero habenda eſt Feriis quartis, & ſextis. p.2. c.3. §.1. & p.5. cap. ultimo. Eadem aliquando omitti poteſt extra Refectorium. p.1. c.5. §.2.
Lectiones de caſibus conſcientiæ, vel de Sacra Scriptura, in quibus Conventibus habendæ, & qui audire teneantur. par.1. cap.18. §.2. 3. & 4.
Lectiones publice legere ſine licentia prohibetur. p.1. c.17. §.11.
Lectiones quotidie habendæ de Rubricis. p.1. c.3. §.3.
Lector noviſſimus ſit Magiſter Studentium extra Pariſios. p.1. c.17. §.6.
Lector promotus ad lecturam ſententiarum, non ſuſcipiat gradus licentiæ, vel magiſterii ſine licentia Generalis. Ibidem §.5. Lectores ordinandi ſunt per Capitulum Provinciale ad legendum in ſua Provincia. Ibidem §.8. Lectoris gradus quomodo accipiendus. Ibidem. §.9. Lectoris locus. Ibidem c.19. §.4. & 6. Lectoris præeminentiæ. Ibid. §.10. & 11.
Legationes in cauſis ſuſpectis prohibentur, & teſtamentorum executiones. p.1. c.9. §.19.
Levis culpa quibus caſibus incurritur. p.5. c.2. §.1. Quomodo punienda. Ibid. §.2.
Libraria habenda, & libri in ea exiſtentes non vendendi, & quomovo poſſint accommodari. p.2. c.12. §.1. Ad librariam nullus introducatur ſine licentia, & introductus cum licentia non permittatur remanere ſolus. Ibid. §.2.
Librarius deputetur ad cuſtodiam librorum. p.2. c.12. §.2.
Liber, aut papyrus communis Conventus in Arca reponendus, & in eo ſcribendæ ſummæ receptorum, & expenſarum. p.2. c.11. §.1.
Liber, aut papyrus Ordinis, in fine Capituli Generalis recludendus, & ſigillandus. p.4. c.8. §.3.

Monaſterium habens facultatem nutriendi octo Fratres, tenetur manutenere unum Studentem in Studio. p.1. c.17. §.2.

Monaſterium Neapolis immediate eſt ſubiectum Priori Generali. p. 2. c.1. §.4.

Monaſterium Pariſienſe regendum eſt ſecundum Diplom. Gregor. XIII. Ibid.

Monaſterium qua honeſtate, quoties, quibus diebus, quo habitu, qua licentia, & cum quibus Sociis egredi liceat. p.1. c.7. § 1. 2. 3. & 4. p.3. c 1 §.4.

Moniales ad Regulam, & Conſtitutiones Fratrum quo modo obligentur, p. 3. c. 12. §. 27. Communiter vivant. Ibid. §.15. Habeant ſemper lectionem ſacram in menſa. Ibid. § 26. Non recipiant Novitias ſine licentia Generalis. Ibid. §.1. Recipiendarum conditio, & ætas. Ibid. Non recipiantur plures, quam Monaſterium poteſt ſuſtentare. Ibid. §.2. Ubi induendæ. Ibid. Earum ætas ad profeſſionem, & ad velum. Ibid. §.3. & 5. Non profeſſandæ, inconſulto Epiſcopo. Ibid. §.3 Quo caſu a Monaſterio exire conceditur. Ibid. §.4. Vacare debent orationi mentali. Ibid. §.6. Modus eligendi Officiales earum. Ibid. §. 7. Prioriſſæ ætas, & conditiones, & Officii duratio. Ibid. §.8. & 10. Praticam facere pro electionibus prohibetur. Ibid. §.9. Quoties teneantur confiteri, & communicare. Ibid. §. 12. Prohibentur donare aliquid Fratribus noſtris, & ab eis accipere. Ibid. §. 15. Prohibetur eis ſcribere literas Fratribus noſtris, vel ab eis accipere. Ibid. §.17. Non utantur velis ſericeis, neque nutriant animalia. Ibid. §. 18. Quando vocem habeant. Ibid. §. 7. Cui immediate ſubditæ ſint. Ibid. §. 23 Bona Monialium defunctarum quo modo applicanda. Ibid. §.25. Nullus loquatur cum illis. Ibid. §.24.

Mutentur Fratres a Conventibus. p.3. c.5. §.5.

Mulieres non poſſunt ingredi clauſuram. p.1. c.2. §.6.

# N

NEcromantici, vide Artifices.

Nomina teſtificantium contra aliquem, non revelentur accuſato. p.4. c.23. §. 5. & 6.

Novitiatus, & Novitiorum cura quibus credita. p.1. c.14. §.2. 5. & 12.

Novitii ad Sacros Ordines non promoveantur. p. 1. c. 14. §. 4. Non occupentur in aliis ſtudiis, donec Cœremonias, & Officium divinum diſcant. Ibid. §.3. Nullum eis tradatur Officium. Ibid. § 2 Ubi ſunt quatuor Novitii, quotidie cantent Miſſam B. Virginis: & cantent ad Altare Virginis aliquas devotas laudes poſt Completorium. Ibid. §.6. Confiteantur, & in ætate conſtituti, communicent Ibid. §.9. Ad quæ ſtudia promovendi. Ibid. § 7. Eorum converſatio. §.8. Eorum educatio. §.10. & 12. In Socios egredientium non ſunt aſſignandi. p 1. c 7. §.4. Ætas eorum, ut recipiantur. p. 1. c 13. §.1. 2. 3. & 4 Pro eorum receptione munera non recipiantur. Ibid §. 6. & p. 3. c. 12. §. 1. Tempus probationis eorum. p.1. c.14. §.1. Receptionis eorumdem modus. p.4 c. 25. Quando culpas in Capitulo dicere debeant. p.4. c.21. §. 1. Non interſint electionibus. p.4. c.24. §.1.

Novitii reſignare debent omni juri repetendi veſtimenta facta ad modum Ordinis. p.1. c.13. §.7.

Novitiæ morti proximæ poſſunt profeſſare. p.3. c.12. §.3.

Numerus Provinciarum. p.1. c.2. §.1.

# O

OBedientiæ Ordinis non ſubjecti, non interſint electionibus. p.4.c.24.§.3.
Objiciens alicui crimina correcta qua pœna puniendus. p.3.c.8.§.3.
Objiciens alicui crimina gravia, & non probans, qua pœna puniatur. Ibid.§.2.
Ad Officia quis prohibeatur promoveri. p.5. c.10. §.2 & 3.
Officium divinum qua devotione celebrandum. p.1. c.3. §.1. Qua voce, & pauſa celebrandum. Ibid. §.9. Quo veſtitu. Ibid. §. 27. Qui recitare tenentur. Ibid. §.34.
Officium Generalis, vide Generalis.
Officium Prioris Localis. p.2. c. 3. totum. Quale ſit circa reformationem morum, & correctionem Subditorum. Ibid. §.1. 6. 7. & 8. Circa adminiſtrationem bonorum Conventus. Ibid. §.1. 2. & 4. Circa honeſtatem, & Clauſuram Conventus. Ibid. §.1. 5. & 8. Circa Cæremonias ſervandas, & earum uniformitatem. Ibid. §. 1. Circa bonum exemplum Subditis dandum. Ibid. §.1. & 2.
Officium Provincialis, vide Provincialis.
Officium Vicarii Generalis. p.2. c.4. §.1. 2. 3. & 6.
Officium Viſitatoris, Subprioris, Sacriſtæ, & trium Clavariorum. p.2. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.
Oleum Sanctum habendum. p.1. c.3. §.31. & c.20. §.7.
Opus, aut ædificium notabile non inchoetur ſine licentia. p.1. c.2. §.7.
Orationes, & Miſſæ tempore Capituli Generalis, & Provincialis habendæ. p.4. c.23. §.11.
Orationes, vide Suffragia.
Ordinis antiquitas, Inſtitutio, ſucceſſio, primus locus, & titulus. p.1.c.1.§.1.
Ordinis approbatio. Ibid. §.2.
Ad Ordinis beneficia recipiendi modus. p.4. c.29.
Ordinis obedientiæ non ſubjectus, non interſit electionibus. p.4. c.24. §.3.
Ordo inter Provincias, p.1. c.2. §.1.
Ordo Proceſſionalis ſervandus in egreſſu Chori. p.1. c.3. §.18.
Organis, quæ prohibeantur cantanda. Ibid. §.25.
Origo Ordinis. p.1. c.1. §.1. & 2.

# P

PAnem, Vinum, & quid ſimile extra Conventum mittere prohibetur. p.1. c.4. §.11.
Papyrus communis Ordinis, cujuſque Provinciæ quomodo ſervandus. p.4. c.8. §.3.
Papyrus communis, vide Liber.
Patentes, vide Literæ.
Peccatum carnis ſevere punitur. p.3. c.7.
Peccatum indicibile rigidius. p.3. c.7. §.5.
Pecuniæ a Fratribus acquiſitæ, in arca communi reponendæ ſunt. p.3.c.11.§.3.
Pecuniæ Conventus in arca reponendæ ſunt. p.1. c.2. §.11.
Percuſſionum diſcrimen exponitur per quamdam Extravagantem. par. 3. cap. 10. §. 4.

Per-

Percuſſor Religioſorum quorumcumque, & Clericorum, etiamſi leviter percutiat, eſt ipſo facto excommunicatus. p.3. c.10. §.2. 3. & 5.
Percutiens Clericum Secularem, aut Regularem aliquem alterius Ordinis, a quo Superiore eſt abſolvendus. p.3. c.10. §.5.
Percutiens Fratrem leviter, a quo abſolvendus eſt. Ibid. §.3.
Percutiens Fratrem percuſſione gravi, a ſolo Generali eſt abſolvendus. Ibid.
Percutientes qua pœna puniendi. Ibid. §.2. 3. & 5.
Permanentia Fratrum in Conventibus prohibetur. p.3. c.5. §.5.
Perſonarum Secularium conſilia requirentes, qua pœna puniendi. Ibid. §.3.
Perverſorum morum perſonæ, non recipiantur ad Ordinis beneficia. p.4. c.29.
Petere veniam de culpis in Choro commiſſis omnes tenentur quotidie. p.2. c.3. §.8. & p.4. c.21. §.16.
Phlebotomia, vide Minutiones.
Pœna Apoſtatarum. p.3. c.1. §.8. & p.5. c.12. §.2. Quibus caſibus incurritur. p.5. c.12. §.1.
Pœna appellantium a Regulari correctione. p.3. c.3. §.1.
Pœna conſpiratorum. p.3. c 4. §.2. & p.5. c.14. §.2. Quibus caſibus incurritur. Ibid. §.1.
Pœna depoſitionis ab Officio dupliciter. p. 5. c. 8. §. 1. Pœna depoſitionis ab Officio infligenda. Ibid. §.2. Pœna depoſitionis ab Officio ipſo facto. Ibid. §.3. Quo modo intelligatur ipſo facto. Ibid. §.4. & c.1. §.3.
Pœna duplicetur fugientibus a Prælatis immediatis, ad Superiores majores ut non puniantur. p.3. c.1. §.2.
Pœnæ aggravandæ ſunt aſſuetis. p.5. c.6. §.10.
Pœna excommunicationis tripliciter. p.5. c.11. §.1. Excommunicatio infligenda. Ibid. §.2. Excommunicatio ipſo facto ab Ordine. Ibid. §.3. Excommunicatio a Jure ipſo facto. Ibid. §.4.
Pœna falſariorum. p.1. c.23. §.3. & p. 5. c. 15. §. 3. Quibus modis incurritur. Ibidem.
Pœna gravior, quo modo facienda. p. 5. c. 5. §. 2. Quibus modis incurritur. Ibid. §.1.
Pœna gravis, & gravior non injungatur, niſi primo culpa declaretur Conventui, & pœna correſpondens. p.4. c.21. §.2.
Pœna gravis quo modo infligenda. p. 5. c. 4. §. 2. Quibus modis incurritur. Ibid. §.2.
Pœna graviſſima quo modo infligenda. p. 5. c. 6. §. 2. Quibus modis incurritur. Ibid. §.1.
Pœna illius, pro cujus cauſa incarceratus fugerit. Ibid. §.6.
Pœna incarcerati. Ibid. §.5.
Pœna inhabilitationis ad Officia dupliciter. p.5. c 10. §.1. Pœna inhabilitationis Provinciali reſervata. Ibid. §. 2. Pœna inhabilitationis Generali reſervata. Ibid. §.3. Quo modo intelligenda ſit inhabilitationis pœna ipſo facto. Ibid. §.4.
Pœna inobedientium quo modo infligenda. p. 5. c. 13. §. 5. Quibus caſibus incurritur. Ibid. § 3. & 4.
Pœna levis quo modo infligenda. p.5. c.2. §.2. Quibus modis incurritur. Ibid. § 1.
Pœna loquentis in Capitulo. p.4. c.21. §.7.
Pœna media quo modo punienda. p.5. c.3. §.2. Quibus modis incurritur. Ibidem §. 1.
Pœna panis, & aquæ in terra quomodo facienda. p.5. c.5. §.6.
Pœna

Pœnā præbentium auxilium incarcerato, ut fugiat p.5. c.6. §.7.
Pœna Prioris negligentis in conſtruendo carcerem. Ibid. §.9.
Pœna proprietariorum. p.3. c.11. §.11. & p.5. c.15. §.2. Quibus caſibus incurritur. Ibid. §.1.
Pœna rebellium. p. 3. c. 2. §. 3. & p. 5. c. 13. §. 3. Quibus modis incurritur. Ibid. § 1.
Pœna recurrentium ad Seculares. p.3. c.5. §.3.
Pœna revelantium Secularibus, quæ intra Monaſteria fiunt. p. 1. c.7. §.9. & p.4. c.21. §.15.
Pœna ſuſpenſionis dupliciter. p. 5. c. 9. §. 1. Pœna ſuſpenſionis infligenda. Ibidem §.2. Pœna ſuſpenſionis ipſo facto. Ibidem §.3. Quo modo intelligendum eſt ipſo facto. Ibidem §.4.
Pœna uſurpantium Majorum Officia, & auctoritatem. p.3. c.2. §. 3. & p.5. c.13. §.5. Quibus caſibus incurritur. Ibidem §.2.
Pœnitentiam graviorem facientes confortandi ſunt. p.5. c.5. §.4. Non licet facienti pœnitentiam graviorem alloqui cum aliis, nec alii cum illo. Ibidem §.2. & 3.
Pœnitentia jejunii in pane, & aqua quomodo facienda. p.5. c.4. §.2.
Poſſeſſiones nullus Frater poteſt poſſidere, & ſi aliquo modo alicui deveniant, Communitati applicentur. p.1. c.2. §.14.
Præcedentia, vide Graduatos.
Prædicatores, a quibus, & quales promovendi. p.1.c.10.§.7. Quæ ſint ab eis vitanda. Ibidem §.7.8. & 9. Qui debent inſtitui Prædicatores. Ibid.§.10. in quibus locis conſtituendi, & quo tempore prædicare teneantur. p.1. c.18. §.8. In Quadrageſima nullo modo comedant carnes. p.1. c.4. §.2.
Præſidens Capituli Provincialis, non poteſt eligi Provincialis. p.4.c.15.§.3.
Præſidens electioni Prioris, non poteſt eligi in Priorem. p.4. c.22. §.2.
Priore Locali mortuo, quid agendum. Ibidem §.1
Priores Locales Conventuum, in quibus non ſunt quinque Vocales, non ſint de gremio Capituli Provincialis. p.1. c.2. §.4. & p.4. c.10. §.4. Priores Locales non poſſunt ire, aut mittere Fratres ad terminos alterius Prioratus. p.1. c.9. §.16. Incedentes ſine obedientia tenentur incarcerare, & Provincialibus ſuis intimare captionem. Ibidem §. 7. Poſſunt Vicarios ad ſuum libitum extra Capitulum Provinciale inſtituere. p.2. c.3. §.3. Quomodo recipere debeant bona Communitatis. p.2. c.10. §.2. Officium Expenditoris non faciant. Ibidem §.3. Non abſcondant bona Conventus, nec faciant quietantias, niſi in præſentia duorum Fratrum. Ibidem §.10. & 11. Quæ teneantur ad Capitulum Provinciale deferre. p.4. c.11. §.3. Qui Priores inſtituendi ſint a Diffinitoribus Capituli Provincialis, & qui a Conventibus ſuis. p.4. c.19. Per triennium inſtituantur. Ibid. §.4. Qui non poſſunt eligi in Priores. Ibid. & c.22. §.2.3. & 4. Prioribus remanentibus in Conventu tempore Capituli Provincialis, non eligantur alii Vicarii, ipſi tamen nihil mutare poſſunt poſt electionem Socii. Ibid. c.23. §. . Socii eorum tenentur dare eis copiam culparum probatarum contra eos. Ibid. §.5. Poſſunt cum Conventu recipere ad participationem beneficiorum ſui Conventus. c.29. Poſſunt etiam excommunicare. p.5. c.11. §.5. Tenentur facere obſervari iſtas Conſtitutiones. p.5. c.ult. Priorum electio, & confirmatio. p.4. c.22. §.5.
Prior Generalis, vide Generalis.
Prior Provincialis, vide Provincialis.
Prioris Localis Officium, vide Officium.

Prioriſſæ Monialium quomodo eligendæ, cujus ætatis, & quantum in Officio manere debeant. p.3. c.12. §.7.8. & 10.
Privatio vocis, & locis dupliciter. p.5. c.7. §.1. Privatio vocis, & loci influgenda, quibus modis incurritur. Ibid. §.2. Ipſo facto, quibus modis incurritur. Ibid. §.3. Quomodo intelligendum eſt, ipſo facto. Ibid. §.4.
Privatus voce, & loco non interſit electionibus. p.4.c.24.§.1. & p.5.c.7.§.5. Quem locum tenere debeat. p.5. c.7. §.6. Privatus voce, & loco, non tenens ultimum locum, inhabilis eſt ipſo facto ad recuperandum locum. Ibid. Privatus voce, & loco non eſt ille, qui incarceratus eſt per modum cuſtodiæ, & non per modum pœnæ. p.5. c.6. §.4.
Probationes, & inquiſitiones accuſati debent fieri in abſentia ejus, accuſationes vero in præſentia. p.4. c.21. §.9.
Procedere tenetur celeriter Præſidens in inquiſitionem culparum incarcerati per modum cuſtodiæ. p.5. c.6. §.4.
Procuratores, & Expenditores nullam fraudem, aut falſam adnotationem conſcribant. p.1. c.2. §.10.
Procuratores Generales duo alii præter Romanum. p.2. c.4. §.11.
Procuratores, ſeu Vicarii locorum novorum non habentium Fratres cum voce, & loco, numerum quaternarium excedentes, non habeant locum in Capitulo Provinciali. p.1. c.2 § 4. & p.4. c.10. §.3.
Procurator Generalis Romanus, & Priores immediate ſubjecti Generali inſtituantur in Diffinitorio Generalis Capituli. p.4. c.7. §.2.
Procurator Generalis Romanus juret fidelitatem perſonæ, & Officio Generalis. p.2. c.1. §.5.
Procuratoris Generalis Romani Veſtiarium. Ibid. §.11.
Profeſſandi modus. p.4. c.26.
Profeſſi non exiſtentes in Sacris, non interſint electionibus. p.4. c.24. §.1.
Profeſſionem petendi modus. p.1. c.15. §.1.
Profeſſi pro quovis crimine non poſſunt expelli ab Ordine ſine Generalis licentia. p.3. c.1. §.11.
Profeſſi quando culpas dicere debeant in Capitulo. p.4. c.21. §.1.
Profeſſorum clauſura, & educatio. p.1. c.15. §.2.3.4.5. & 6.
Profitentium ætas. p.1. c.14. §.1.
Profitentium ætates habeantur authenticæ, & deſcribantur in libro Conventus, ſub pœna excommunicationis. p.1 c.15. §.7.
Profugos quis poteſt liberare. p.3. c.1. §.6. Pœna, qua puniendi ſunt. Ibidem §.5. & 8.
Promoti ad lecturam Sententiarum, non præſumant accipere Magiſterium ſine licentia Generalis. p.1. c.17. §.5.
Promovendorum ad Sacros Ordines conditiones, & licentia. p.1.c.15.§.8.
Proprietariorum pœna. p.3. c.11. §.11. & p.5. c.15. §.2. Quibus modis incurritur pœna Proprietariorum. p.5. c.15. §.1.
Proprietatis vitium a Monialibus cavendum. p.3. c.12. §.15.
Proprietarius in morte. p.1. c.20. §.1.
Provinciæ in Ordine quot, & quæ. p.1. c.2. §.1.
Provinciæ ſingulæ poſſunt mittere Studentes ad ſtudia generalia. p.1.c.17.§.2.
Provincialis auctoritatem habet Novitios recipiendi, & receptos profeſſandi. p.1. c.13. §.4. & p.2. c.2. §.1. Ad Sacros Ordines Profeſſos promovendi, & ordinatos ſine ſua licentia a ſuſpenſione abſolvendi. p.1. c.15. §.10. & p.2. c.2. §.1. Excommunicandi. p.5. c.11. §.5. Et quos ipſe excommunicavit, abſolvendi. Ibid. §.7. Excommunicatos abſolvendi.
p.1.

p.1. c.10. §.5. Profugos recipere, & excommunicatos pro apoſtaſia abſolvendi, & diſpenſandi ſuper irregularitatem incurſam propter celebrationem in apoſtaſia. p.2. c.2. §.1. & p.3. c.1. §.6. & 8. Literas Confraternitatis ſuæ Provinciæ concedendi. p. 2. c. 2. §. 1. & p.5 c.27. Viſitandi per ſe, vel per alium Provinciam. p.2. c.2. §.1. & c.5. §.1. Fratres ſuæ Provinciæ tranſmutandi. p.2. c.2. §.2. & p.3. c.5. §.5. Fratres extra Provinciam mittendi, & privilegia, & alias res de Conventu in Conventum transferendi. p.2. c.2. §.3. Priores pro demeritis abſolvendi. Ibidem §.4. & p.2. c.3. §.2. Remittendi Fratribus aliquas pœnas. p.2 c.2. §. 6. Monaſteria Monialium viſitandi. p.1.c.7.§.5. Monialium curam habendi. p.3. c.12. §.23. Decernendi de caſibus, in quibus carentes voce, & loco poſſunt audire confeſſiones. p. 1. c. 10. §. 4. Prædicatores examinandi, & licentiam dandi. p.1. c.10. §.7. & c.18. §.8. Laicos recipiendi, Ibidem c.13. §.5. Incarceratos propter ſuſceptionem Ordinum ante ætatem legitimam liberandi. Ibidem c.15. §.8. Ordinandi Regentes in Conventibus habentibus duodecim Sacerdotes. Ibidem c. 18. §. 3. Licentiam dandi Vocalibus Capituli Provincialis, ut ante vigiliam vigiliæ locum Capituli intrare poſſint. p.4. c.10. §.11. Eligendi Socium ad ſuum nutum. Ibidem §.2. & c.17. §. 3. Et bona apoſtatarum in uſus communes Provinciæ convertere. p.3. c.11. §.9.

Provinciales electi extra Italiam, & intra, quandiu, & quomodo expectent confirmationem. p. 2. c. 2. §. 19. & 20. Abſolvuntur Provinciales redditione Sigilli, & traditione ejuſdem inſtituuntur. p.4. c.8. §.1. Propter quæ, & quando poſſint deponi a Capitulo Provinciali. Ibidem c.14. §.1. Quando poſſint Fratribus ſuæ Provinciæ vocem, & locum reſtituere in Capitulo Provinciali. Ibidem c.19. §.11. Tenentur ad Capitulum Provinciale deferre culpas in viſitatione inventas. Ibidem §. 10. Tenentur venire ad Capitulum Generale. p.4. c.1. §.1. Si ex cauſa non poſſit intereſſe Capitulo Generali tenentur mittere Sigillum. Ibidem c.8. §.1. Habent vocem Provinciales in electione Diffinitorum Capituli Provincialis. Ibidem c.13. §.2. Et in electione Vicariorum Provincialium tempore Capituli Generalis. Ibidem c.18. §.1. Tenentur ſubſtituere alios Vicarios, tempore Capituli Generalis caſu fortuito. Ibidem §.2. Et ſi ipſi non vadunt ad Capitulum Generale, tenentur per ſe Provinciam cuſtodire, Ibidem §.5. Tenentur reddere rationem in Capitulo Provinciali de receptis, & expenſis pro negotiis Provinciæ. p.2. c.11. §.3. Tenentur facere cuſtodire Conſtitutiones has. p.5. c.ult. Proceſſus facere. p.2.c.2.§.8. Informare de ſua Provincia. p.2.c.2.§.15.

Provincialibus prohibetur, Priores Locales deponere ad libitum. p.2.c.2. §.4. Et pro culpis etiam deponere, ſi intra menſem Capitulum Provinciale eſſet celebrandum. Ibidem §.6. Certas pœnas remittere Fratribus. Ibidem. Fratribus licentiam concedere, quod ad dignitates, aut Officia extra Ordinem promoveantur, aut quod non interſint Horis Canonicis. Ibidem §.9. & 10. Fratres alterius Provinciæ ad Sacros Ordines accipiendos licentiare. Ibidem §. 12. Prohibetur etiam morari in Conventibus exemptis. Ibidem §.13. Et Fratres a ſua Provincia expellere, apoſtataſque recipere. Ibidem §.14. Officiumque in Italia exercere ante confirmationem. Ibidem §.20. Prioribus, & Vicariis novorum locorum ſine Sociis in Capitulo Provinciali vocem dare. p.4. c.10. §. 3. Priores novos, & Socios pro abſentibus inſtituere. Ibid. §.5. Priores Locales ad libitum providere pro deficientibus. p.4.c.21 §.1. Admittere renunciationes. p.2. c.2. §.11.

Provinciali mortuo, quid agendum. p.4. c.12. §1. & c.18. §.6. 7. & 8.
Provincialis ante confirmationem, non vocetur Provincialis, ſed electus Provincialis. p.4. c.5. §4.
Provincialis electio. Ibidem.
Provincialis non eligatur, niſi nominatus a Generali. Ibidem §.2.
Provincialis non poteſt reeligi in eadem Provincia, niſi per ſexennium vacaverit. Ibidem §. 3.
Provincialis quando tenetur Officium deponere. p.2. c.2. §.16.
Provincialis quid agere teneatur pro Capitulo Provinciali futuro. Ibidem §. 17.
Provinciales titulares. p.1. c.19. §.7.
Provincialium culpæ quando ſunt audiendæ in Capitulo Generali, & quando puniendæ. p.4. c.4. §.2. & 5. §.2.
Puellæ non ſunt recipiendæ coactæ in Moniales. p.3. c. 12. §. 1. Et quantæ ætatis debeant eſſe, ac qua licentia ſunt recipiendæ. Ibidem.
Puellæ non ſint recipiendæ a Prioriſſa educationis gratia ſine licentia Generalis. p.3. c.12. §.14. Earum confeſſiones audiantur a Confeſſariis Monialium. Ibidem.
Pulmentum coctum cum carnibus quando licet comedere. p.1. c.4. §.2.
Pulſato ſigno ad Capitulum Conventuale omnes convenire teneantur. p.4. c.21. §.1.
Purgatio canonica quomodo, & quando facienda. p.3. c.9. §.3. 4. & 5.

## Q

QUæſtores, terminarii, & Procuratores omnia integre præſentent Conventui. p.3. c.11. §.8.
Quæſtus non fiant, aut permittantur extra terminos Conventus, vel Provinciæ. p.1. c.2. §.8.
Querelæ non ſunt faciendæ Superioribus majoribus, niſi in defectu Superiorum immediatorum. p.1 c.9. §.12.
Quietantiæ ſub Sigillo Prioris non ſunt faciendæ, niſi in præſentia unius Cuſtodis, & alterius Fratris. p.2 c.10. §.11.

## R

RAſuræ, ſive tonſuræ quando fieri debeant, ubi, & quomodo. p. 1. c.8. §.2. & 4. & p.2. c.3. §. 9.
Rationes Conventus, vide Computa.
Rationes expenſarum factarum pro negotiis Ordinis, a quibus, & coram quibus reddendæ. p.4. c.7 §.3.
Rationes expenſarum factarum pro negotiis Provinciæ, a quo, & coram quibus reddendæ. p.4. c.19. §.12.
Rebelles qua pœna puniendi. p.3. c.2. §.3. & p.5. c. 3. §.5. Quibus modis incurritur. p.5. c.13. §.1.
Receptio ſolemnis Prioris Generalis. p.2. c.7.
Receptio Viſitatorum. p.2. c.5. §.1.
Recipere aliquid pro ſigillatione literarum prohibetur. p.4. c.8. §.5.
Recurrentium ad Judices extraneos pœna. p.3. c.5. §.3.

Recurſus ad extraneos pro gratiis obtinendis prohibetur. par. 3. cap. 5. §. 1. 2. 3. & 4.
Redditus cujus auctoritate, & pro qua re vendendi. p. 1. c. 2. §. 15.
Redditus, ſive cenſus ad vitam, qualiter emendi. Ibidem §. 16.
Refectiunculæ in Refectorio quando permittuntur. p. 1. c. 4. §. 2.
In Refectorio quo ordine, & honeſtate manendum, & quando inde recedendum. p. 1. c. 4. §. 4. & ſeqq.
Refectorium, vide Comeſtio.
Regentes, in quibus Conventibus conſtituendi, & quod illorum munus. p. 1. c. 18. §. 3. & 4. & ſeqq.
Regentes, quibus expenſis conducendi. p. 1. c. 19. §. 16.
Regula noſtra, in fine Conſtitutionum.
Regulam tradidit Albertus Fratribus noſtris. p. 1. c. 1. §. 2.
Reincidens in crimine, pro quo caruit, vel caret voce, & loco, carceri mancipandus eſt. p. 5. c. 6. §. 3.
Replicare non debet accuſans, vel admonens in Capitulo Conventuali, ſi non interrogetur. p. 4. c. 21. §. 1.
Requirentium conſilia Advocatorum pœna. p. 3. c. 5. §. 3.
Reſpondentes nimis impatienter, dum accuſantur, aut furibunde, gravius puniantur. p. 4. c. 21. §. 4.
Revelans ſecreta Monaſterii, qua pœna puniendus. p. 1. c. 7. §. 9. & p. 4. c. 21. §. 15.
Revelantibus ſecreta Monaſterii, ultra alias pœnas, anathema, & maledictio. p. 1. c. 7. §. 9.
Revelare in genere exceſſus factos, & requirere Majorem de inquiſitione maleſactorum, cuilibet licet. p. 4. c. 21. §. 10.
Rubricæ Breviarii, aut Miſſalis quotidie legantur. p. 1. c. 3. §. 3.
Romam venire ſine licentia &c. p. 1. c. 9. §. 8.

# S

SAcerdotes quando in Capitulo dicere debent culpas. p. 4. c. 21. §. 1.
Sacrilegi, vide Artifices.
Sacriſtæ electio, quo modo facienda. p. 4. c. 24. §. 9. A quibus, & ubi eligendus. p. 2. c. 9. §. 1. Quanta debeat eſſe ejus cura in cuſtodiendis Eccleſia, & rebus ſibi commiſſis. Ibidem. Prohibetur illi accommodare apparamenta, & alia. Ibidem §. 2. Servare Reliquias. §. 3. Annotare Sacerdotes celebrantes. §. 4. Quomodo poſſit facere expenſas pro Sacriſtia. §. 6.
Sanguinis emiſſio, vide minutionem.
Scandaloſæ perſonæ non ſunt recipiendæ ad Confraternitatem Ordinis. p. 4. c. 29.
Scapularis linguarum modus. p. 3. c. 8. §. 8. Ejuſdem uſus. Ibid. §. 1. 2. & 8.
Scripturæ teſtamentorum, ſive inſtrumenta quæcumque quomodo tenenda. p. 1. c. 2. §. 12. Eiſdem cuſtos idoneus deputandus. p. 2. c. 3. §. 4.
Secreta Monaſterii, neque nutu revelanda. p. 1. c. 7. §. 9. & p. 4. c. 21. §. 15. Revelans ipſa, eſt ipſo facto excommunicatus, & privatus voce, & loco. p. 4. c. 21. §. 15.
Secreta, vide Anathema, & maledictio.
Secularium familiaritas quantum cavenda. p. 1. c. 7. §. 5.

Sedere in Choro quando prohibetur. p.1. c.5. §.12.
Semifratres, vide Laicos.
Sepultura Eccleſiaſtica privantur Proprietarii. p.3. c.11. §.11.
Sermo habendus pro Capitulo Generali. p. 4. c.4. §.1. Idem pro Capitulo Provinciali. Ibid. c.11. §.1.
Sigilla Ordinis, & cujuslibet Provinciæ quomodo ſervanda ſint. p.4 c.8. §.3.
Sigilla quatuor in Ordine, ſcilicet Capituli Generalis: Sigillum Officii Prioris Generalis: & Sigillum Communitatis Ordinis, quo utitur etiam Vicarius Generalis: Quartum Procuratoris Generalis. Infra, in fine Tabulæ, Capite de expreſſione quatuor Sigillorum.
Sigilla tria in qualibet Provincia, ſcilicet Capituli Provincialis. p. 4. c.8. §.3. & c.18. §.5. Sigillum Officii. Ibidem. Et Sigillum Vicarii Provincialis. p.4. c.18. §.5.
Sigilla tria in quolibet Conventu, videlicet Capituli Conventualis. p.1. c.23. §.1. & p.4. c.23. §.5. Sigillum Officii Prioris. p.2. c.10. §.11. Et Sigillum Vicariatus. p 1. c.23. §.2.
Sigillorum falſarii pœna. p.1. c.23. §.3. & p.5. c.15. §.3.
Sigillorum uſus prohibetur Fratribus. p.1. c.23. §.4.
Sigillo Vicarii utitur Provincialis, remanens Provincia, tempore Capituli Generalis. p.4. c.18. §.5.
Sigillum commune Capituli Generalis una cum papyro, ſeu libro Ordinis, quibus Sigillis, & ubi debeat cuſtodiri. p.4. c.8. §.3.
Sigillum commune Capituli Provincialis, una cum papyro, ſeu libro Provinciæ, quibus Sigillis, & ubi debeat cuſtodiri. Ibidem.
Sigillum Generalatus, ſeu Religionis a quo accipiendum, & cui tradendum, mortuo, vel aſſumpto Generali. p.4. c.3. §.4.
Sigillum tenens Generalis juret fidelitatem ipſi. p.4. c.8. §.4.
Silentium in Capitulo Conventuali ſervandum eſt. p.4. c.21. §.7.
Silentium quando, & ubi ſervandum. p.1. c.5. §.1. 2. & 3.
Socii electi ante ſeptem dies receſſus Prioris a Conventu, non habent locum in Capitulo Provinciali. p.4. c.10. §.7.
Socii Generalis electi ad ſuum nutum, habent vocem in Capitulo Generali etiam ipſo amoto. p.4. c.1. §.1.
Socii Generalis tenentur jurare fidelitatem ei. p.2. c.1. §.2. & p.4. c.8. §.4.
Socii pro Capitulo Generali quando eligendi. p.4. c.16. §.1. Qui eligendi. Ibidem §.2. A quibus eligendi. Ibidem §.1. & 3. Et quo modo eligendi ſint. Ibidem §.4.
Socii pro Capitulo Provinciali quando, & a quibus eligendi. p.4. c.23. §.1. & 2.
Socii pro itinere aſſignati non mutentur, nec disjungantur aſſignati. p.1. c.9. §.11. & 15.
Socii Priorum non recedant ad Capitulum niſi poſt tres dies &c. p.4. c.23. §.8.
Socii Priorum pro Capitulo Provinciali tenentur inquirere de culpis contra Gremiales Capituli Generalis propoſitis. p.4. c.23. §.6.
Socii quorumcumque Superiorum prohibentur accipere aliquid pro ſigillatione. p.4. c.8. §.6.
Socii tenentur præſentare omnia præſentanda, in ſcriptis, ſub communi Sigillo. p.4. c.23. Aliter accuſanti non credatur. Ibidem.
Sociorum omnium locus. p.4. c.17. §.2.
Sociorum pro Capitulo Provinciali auctoritas. p.4. c.10. §.3.
Sociorum Provincialium pro Capitulo Generali, & Diffinitoris auctoritas, & electio, p.4. c.1. §.1. & 2. & c.16, §.4. & 5. & c.23. §.6.
Socius

Socius Prioris ituri ad Capitulum Provinciale quomodo, & quando eligendus. p.4. c.23. §.1. & 2. A quibus eligendus. Ibidem. Debet inquirere diligenter de culpis Prioris. Ibidem §. 5. Tenetur dare Priori copiam culparum contra eum probatarum. Ibidem. Inquirere tenetur de culpis contra Gremiales Capituli Provincialis propoſitis. Ibidem §. 6. Habere debet literas ſuæ electionis. Ibidem §. 9. In Capitulo Provinciali non credatur Socio, niſi de culpis ſcriptis. Ibidem §.10.
Soli Fratres prohibentur ire, & mitti. p.1. c 9. §.15.
Sortilegi, vide Artifices.
Statuta contraria iſtis, aut Regulæ diſſonantia, revocantur. p.5. c.ult.
Studentes ad ſtudia generalia mitti non poſſunt ſine licentia Generalis. p.1. c.17. §.2. Subveniendi ſunt a Conventibus, quorum ſunt filii, per ſexennium. Ibidem. Si per triennium non proficiant, revocandi ſunt. Ibidem §. 12. Studentes non mittantur extra Provinciam pro Logica audienda. Ibidem §.2. Neque ab Italia, ultra Montes, Ibidem. Neque promoveantur ſine licentia Generalis. Ibidem. Qui Conventus habere teneantur Studentes. Ibidem. Qui Studentes promoveri prohibeantur, & qui promoti privandi. Ibidem §. 3. Nullus Studens promoveatur, niſi præſentatus a Diffinitoribus Capituli Provincialis. Ibidem. Studentium exercitia, qualia, & quanta; cum pœna negligentium. p.1. c 18. §.4. & 5. Studentes extra Provinciam non interſint electionibus. p.4.c.24.§.6. In ſtudiis vero ſuæ Provinciæ intereſſe debent Ibidem §. 7. Omnes Studentes in ſtudio Pariſienſi habent vocem in electionibus. Ibidem.
Studia generalia quot, & quæ. p.1. c. 17. §. 1. Studiorum lectiones quæ, & quando inchoandæ, & terminandæ. Ibidem §. 7. Qui Doctores imitandi ſunt. p.1.c.18.§.4. A ſtudiis generalibus ſine licentia Generalis non ſunt revocandi Studentes. p.1. c.17. §.4.
Studia Linguarum. p.1. c.18.
Studium Medicinæ quomodo prohibeatur. p.1. c.20. §.8.
Subornator non interſit electionibus. p.4. c.24. §.8.
Subpriore remanente in Conventu, nullus alius eligatur in Vicarium tempore Capituli Provincialis. p.4. c.23. §.3.
Subprioris electio quomodo facienda. p.2. c.8. §.1. & p.4. c.24. §.9. In quibus locis eſt eligendus, & qualis. p.1. c.8. §.1. Ejus Officium, præſente, & abſente Priore. Ibidem §. 2. & 3. Ejus locus. Ibidem, & p.1. c.19. §.4. Quando remaneat Vicarius Conventus. p.2. c.8. §.2.
Subprior debet callere Ceremoniale. p. 2. c. 8. §. 3. Annotare qui non interſunt Choro. Ibidem §.4.
Succeſſio Ordinis ab exordio continuata. p.1. c.1. §.1.
Suffragia facienda pro defunctis Fratribus, pro Patronis, pro Domino Papa, & pro Domino Protectore. p.1. c.21. §.1. 2. 3. & 5. Suffragia facienda ter in anno pro Benefactoribus vivis, & defunctis. Ibidem §. 4.
Superiores juvandi ſunt ab omnibus contra contumaces, inobedientes, & rebelles. p.3. c.2. §.2.
Superiores quicumque accipientes aliquid quo minus procederetur contra criminoſos, qua pœna puniendi. p.2. c.5. §.3.
Suſpecti de peccato carnis, ſive cum fœminis, ſive cum maſculis, qui cenſendi. p.3. c.7. §.2. & 4.
Suſpenſionis pœna duplex. p.5. c.9. §.1. Quibus caſibus incurritur infligenda. Ibidem §.2. Quibus caſibus incurritur ipſo facto. Ibidem §. 3. Quomodo intelligi debeat ipſo facto. Ibidem §. 4.

Suſpe-

Suſpectum contrà fidem, vel Eccleſiam, qui tardaverit denunciare, qua pœna puniendus. p.3. c.6. §.2.
Suſpicio an ſit violenta, a quo judicanda ſit. p.3. c.9. §.3.
Suſpicioni violentæ non conceditur purgatio canonica. Ibidem, & p.4. c.20. §.12.

# T

TAbula Miniſtrorum, & divini Officii habenda, a quo diſponenda, & ubi legenda, & ab omnibus ſervanda. p.1. c.3. §.13. & 24. & p.2. c.8. §.5. Qui ſcribendi in illa. p.1. c.19. §.11.
Tabula Regulæ, & Bullarum, in fine Conſtitutionum.
Taxæ Prioris Generalis, & Procuratoris Generalis, vide Veſtiarium.
Ternaria quot, & quando facienda. p.1. c.21. §.4.
In Terra comedere panem, & aquam quo modo faciendum. p.5. c.5. §.6.
Teſtamenta, vide Scripturas.
Teſtes contra Priorem Localem quomodo celandi. p.4. c.23. §.5.
Teſtes falſi graviter puniendi. p.3. c.8. §.5.
Teſtes, vide accuſator.
Teſtificantes contra aliquem non revelentur accuſato, ſed tantum teſtificationes. p.4. c.23. §.6.
Titulus Ordinis. p.1. c.1. §.1.
Torqueri qui, & quomodo poſſint. p.4. c.21. §.11.
Tunicæ forma, & color. p.1. c.12. §.1.
Tunicellæ albæ forma. Ibidem §.2.

# V

VAdens ad Majorem ſuum, quo modo non ſit Apoſtata. p.3. c.1. §.1.
Vela ſerica, & criſpata prohibentur Monialibus. p.3. c.12. §.18.
Velum nigrum quibus Monialibus dandum, & quo dandum. p.3. c.12. §.5.
Veſtiarium Generalis, & Procuratoris Romani. p.2. c.1. §.9. 11. & 12.
Veſtimentorum, & calceamentorum Fratrum qualitas, & forma. part.1. cap.12. §.1. 2. 3. 4. 5. 6. & 8.
Veſtimentorum Laicorum, & Semifratrum forma. p.1. c.16. §.2.
Veſtium genera, quæ prohibentur. p.1. c.12. §.1. 4. 5. & 6.
Vicarii Conventus tempore Capituli Provincialis electio. p.4. c.23. §.3.
Vicarii Generalis inſtituendi in Provinciis Tranſalpinis. p.2. c.4. §.10.
Vicarii Generalis Officium, vide Officium.
Vicario Generali quid prohibeatur contra Priores Conventuum. p.2. c.4. §.6. 7. & 8.
Vicarius Conventus non eſt eligendus tempore Capituli Provincialis, Priore, aut Subpriore remanente in Conventu. p.4. c.23. §.3. & 4.
Vicarius eligatur a Provinciali tempore Capituli Generalis non obſtante electo a Capitulo, & ejus auctoritas. p.4 c.18. § 2. 3. & 4.
Vicarius Generalis quis ſit mortuo, vel aſſumpto Generali. p.4. c.3. §.1.
Vicarius miſſus a Generali ad Capitulum Generale quouſque præſideat. p.4. c.2. §.1.
Vicarius Provinciæ quam auctoritatem habeat, remanente Provinciali, vel mortuo. p.4. c.18. §.5. 7. & 8.
Vica-

Vicarius Provinciæ tempore Capituli Generalis quo modo eligendus, & eius auctoritas. p.4. c.18 §.1. 2. 3, 4. 5. 7. & 8.
Vinum, panem, & quid ſimile extra Conventum mittere prohibetur. p.1. c.4. §.11.
In Virtute Sanctæ Obedientiæ, quæ præcipiuntur. & tranſgredientes qua pœna puniendi ſunt. p.5. c.13. §.4. & 5.
Viſitatio Monialium qualis eſſe debeat. p.3. c.12. §.19.
Viſitationis exordium. p.2. c.6. §.1. & 2. Viſitationis finis. Ibidem §.7. Viſitationis proſecutio. Ibidem §.3. & 4.
Viſitatores, de quibus teneantur inquirere. p.2. c.6. §.5. & 6.
Viſitatores miſſi tenentur oſtendere literas ſuæ commiſſionis. p.2. c.5. §.2. Quid eis prohibeatur. Ibidem §.2. & 3. Eorum Officium. Ibidem §. 3. Qua reverentia, & obedientia recipiendi. Ibidem §.1.
Viſitatorum Monialium cura. p.3. c.12. §.19. Eorum Socii. Ibidem §. 20. Non accipiant munuſcula a Monialibus. Ibidem §.21. Non comedant in Monaſterio Monialium. Ibidem §.22.
Vocales, vide Electores, Gremiales, & Diffinitores.
Voce, & loco carentes, quando in Capitulo dicere debeant culpas: par.4. cap.21. §.1.
Vota plura nullus poteſt habere. p.4. c.24. §.9.
Vota, ſeu ſuffragia ſecreta pro Novitiis, & Profeſſis admittendis, aliiſque negotiis Conventuum deliberandis, quo modo accipienda. par.2. c.10. §. 6. 7. 8. & 9.
Uſurpantes Maiorum auctoritatem, qua pœna puniendi. p. 3. c. 2 §. 3. & p.5. c.13. §.5. Quibus caſibus incurritur. p.5. c.13. §.2.
Uſurpationes, vide Fraudationes.

# FINIS.

*REIMPRIMATUR*,

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*D. Jordanus Archiep. Nicomed. Viceſgerens.*

---

*REIMPRIMATUR.*

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius, Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

# DE EXPRESSIONE
# SIGILLORUM ORDINIS.

Quatuor ſunt Sigilla Ordinis generalia, unum Comitiorum Generalium: alterum Generalatus Officii: tertium, quod Communitatis appellatur, quo utuntur Vicarii, & Præſidentes Generales: quartum Officii Procuratoris Ordinis. Primum ſatis amplum, & rotundum, continens tres Sacræ Imagines, Dei Genitricis videlicet ſedentis, & tenentis in brachio ſiniſtro Filium, & Sanctorum ſtantium, eamdemque Dei Genitricem intuentium, Joannis Baptiſtæ ad dexteram, induti brevi tunica pellicea, & geſtantis altera manu Agnum, altera vero Crucem, & Alberti Depranitæ ad ſiniſtram, etiam geſtantis altera manu librum clauſum, altera ſimiliter Crucem. Habet etiam ad pedes ejuſdem Dei Genitricis ſex Fratres Ordinis, tres utrimque genuflexos: & circa Sigillum leguntur hæc verba: *Sigillum Capituli Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli*. Quanta diligentia cuſtodiendum ſit, habetur. par. 4. cap. 8. §. 3.

Secundum non minoris magnitudinis, ſed oblongum, continet ſolam Sacram Imaginem Dei Genitricis ſedentis, & tenentis Filium in brachio dextero; & ſub illius pedibus ad latera duo habentur inſignia mobilia, alterum Religionis ad partem dexteram, alterum Familiæ Generalis pro tempore exiſtentis, atque in eorum medio Imago Prioris Generalis genuflexi. Verba vero, quæ ipſum Sigillum ambiunt, hæc ſunt: *Sigillum Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum*.

Tertium, quod Communitatis dicitur, rotundum eſt, & minus prioribus ad medietatem, eſtque geminatum: nam ex utraque parte Sigillum habetur ejuſdem tituli, licet diſſimilis magnitudinis, & diverſi numeri figurarum; nam in majore tres Sacræ Imagines inſculptæ ſunt, Dei Genitricis videlicet ſedentis, coronatæ duodecim Stellis ſupra Diadema, & tenentis Filium in brachio dextero: & Sanctorum ſtantium, Alberti ad dexteram, & Angeli ad ſiniſtram cum ſuis inſignibus confeſſionis, & martyrii: in minore, ſola Dei Genitrix ejuſdem formæ continetur. Literæ vero utraque Sigilla ambientes, eædem ſunt, videlicet: *Sigillum commune Carmelitarum*.

Quartum eſt magnitudinis aliquantulum minoris Sigillo Patris Generalis pariter oblongum, quo utitur P Procurator Generalis continens inſculptam Imaginem Gei Genitricis ſtantis, Filiumque in dextero brachio geſtantis, & duodecim Stellis coronatæ: ſub cujus pedibus extat Luna, & a ſiniſtra Imago ipſius P. Procuratoris genuflexi, cum iſtis verbis ambientibus: *Procuratoris Generalis Carmelitarum*.

# N O T A.

Ubi in margine invenitur notatum. *Vid. Append. n.* recurrendum eſt ad Appendicem Decretorum Capitulorum Generalium in fine harum Conſtitutionum poſitam.

Item literæ in aliquibus locis interpoſitæ indicant Notas, quæ in fine paginarum in hac noviſſima editione ſunt adjectæ.

# INCIPIUNT CONSTITUTIONES FRATRUM ORDINIS BEATISSIMÆ DEI GENITRICIS MARIÆ DE MONTE CARMELI.

## CAPUT I.

*Qualiter reſpondendum ſit quærentibus, quando, aut quomodo Ordo noſter ſumpſit exordium: Et quare dicimur Fratres B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli.*

1. CUM quidam Fratres noſtri Ordinis juniores, quærentibus, a quo, vel quomodo Ordo noſter ſumpſit exordium, vel quare dicimur Fratres Ordinis Beatiſſimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ de Monte Carmeli, neſciant ſatisfacere competenter, hinc eſt, quod in ſcriptis formam talibus reſpondendi volumus relinquere: & teſtimonium veritati perhibentes, dicimus: Quod a tempore Eliæ, & Eliſei ejus diſcipuli, Montem Carmeli, qui non longe ab Achon diſtat, devote inhabitantium, multi ſancti Patres, tam veteris, quam novi teſtamenti, ſolitudinis Montis ejuſdem, pro contemplatione cæleſtium, veri amatores, ibidem juxta Fontem Eliæ, in ſancta pœnitentia ſanctis ſucceſſibus continuata, ſunt proculdubio converſati laudabiliter, ac religioſe, prout teſtatur Joſephus Antiochenus libro de perfecta militia primitivæ Eccleſiæ c.XII. dicens: Perfectorum militum Chriſti, Apoſtolorum coadjutores ſurrexerunt ſtrenuiſſimi Viri, ſolitarii, contemplationi deditti, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei ſequaces, qui de Monte Carmeli deſcendentes, per Galilæam, Samariam, & Judæam, fidem Chriſti conſtantiſſime ſparſerunt: quique in Mariæ Virginis honorem, in Montis Carmeli declivio Oratorium fabricantes, Salvatoris Matri ſpecialiſſime ſervierunt. Et hac ratione ipſius titulum elegerunt, ut dicerentur Fratres Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli. Et ita deinceps per Apoſtolica Privile-

*A quibus Religio Carmelitana ſumpſit exordium.*

*Reg. 4. cap. 6.*

*Quare Carmelitæ dicti ſint Fratres B. Virginis.*

gia ſunt vocati. Quæ omnia fuſius enarrata leguntur in lectionibus a Sacra Rituum Congregatione approbatis, in Feſto Commemorationis ſolemnis B. V. ad Matutinas.

*Qui primo Fratrib. Carmelitis regulam ſcripſerit.*

2. Quos Albertus Eccleſiæ Jeroſolymitanæ Patriarcha, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, ante Concilium Lateranenſe in unum Collegium congregavit, ſcribens eis certam Regulam, approbatam per Papam Honorium III., anno ſui Pontificatus primo. ſal. anno Domini 1217. Et per Gregorium IX., anno ſui Pontificatus tertio, ſal. 1228. Et per Innocentium IV. anno 1245. Et per Alexandrum IV. anno 1256. Pontificatus ſui anno ſecundo. Et per Urbanum IV. anno ſuo primo 1262. Similiter per Nicolaum IV. anno ſuo ſecundo, die prima Julii, anno Domini 1289. Et per Bonifacium VIII. anno ſui Pontificatus ſecundo, ſal. anno 1294. Et multas Indulgentias dicto Ordini multi Pontifices conceſſerunt, atque plurima privilegia dederunt, ut patet in Mari magno. Primus quo ad Indulgentias fuit Leo Papa IV. anno Domini 848. Et Adrianus II. anno 867. Et Stephanus V. 885. Et Sergius III. anno 902. Unde ex antiquitate tantorum Pontificum, Privilegiorum, & Indulgentiarum, facillime excerpitur antiquitas, & approbatio Ordinis noſtri, atque origo Fratrum noſtrorum. In cujus Regulæ, & profeſſione Ordinis, nos eorum ſequaces uſque in hodiernum diem, auxiliante Virgine benedicta, in diverſis Mundi partibus Deo ſamulamur, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Et quia dignum, & juſtum eſt, ut Fratres prædicti Ordinis, qui ſub unius Regulæ profeſſione vivunt, uniformes in obſervantiis Regularibus inveniantur, ne forte alicui aliquid, ſua temeraria auctoritate, addere, vel minuere liceat, prædeceſſorum noſtrorum inſtituta, ſecundum quod Regulæ conſonant, & vitæ Fratrum convenire videntur, in ſcriptis commendare decrevimus, modo ſubſcripto.

*Qui Pontifices dictam regulam approbavere.*

*Qui Pontifices dicto Ordini Indulgentias conceſſere.*

*Quare Patres Ordinis has Conſtitutiones impreſſioni dederunt.*

# CAPUT II.

## *De receptione Locorum.*

*Quot, & quæ ſunt in toto Ordine Provinciæ.*

*Adde Prov. Terræ Lab., Montis San. Siciliæ, & Romæ, S. M. a Vita, Fluvii Januarii, Bahiæ, Bernabucii, Pe-*

1. IN primis declaramus, quod Religio noſtra habet trigintaquinque Provincias. Prima Terræ Sanctæ. Secunda Sancti Alberti. Tertia Angliæ. Quarta Narbonæ. Quinta Romæ. Sexta Franciæ. Septima Alemaniæ inferioris. Octava Lombardiæ. Nona Aquitaniæ. Decima Caſtellæ Novæ. Undecima Hiberniæ. Duodecima Provincia Provinciæ. Tertiadecima Scotiæ. Quartadecima Tuſciæ. Quintadecima Venetiarum. Sextadecima Toloſæ. Decimaſeptima Cataloniæ. Decimaoctava Alemaniæ ſuperioris. Decimanona Vaſconiæ. Vigeſima Turoniæ. Vigeſimaprima Saxoniæ. Vigeſimaſecunda Aragoniæ. Vigeſimatertia Neapolis. Vigeſimaquarta Portugal-

tugalliæ continentis ſub ſe Vicariam Braſilienſem. Vigeſimaquinta Romandiolæ. Vigeſimaſexta Daciæ. Vigeſimaſeptima S. Angeli. Vigeſimaoctava Bæticæ. Vigeſimanona Bohemiæ. Trigeſima Poloniæ. Trigeſimaprima Apuliæ. Trigeſimaſecunda Calabriæ. Trigeſimatertia Belgicæ. Trigeſimaquarta Aprutii. Trigeſimaquinta Caſtellæ Veteris. Habet inſuper Ordo noſter Congregationem Mantuanam, & Vicariam Sardiniæ.

*loniæ Minoris & Maj., Ruſſiæ, Lituaniæ, Flandro-Gallo, & Valle-Belgii, Scalæ, Vicariæ Marignonis, & Sileſiæ.*

2. Habuit etiam noſter Ordo Congregationem Diſcalceatorum primam Regulam profitentium, quæ tamen pro bono pacis in Capitulo Generali Cremonæ celebrato anno 1593. a Religione cum juriſdictionis renunciatione ſeparata fuit, hac conditione, ut ejus Superiores omnino in perpetuum non præſumant recipere Loca, vel Conventus Religionis noſtræ, etiamſi ſponte a Principibus, vel Civitatibus, ſeu Communitatibus eis exhibeantur, vel offerantur, quod ſi oppoſitum aliquando ipſos feciſſe compertum fuerit, ſeparatio ſit nulla, & irrita, nullumque jus omnino illis acquiſitum intelligatur. Quæ ſeparatio fuit poſtmodum confirmata a Clemen. VIII.

Congregatio Diſcalceatorum ſeparata fuit a Religione in Cap. Generali Cremonæ.

3. Poſt hæc ſtatuimus, quod nullus Frater accipiat locum novum Fratrum, aut Sororum, niſi de licentia Prioris Generalis, vel Capituli Provincialis, & accedente aſſenſu, & benedictione Reverendiſſimi D. Ordinarii (a), ſub pena gravioris culpæ aliter facere præſumenti infligenda. Quod ſi mora traheret periculum in acceptione Conventus, per Priorem Provincialem de conſenſu, aut aſſenſu trium, aut quatuor Priorum de confinio illarum partium, idem concedimus ordinari. Et tunc tales ad hæc facienda deputentur, qui opinionis bonæ, & diſcretionis habeantur.

Nullus accipiat locum pro Ordine noſtro, niſi &c.

4. Nec Frater ille, qui Fratribus ibi commorantibus præfuerit, Prioris, ſed Vicarii nomine cenſeatur uſque ad proximum Capitulum Provinciale, a quo novus locus erigi poterit in Prioratum, ſed nec ratione officii hujuſmodi ſit de gremio Capituli Provincialis niſi ſint ibi Fratres vocem, & locum merito habentes quaternarium numerum, eo comprehenſo, excedentes. Et idem volumus de antiquis Conventibus a numero quaternario deficientibus, niſi hoc contigiſſet noviter per peſtem, vel malevolam Fratrum ſeductionem, aut ſubtractionem. Neque Provinciales, ſub pœna depoſitionis permittant hujuſmodi Priores ſine ſubjectorum numero prædicto manentes in ſuis Capitulis Provincialibus vocem habere.

Qui Fratres in Capitulis Provincialibus vocem habere non valent.

5. Item omnia Loca noſtra, clauſura honeſta muniantur, antequam opus notabile inchoetur, ſub pœna gravioris culpæ per 20. dies infligenda tranſgreſſoribus; niſi forſan aliqua ſumma pecuniæ, pro aliqua determinata fabrica, eſſet contributa.

Loca Ordinis honeſta clauſura muniantur.

*Vide Appen. num. 1.*

6. Ubi autem Loca noſtra munita fuerint honeſta clauſura, nullus



(a) *Et licentia S. Sedis, ſaltem in Italia. Innoc. X. Conſt.* Reſtaurandæ.

Mulieres non poſſint ingredi clauſuram.

nullus Frater, ſive Prælatus, ſive Subditus præſumat mulieres cujuſcumque ſtatus, gradus, & ordinis, & conditionis quacumque dignitate, & præeminentiæ præditas, etiam Comitiſſas, & Marchioniſſas, & Duciſſas in ea introducere, vel admittere ſub pœnis contentis in Conſtitutionibus Pii V., & Gregorii XIII. Præterquam in caſibus ſequentibus (a), videlicet, quando in eis Miſſæ, & Divina Officia celebrantur, vel proceſſiones fiunt, vel Fidelium cadavera ſepeliuntur, ac etiam pro illis ſuffragia offeruntur, & ſimiliter, quando Divinum Verbum in Eccleſiis noſtris proponitur, vel propter aliam quamcumque cauſam tantus eſt concurſus populi, quod commode ingredi, & egredi per portam principalem Eccleſiæ non valent omnes, tunc enim poſſunt mulieres cum aliis ſæcularibus perſonis ingredi, & egredi per portam clauſtri Monaſteriorum, dummodo recto tramite ad portam, qua exitur a Monaſterio, accedant.

Caſus in quibus mulieres poſſunt ingredi clauſuram.

Nullum opus notabile inchoetur, nec aliquod perpetuum ædificium niſi de licentia.

7. Item nullum opus notabile inchoetur, niſi de licentia Prioris Generalis, vel Provincialis, ſine quorum conſenſu, nullum perpetuum ædificium inchoetur, ſub pœna depoſitionis ab officiis, & inhabilitationis venientium in oppoſitum.

Terminos alterius Conventus ingrediens, & Prior permittens Prioratus Officio privetur.

8. Item ſtatuimus, quod quicumque Frater terminos alterius Conventus, aut Provinciæ intraverit ad procurandum, vel aliqua procuraverit in præjudicium eorum, procurata reſtituat, ac loco, & voce careat ipſo facto. Et Prior mittens, aut ſcienter permittens, ab officio per Superiorem abſolvatur, & pœna gravioris culpæ per viginti dies puniatur. Item ſtatuimus, quod quicunque Frater terminum alteri Fratri ejuſdem Conventus ad quæſtuandum, vel aliud quidpiam agendum aſſignatum, contra Prioris & Conventus ordinationem intraverit, graviter puniatur, ad Prioris, & Seniorum Conventus arbitrium, ſecundum delicti exigentiam.

Nulli Priori, ſeu Procuratori licebit bona Conventus alienare, ſeu permutare.

9. Item prohibemus ne aliquis Prior localis, vel Procurator indebitet locum abſque inevitabili neceſſitate, ſine Prioris Generalis licentia, vel Provincialis ultra ſummam taxatam ab illis: nec vendat, commutet, vel quovis modo alienet poſſeſſiones, aut annuos cenſus Ordini acquiſitos, ſine conſenſu Prioris Generalis, vel Capituli Provincialis (b), ſub pœna depoſitionis ab officio, & inhabilitationis, tam Prioris, quam Clavariorum, & Patrum, ſi aſſenſum ad hoc præbuerint.

Uſurpantes, ſeu fraudantes reſtituant & puniantur.

10. Item ordinamus, quod ſi Provinciales, ſeu Viſitatores deprehenderint aliquem Expenditorem, ſeu Procuratorem, aut Priorem alicujus Conventus uſurpaſſe, vel defraudaſſe aliqua de bonis Monaſterii, aut introitum integre non adnotaſſe, aut expenſam indebite, & falſo multiplicaſſe, privatum omnibus bonis Religio-

(a) *Modo vetitum a Ben. XIV. Conſt.* Regul. Diſciplinæ.

(b) *Et licentia S. Sedis. Paulus II. Bulla* Ambitioſæ, *& S.C. Con.*

ligionis in carcerem conjiciant & detineant juxta quantitatem delicti, & inhabilitent ad officia Ordinis perpetuo, & indiſpenſabiliter: ſed ante omnia cogant, ut reſtituat, quæ uſurpavit.

11. Item ordinamus, quod pecuniæ exactæ reponantur in capſa communi, ſcilicet introitus Conventus, & hoc fiat ſtatim, neque in manu cujuſquam Miniſtrorum, ſeu exactorum retineantur, ſed exhibeantur Expenditori, quantum neceſſe fuerit pro expenſis Conventus peragendis, ſub pœna proprietariorum, & rebellionis.

*Nullus penes ſeſe teneat pecunias Conventus, ſed in arca communi.*

12. Item ſub eadem pœna eiſdem Prioribus, & Clavariis præcipimus, ut clauſulas teſtamentorum, & inſtrumenta rerum donatarum perpetuo, vel ad plures annos ſub publica forma redacta, habeant de manibus Notariorum extrahere, & in arca communi reponere. Volentes, qnod ea, quæ ſunt ad perpetuum ſic donata, vel ad plures annos, & etiam alia, quæ debentur extra, in aliquo libello de pergameno ad hæc ſpecialiter deputato ſcribantur, una cum Miſſis, & obligationibus perpetuis. Idem fieri de compoſitionibus, & pactis perpetuis, & quibuſcumque obligationibus ordinamus.

*Clauſulæ teſtamentorum, & inſtrumenta in arca communi reponantur.*

13. Item nullus Prior aut Frater res notabiles communitatis, etiam conſentiente Conventu, cuiquam Religioſo, aut ſeculari diſtribuat, abſque conſenſu Generalis, vel Provincialis, vel Capituli Provincialis, ſub pœna abſolutionis ab officio, & gravioris culpæ per XL. dies.

*Priori non licebit res notabiles communitatis cuiquam diſtribuere.*

14. Nullus Frater Ordinis, cujuſcunque gradus aut conditionis exiſtat, clam, vel palam ad ſpeciales uſus teneat per ſe, vel per alium, domos, hortos, agros, vineas, aut quamcumque poſſeſſionem immobilem, nec oves, boves, aut alia animalia, ſub pœna proprietariorum: ſed communitati applicentur. Declarantes, quod ſi talia bona ad aliquem Fratrem per hæreditariam ſucceſſionem, donationem, aut alium juſtum titulum deveniſſe viderentur, hujuſmodi bona de Prioris ſcitu, ut dictum eſt, communitati applicentur, quo ad proprietatem indilate, ſub pœna proprietariorum infligenda eo facto, tam Prioribus, quam Fratribus in hoc delinquentibus.

*Nullus Frater etiam de bonis paternis habere aliquid poterit: ſed omnia Conventui applicentur.*

15. Item præcipimus Prioribus Localibus & Clavariis, ne etiam conſentiente Conventu, ad vitam, vel perpetuo, aliquos redditus pecuniæ portionis, aut cujuslibet alterius rei, alicui vendant, niſi prius habito conſenſu Provincialis Capituli, aut ſolius Provincialis, caſu quo damno notabili non poſſet expectari conſenſus Capituli. Prohibemus non minus Provinciali, & Diffinitoribus Capituli Provincialis, ne conſenſum aut licentiam dent in præmiſſis, niſi pro emendo aliquo Hoſpitio, vel ſpatio terræ, Conventui manifeſte neceſſario, ſub pœna depoſitionis ab officiis eorum.

*Nulli redditus ad vitam venumdari poſſunt.*

16. Item

Non emantur cenſus ad vitam.

16. Item a nullo Fratre emantur cenſus ad vitam, a quacunque communitate, vel perſona religioſa, vel ſæculari, ſub pœna proprietariorum. Non prohibemus tamen, ſi Conventus obligat perpetuos redditus alicui perſonæ extra ordinem, quin Conventus poſſit redditus perpetuos redimendo procurare, vel emere tali perſonæ redditus, aut cenſus temporales extra ordinem, aut eidem ſolvere ad vitam.

Non aſſignetur uſus cameræ niſi, &c. *Vide Appen. num. 2.*

17. Item Prior, aut Conventus non poſſit quocunque pacto, alicui Fratri vel perſonæ cameram Conventus aſſignare, niſi prius deputatis & ordinatis certis cameris de melioribus pro Priore, Provinciali, & Locali, & Lectoribus in Conventu, & Hoſpitibus, & infirmis.

18. Prioribus Provincialibus & eorum Vicariis diſtricte præcipiendo mandamus, quod quando contigerit, propter novas domos, vel alias in ſuis Provinciis exiſtentes, aliquorum quæſtionibus moleſtari, & propter paupertatem Conventuum, illum, de quo fit querela, proprio adjutorio deſtitui, de aliis domibus ſuæ Provinciæ exhiberi faciant domibus hujuſmodi ſubſidium opportunum, quouſque pacis obtineant complementum, ſub pœna rebellium, tam Provincialibus negligentibus, quam aliis impedientibus infligenda. Inhibemus inſuper in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne aliquis Prior, Vicarius, aut alius Frater cauſam, vel quæſtionem incipiat, ſine aſſenſu Provincialis ſui, contra Principes, Prælatos aut quoſcunque alios, niſi abſque periculo & gravi damno ulterius differri non valeret: ut ſi eſſet appellatio facienda, vel aliud inchoandum ad cauſam pertinens, quod differri commode non poſſit ullo modo. Tunc enim de aſſenſu Conventus agere poterit ea quæ ſunt agenda, ita tamen, quod ſtatim Priori Provinciali facta denunciet, & ſic in ſequentibus de ejus mandato proſequantur incepta, ſub pœna gravioris culpæ ſecundum quantitatem, & qualitatem delicti infligenda tranſgreſſoribus.

Non incipiatur lis niſi de licentia Provincialis, &c.

## CAPUT III.

### *De Officio Divino.*

Fratres feſtinanter ad Officium, & Lectiones accedant.

1. STatuimus, quod audito primo ſigno pro Horis quibuſcunque diurnis, aut nocturnis, Fratres ſe parent, & ante terminationem finalis pulſationis, omnes ad Capitulum, vel ad locum deputatum celeriter conveniant, & inde ad Eccleſiam religioſe accedant, & ibi pro poſſe humiliter, & devote Divinum Officium compleant, ſecundum uſum Eccleſiæ Jeroſolymitanæ. Statuimus autem, quod qui competenti feſtinatione ad Matutinas, & alias Horas, etiam ad cætera, quæ in choro cantanda, vel legenda fuerint, ſimiliter ad Refectorium, capitulum, ſermonem, vel

vel lectionem ſcholaſticam, ſeu ad alia quæcunque vocatus non venerit, pœna levis culpæ pro primo defectu puniatur. Et, ſi in conſuetudinem duxerit, una die, vel pluribus, pœna gravioris culpæ ei applicetur. Si vero in contemptum duxerit, pœnæ inobedientium ſubjiciatur.

2. Item ſtatuimus, quod Priores Locales in Conventibus ſuis corrigant, & corrigi faciant libros Eccleſiaſticos, qui correctione indigent; ſub pœna gravioris culpæ per decem dies.

Libri Eccleſiaſtici per Priorem corrigantur.

3. Item ordinamus, quod teneantur Priores Locales quotidie legere, vel legi facere unam lectionem de Rubricis generalibus Breviarii, ſeu novi Cæremonialis, Congregatis Fratribus, & præſentibus, immediate poſt Primam, vel alia hora competenti, in mane tamen ſemper, & ante prandium, ſub pœna privationis ab eorum officiis ipſo facto incurrenda, ſi negligentes fuerint deprehenſi.

Priores Locales teneantur legere Rubricas.

4. Item ordinamus, quod omnes tam in Miſſis celebrandis, quam in reliquis ſint Cæremoniarum obſervatores uniformes, ut neque addere quidquam, neque demere præſumant, ſed in omnibus ſequi debeant Ordinarium, ſeu cæremoniale noviter impreſſum, ut ſint uniformes, ſub pœna privationis loci, & vocis conſtitutis in Sacerdotio, ſeu alia quavis dignitate, poſtquam ter fuerint admoniti, irremiſſibiliter infligenda. Volumus tamen, ut in Religione noſtra retineatur antiqua, & laudabilis conſuetudo dicendi in omnibus Miſſis B. V. etiam Votivis Hymnum Gloria in excelſis Deo, eſto oppoſitum ſit ordinatum in dicto novo cæremoniali. Studeant autem de cætero Sacerdotio decorati, ut proferant, & pronuncient Miſſas voce ſuppreſſa, & demiſſa, & nil minus ſonora, & gravi, ita ut nullo modo altius vocem tollant inſipide, & inepte; & tamen a circumſtantibus intelligi valeant.

Cæremoniæ ſint uniformes in omnibus Officiis.

Miſſas non eſſe pronunciandas voce altiori, & inſipida.

5. Item ordinamus, quod nemo Fratrum, ſeu dextri, ſeu ſiniſtri cornu, ſit auſus ſedere antequam Prior, vel qui præcedit ea ex parte, qua Prioris ſtatuta eſt ſedes; ex alia vero parte dignior, vel qui præcedit, ſederit, exceptis Jubileis, & Patribus ſenioribus, ſeu valetudinariis.

De modo ſtandi, & ſedendi in Choro.

6. Item ordinamus, quod omnes cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, in primis attendant, ut genuflectiones, & inclinationes, aliaſque quaſcunque cæremonias, juxta antiquorum Patrum conſuetudines, & traditiones ſic obſervent, ut nullatenus prætermitantur, ſub pœna ſecundum quod Prioris prudentiæ videbitur, infligenda.

Omnino ſerventur conſuetæ cæremoniæ.

7. Item præcipimus, ut in genuflectendo, & ſurgendo omnes attendant ad Priorem, ſeu Præſidentem, ſub pœna levis culpæ inadvertenter peccantibus: obſtinatis autem, ſub pœna gravi, infligenda per diem, & gravioris, juxta delictum ſeu repugnantiam; quam Prior conſideret, & judicet pro arbitrio, & judicio ſuo.

In cæremoniis omnes ſequantur Priorem.

8. Et

Qualiter ſedilia ſine elevanda & dimittenda.

8. Et quia ſtrepitus in Choro abſoni ſunt, & ex Fratribus quidam indiſcreti exiſtunt: præcipimus omnibus, ut in elevandis, ſeu dimittendis ſedilibus cauti ſint, & advertant, ne ſtrepitus emittatur ex vehementi tabularum colliſione.

Officium celebretur cum pauſa in medio, & ſine cauda in fine.

9. Item ordinamus, quod divinum Officium quando legendo pronunciatur, & quando cantatur, numquam alta voce, ſed ſemper ſubmiſſo tenore, & gravi celebretur cum pauſa convenienti in medio verſus: & in fine nulla pauſa, ſeu vocis protractione ſervata, quæ præferat tædium mentis.

Fratres ante lectorile ſtent recto ordine.

10. Item ordinamus, quod Fratres ante lectorile ſtent directo ordine, & non obliquo, ita quod ſtent bini, terni, vel quaterni, vel ſeni, & uniformes ante ipſum lectorile, ſub pœna levis culpæ pro qualibet tranſgreſſione.

Intonent intonanda ordinati per tabulam, & non alii.

11. Item ordinamus, quod non ſit in poteſtate cujuslibet incipere Reſponſoria, & quæ cantantur in Choro ad majorem Miſſam, ſeu ad quæcunque alia Officia, ſed ſint deputati, qui incipiant: quos poſtquam inceperint ipſi, & debite progreſſi fuerint, reliqui opportune ſubſequantur, ſub pœna panis, & aquæ pro vice qualibet cujuslibet commiſſæ negligentiæ.

Nullus debet ſedere in Choro, exceptis valetudinariis.

12. Item ordinamus, quod dum cantatur Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis Deo, nemo audeat ſedere præter valetudinarios: ſed ſi pulſantur organa, ſtent Novitii, & Profeſſi cum Cantoribus, & Subpriore ante lectorile; reliquis omnibus in ſedilibus ſtantibus: ſin autem non pulſantur organa, omnes conveniant, & ſtent ante ipſum lectorile.

Die Sabbati ſiat tabula communis.

13. Item ordinamus, quod ſingula die Sabbati, ordinetur tabula Cantorum, & Miniſtrorum in Choro, & ſimiliter Officiorum, quæ per hebdomadam ſunt celebranda, ſecundum ordinem Feriarum, & Sanctorum.

Nemo ſit loquax in Choro.

14. Item ordinamus in primis, & ante omnia, quod nemo ſit loquax in ipſo Choro, nec perturbet alios Divinum Officium celebrantes; ſub pœna unius diſciplinæ ſimplicibus infligenda; graduatis autem ſub pœna privationis panis, & vini, ac piatantiæ pro qualibet vice.

Fratres ſurgant ad ſignum Prioris.

15. Item ordinamus, quod in terminatione unius Horæ, quando immediate ſit alia incipienda, completa Salve Regina, Fratres ſurgant immediate, & cum inclinatione dicant Pater noſter, & Ave Maria. Terminatis autem Officiis, quando ad alia non eſt procedendum, dicto Fidelium, perſiſtant Fratres genibus flexis, donec Prior, vel Præſidens faciat ſignum, ſub pœna unius diſciplinæ pro qualibet vice ſimplicibus infligenda: graduatis autem ſub pœna privationis piatantiæ per illum diem.

Nullus Frater ante terminationem Officii Chorum exeat.

16. Nec aliquis Fratrum Chorum exire præſumat ante terminationem Officii, niſi de expreſſa licentia Præſidentis, cauſa quacunque rationabili perurgente.

17. Item

17. Item ordinamus, quod tam intrantes, quam exeuntes Chorum faciant in medio, ſi ſit in Altari Sanctiſſimum Sacramentum, genuflexionem, alias debitam reverentiam ſine faſtu, & ulla cervicis elatione, ſed humiliter, & ut decet timentes Deum, ſub pœna unius diſciplinæ, Pſalmi De profundis clamavi &c. Nec opus eſt quoties Miniſtri ingrediuntur Chorum, ſeu egrediuntur, quod inclinentur verſus Superiorem; niſi quando venia petenda eſt, & ex neceſſitate aliquò accedendum.

*Ingredientes Chorum non ſe inclinent verſus Superiorem ſemper.*

18. Item ordinamus, quod completis quibuſcunque Officiis, exeuntes Fratres de Choro habeant ſervare hunc ordinem: videlicet, quod Novitii ſint primi exeuntes bini cum debita, & devota genuflexione, vel reverentia in medio facta. Sequentes ſint profeſſi, & deinceps reliqui per ordinem, ita ut Prior cum ſeniore, ſeu Provincialis cum Priore ſint ultimi: & omnes procedant uſque ad Capitulum bini, ſervato ſemper ordine, & ibi dicta oratione, honeſte recedant.

*Forma exeundi a Choro.*

19. Item ordinamus, quod a primo mane uſque ad completum Officium cum Miſſa majori, nemo audeat aut præſumat ad Eccleſiam accedere ad loquendum cum quavis muliere. Quia ſub prætextu bonorum operum, multa ſæpe eveniunt ſcandala: niſi forte neceſſe fuerit, quod aliquis de ſenioribus, de quo nulla ſit ſuſpicio, audiat confeſſiones, ſeu viſitet perſonam gravem aliquam, & Conventus benefactricem, & talis ſit vocatus per Sacriſtam, ſub pœna gravioris culpæ per ſex dies ei infligenda.

*Nemo loquatur cum muliere in Eccleſia.*

20. Item ordinamus, quod Novitii, ſeu alii quicunque Fratres, maxime in Urbibus, & Oppidis, ſervientes Miſſis ſemper habeant cappas albas. Erit autem curæ Priori, quod cappæ albæ mundæ ſint, & nullis ſordidæ maculis, cum ex earum puritate virgineus candor repræſentetur.

*Servientes Miſſis ſemper habeant cappas nitidas.*

21. Item ordinamus, quod nemo audiat confeſſiones mulierum, ſeu adoleſcentum poſt Altaria, aut in angulis ipſius Eccleſiæ, ſeu in locis non patentibus, ſub pœna depoſitionis ab officio & ſuſpenſionis a gradu, ſeu dignitate, ac carceris ad menſem.

*Nullus audiat Confeſſiones poſt Altaria.*

22. Item compellantur Fratres, quibuſcumque modis, ut Officium de cætero celebrent, & celebrare debeant in toto Ordine noſtro, juxta emendationem, & correctionem per nos factam, & a Sede Apoſtolica approbatam. Et nullus cujuſcumque gradus, aut conditionis, vel dignitatis extiterit, præſumat corrigere, ſeu corrigi facere, ſeu imprimere, ſeu imprimi curare Breviarium ſecundum Ordinem noſtrum, ſive Miſſale, ſeu quodvis aliud ſimile ſpectans ad Divinum Officium, niſi petita prius, & obtenta facultate a Priore Generali, & hoc ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & depoſitionis ab officio, gradu, & dignitate, ipſo facto. (a)

*Nihil pertinens ad Divinum Officium imprimatur abſque licentia P. G.*



(a) *Vide Conſt. Greg. XIII. quæ incipit:* Ut Breviarii.

Sabb. Dominicis, & Feſtis omnes conveniant ad Salve.

23. Item ordinamus, quod diebus Sabbatis ad Completorium pro devote cantanda Salve Regina ante Altare Beatæ Virginis, & diebus Dominicis, ac Feſtis, conveniant omnes Sacerdotes, & Graduati, etiam actu legentes cum cappis albis, ſub pœna gravioris culpæ per octo dies, & rebellionis contra facere volentibus infligenda.

Officio ſuo quilibet diligentiam adhibeat.

24. Item qui in officio ſibi per tabulam aſſignato, in Choro, Refectorio, aut alias negligens repertus fuerit, in Capitulo unam recipiat diſciplinam: aſſuetis autem aggravetur pœna: ſi autem fuerit aliquis intra ſepta loci occupatus, aliquem Fratrem, qui ejus vices ſuppleat, humili ſupplicatione ſtudeat invenire, ſub pœna gravioris culpæ.

Ordinarium circa divinum Officium ſervetur. *Conc. Triden. ſeſſ. 22.*

25. Nullus Frater in Choro, aliud, vel aliter cantare præſumat, quam communis uſus Ordinis approbat, & legit: ſed neque motetos, neque upaturam, vel aliquem cantum magis ad laſciviam, quam ad devotionem provocantem aliquis decantare habeat, ſub pœna gravioris culpæ: quod etiam caveatur in pulſandis Organis. Et univerſaliter in Officio Divino obſerventur omnia, quæ in Ordinali ponuntur.

Exterius Chori oſtium ſemper clauſum teneatur.

26. Oſtium Chori exterius ſemper clauſum teneatur, niſi pro neceſſitate, ac viſitantium devotione, & reverentia, oporteat ipſum aliquando aperiri.

Divina non celebrentur, ſine ſcapulari &c.

27. Nullus Frater ſine ſcapulari capuciato, debito modo formato, & figurato Miſſas audeat celebrare, neque Divina Officia in Eccleſia perſolvere, ſub pœna excommunicationis; quia temere habitum convenientem ſuæ Religioni dimiſit.

In Miſſa nihil addatur.

28. Item, omnes Orationes, quæ ſolent recitari poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, prohibemus: quas poſtquam reverſi fuerint in Sacriſtiam pro ſua devotione abſolvere poterunt. Similiter poſt conſecrationem, & in tota Miſſæ celebratione nihil aliud addatur, niſi quod in Miſſali ponitur.

Abuſus in Miſſæ celebratione rejiciantur *Seſſ. 22.*

29. Item præcipimus, & mandamus, omnes abuſus in Miſſis celebrandis, quos Sacrum Tridentinum Concilium removit, ab omnibus Fratribus noſtris poſthaberi debere; ſub pœna in eo Decreto contenta; atque ſub pœna carceris per menſem.

Omnes quotidie celebrent & obediant Sacriſtæ in celebrando.

30. Item a celebratione quotidiana Miſſarum nemo excipiatur, ſive Magiſter, ſive alio gradu inſignitus, aut Sacerdos ſimplex extiterit; niſi fuerit juſte impeditus: & hoc de aſſenſu Prioris. Et quibus dixerit Sacriſta ire ad Altare unum, & talem Miſſam celebrare, obediant, ſub pœna culpæ faciendæ in medio Refectorii: qui ſi pluries repugnaverint, pœna aggravetur. Cavebitque Prior, ne inhabiles, vel propter ſenectutem, vel propter ignorantiam, vel propter malam conſcientiam, ſe recipiant ad Sanctum Altare pro conficiendo Sacro. Animadvertant Sacerdotes

ante

ante celebrationem Miſſæ confiteri peccata ſua Sacerdoti, & frequenter in loco aperto, ad purgandam eorum conſcientiam, & in aliorum exemplum.

*Oleum Sanctum ſervetur.*

31. Item in omnibus Conventibus, gratia, & benedictione Reverendiſſimi Ordinarii, habeatur Oleum Sanctum.

*Renovetur Sacramentum omnibus hebdomadis.*

32. Item Diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum qualibet hebdomada mutetur: & vas, in quo continetur, ſit argenteum, intus optime deauratum, & intus adſit, & circum, ſupraque corporale conſecratum, & ſub vaſe ſit lapis conſecratus.

*Singulis menſibus cantentur duæ Miſſæ pro benefactorib. Vide Decretũ de celeb. Miſſarum in S. Cong. Concilii editum.*

33. Item cum a Concilio facultas detur Reverendiſs. Patri Ordinis in Capitulo Generali de forma ſupplementi in celebratione Miſſarum tam pro vivis, quam pro defunctis; ſtatuimus propter multitudinem Miſſarum, quibus fieri ſatis haudquaquam poteſt, ut ſingulo menſe Fratres in quocumque Conventu duas Miſſas ſolemnes cantent, unam pro vivis, alteram pro defunctis, & ſingulis diebus commemorationem faciant, & orent pro iis, a quibus eleemoſynas acceperunt. (a)

*Si quis Horas Canonicas dicere neglexerit carceri &c.*

*Alia ad hoc cap. pertinentia vid. App. n.3. uſque ad num.15.*

34. Item quicumque Frater, poſt ſolemnem Profeſſionem emiſſam, Divinum Officium, ſeu Horas Canonicas dicere neglexerit, & de hoc convictus, aut confeſſus, vel violenter ſuſpectus fuerit, carceri mancipetur: nec poſſit cum tali diſpeſari, niſi per Priorem Generalem, vel Capitulum Generale. Fratres vero Laici dicant Horas ſicut in Regula habetur, hoc addito, quod in Completorio dicant vicibus quindecim Pater noſter: & legitimis actibus non impediti, Miſſam omni die audiant, & Feſtivis diebus, (niſi legitime occupati,) interſint Miſſæ majori cum omni devotione.

*Quando a Laicis dicendum ſit Pater noſter, & Ave Maria etiam dicant.*

35. Item quoties Laici ex Regula pro Horis dicunt Pater noſter, dicant etiam Ave Maria.

## CAPUT IV.

### *De jejunio, & comeſtione Fratrum.*

*Jejunia quomodo, & quando agenda ſunt.*

*V. App. n.16. & 17.*

1. STatuimus quod Fratres noſtri jejunent omnibus Vigiliis inſtitutis ab Eccleſia: in Vigilia Corporis Chriſti, in ſingulis diebus præcedentibus quodlibet Feſtum B. V. Mariæ, per Quadrageſimam, & Adventum, in quatuor anni Temporibus; in Litania majori, ideſt in die S. Marci, ſi non in Dominica venerit; in tribus diebus Rogationum ante Aſcenſionem Domini, necnon in omnibus ſextis feriis, excepta illa, quæ eſt infra hebdomadam Paſchæ, cujus jejunium in arbitrio Fratrum relinquimus. Et poterunt Priores, exceptis jejuniis inſtitutis ab Eccleſia, & Adventu, de eſu lacticiniorum, vel abſtinentia ſecundum varias locorum conſuetudines ordinare.

 2. Ex-

(a) *Ad quid hoc valeat, vide Lezan. tom.4. Sum. v. Miſſa, n.30.*

*Comeſtio carnium, qualiter Fratribus conceditur.*

2. Extra Quadrageſimam, & Adventum, niſi jejunium aliquod impedierit, poterunt Fratres ter, aut quater in hebdomada comedere carnes, quando Priori Generali, vel ejus in hac parte, vices gerentibus videbitur expedire, etiam bis in die juxta Privilegia per Summos Pontifices Eugenium IV. Pium II. & Sixtum IV. conceſſa. Extra domos vero noſtras, ne ſint hoſpitibus oneroſi, etiam poterunt diebus aliis, quibus ſæculares carnes comedent, pulmentum coſtum cum carnibus comedere; ſed neque carnes tritas, aut inteſtina, vel ſanguinem comedere licebit. Priores vero Provinciales, & Locales in Adventu, includendo etiam primam Dominicam, ac Feriis quartis, per totum annum comeſtionem carnium permittentes, teneantur abſolvi ab eorum officiis; niſi evidenti neceſſitate, & manifeſta cognoverint eos, cum quibus diſpenſant, indigere. Ab Exaltatione vero Sanctæ Crucis uſque ad Paſcha Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Fratres jejunent Feriis ſecundis, vel ſaltem quartis, ſextis, ac Sabbatis juxta diſpenſationem Prioris Generalis, ut prædictum eſt: & diebus jejuniorum Ordinis poterunt fieri refectiunculæ in communi Refectorio. In vigiliis autem, & jejuniis ab Eccleſia indictis nihil comeſtibile cuiquam detur a Conventu nec in Refectorio, nec extra, exceptis valetudinariis, & ad jejunium non obligatis, quibus aliqua honeſta portio panis, & vini dari poterit, ſecundum diſcretionem Præſidentis: aliis vero non, niſi ratione medicinæ. Si quis autem ultra formam Regulæ mitigatæ, & noſtrarum Conſtitutionum, ſive in Conventu, ſive extra, aliter carnes comederit, abſque inevitabili neceſſitate, vel infirmitate, aut notabili debilitate, quæ evidenter appareat; pro qualibet refectione pœnam gravioris culpæ per duos dies ſuſtineat, quod firmiter volumus obſervari. Et hoc volumus intelligi etiam de Prædicatoribus in Quadrageſima. Qui ſecus fecerint, eos voce, & loco privatos eſſe declaramus.

*Non inſtituatur Prior, qui non poteſt ſervare jejunia Ordinis &c.*

3. Et quia Priores ad aliorum exemplum debent in omnibus eſſe primi, expreſſe præcipitur, & mandatur, ut in poſterum non poſſit inſtitui Prior, qui ob aliquam indiſpoſitionem habitualem, non valeat a carnibus in diebus juxta formam Regulæ noſtræ mitigatæ prohibitis abſtinere, & jejunia Ordinis obſervare, vitamque communem ſequi, & alia munia, præſertim aſſiſtendi Divinis Officiis diurnis, nocturniſque, obire.

*Omnes etiam Superiores debent in prima vel ſecunda menſa veſci eiſdem cibariis.*

4. Omnes etiam Superiores, quicumque illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodem obſonio, ſive eadem piatantia in communi menſa, prima, vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur: neque ſingulare aliquid, quo privatim quiſque in cibum utatur, ullo modo afferri poſſit. Si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem, & aquam.

5. Item ſtatuimus, quod nullus Frater veniat ad Fratres ultimi

Con-

Conventus, vel ad alios extra Refectorium comedentes, demptis Servitoribus deputatis per Præſidentem, ſub pœna gravis culpæ per unam diem.

6. Item prohibemus, ne Fratres noſtri in Civitatibus, & Villis, in quibus locum habemus, comedant, vel bibant, niſi pro inevitabili neceſſitate; præterquam apud Religioſos, Prælatos, Principes, Patronos, & Magnates, ſub pœna gravioris culpæ per duos dies infligenda. Poterit tamen Prior Localis, in caſu, licentiare Fratres ad comedendum in Villa cum perſonis honeſtis, & notabilibus. Quod non faciat faciliter, & frequenter: ſed diſcrete ſe habeat in hujuſmodi licentia concedenda, & in ſociis aſſignandis, ne per hoc occaſio ſcandali ſubſequatur. Non comedatur extra Monaſterium niſi &c.

7. Mandamus autem, ſub pœna privationis officii ipſo facto incurrenda omnibus Prioribus, & Vicariis Conventuum noſtri ſacri Ordinis, ne extra Refectorium, vel Infirmitorium, ſive aulam communem ad hoc deputatam permittant comedere Fratres ſuos, niſi infirmitatis cauſa, vel alterius neceſſitatis evidentis. Non permittantur Fratres comedere extra Refectorium.

8. Item ſub pœna gravioris culpæ per tres dies infligenda, nullus Frater comedat, aut bibat cum ſæcularibus in Dormitorio, aut in quibuſcunque aliis cameris ubi Fratres jacent. Tempore autem, quo Divina celebrantur in Eccleſia, nullus intra Conventum cum ſæcularibus comedat, vel eos in talibus aſſociet; niſi eſſent tales perſonæ cum quibus ſine Ordinis, vel Conventus diſpendio notabili, aut perſonarum timenda indignatione gravi, hæc obſervari non poſſunt: ſemper tamen a Præſidente licentia obtineatur. Nullus comedat cum ſæcularibus in dormitorio.

9. Item ordinamus, quod a menſa Fratres cito ſurgant, & non ſtent in jocis, & compotationibus; ſed ubi omnes aut comederint, aut comedere potuerint, facto a Priore ſigno, ſurgant. Sunt enim ſtatuta loca, in quibus honeſta fieri poſſunt colloquia. Nec decens eſt, ut in Refectorio regnet garrulitas; ſub pœna culpæ levis uſque ad trinam monitionem, deinde vero gravis, & gravioris, prout Priori videbitur, incorrigibilibus infligenda. Surgatur cito a menſa finita comeſtione.

10. Item ordinamus, quod immediate poſt prandium, & cœnam, ſeu refectiunculam omnes recedant de Refectorio: & non remaneant aliqui, niſi ſervitores, qui opportune ſe expediant, & celeriter recedant, ſub pœna unius diſciplinæ pro vice qualibet tranſgreſſori cuilibet infligenda. Finita comeſtione omnes exeant a Refectorio præter ſervitores.

11. Item ordinamus, quod nullus Frater audeat, ſeu præſumat mittere panem extra Conventum, aut vinum, ſeu quid aliud ſimile, vel quomodocumque aliter dare, ſub pœna proprietariorum, & rebellionis. Panem, aut vinum nemo mittat extra Conventum.

12. In his tamen, quæ ſuperius præmiſimus de jejunio, & eſu carnium, volumus inviolabiliter obſervari laudabiles, & arctiores noſtrorum Conventuum conſuetudines. Arctiores conſuetudines obſerventur &c.

CA-

# CAPUT V.

## *De ſilentio, & locutione Fratrum.*

Silentium quibus horis ſervandum ſit.

1. CUM ſecundum Regulam, Fratres ad obſervantiam ſilentii poſt Completorium, & ante Primam aſtringantur: Statuimus, quod ubi inolevit conſuetudo, & fieri poteſt ſine ſcandalo Sæcularium, quando non ſunt jejunia, dicatur Completorium poſt cœnam. Poſt dictum vero Completorium, facto intervallo unius horæ, fiat pulſatio cum campanella ſeptem, vel octo ictuum, & incontinenti omnes Fratres tendant ad cellas ſuas; exceptis illis, quos ita tarde venire contigerit, quod hæc circa illos non poſſent commode obſervari, & ex tunc ſilenter faciant univerſa. Ubi vero eſt jam introducta conſuetudo, quod ſæculares hora opportuna interſint Completorio, dicatur ante cœnam, ſeu ante refectiunculam, propter frequentiam, & devotionem populi confluentis. In Conventibus tamen ſtudiorum, & univerſitatum, ſi ita fieri expediet, detur Studentibus ante ſilentii pulſationem conveniens ſpatium conferendi, & circulariter diſputandi. Mandantes Prioribus Provincialibus, atque Localibus, quatenus ad obſervantiam dicti ſilentii omnes Fratres diſtricte, & rigide compellant: volentes, quod quicunque poſt dictam pulſationem in Conventu, ſine Præſidentis licentia, contra Regulæ formam ſilentium fregerit, ad terram panem, & aquam comedat per tres dies.

Ubi ſervandum ſit ſilentium.

2. Item ſtatuimus, quod Fratres noſtri ſilentium teneant in Choro, Refectorio, Dormitorio, Clauſtro, & in Cellis, præterquam Cella Prioris, ſub pœna gravis culpæ. Etiam Fratres extra Refectorium comedentes ſilentium teneant univerſi, dato etiam, quod aliqui Religioſi, aut ſæculares ſint præſentes. Poterit tamen Præſidens, lectione aliqua præmiſſa, dum ſibi videbitur expedire, & non alias, cum Fratribus, qui erunt in menſa extra Refectorium ſuper locutione diſpenſare, abſque clamore, & tumultu. Quod ſi quis convicioſe, & clamoroſe locutus fuerit, a Præſidente continuo ſilentium eidem imponatur, & ſub pœna gravis culpæ infligenda ſtatim taceat: quod ſi non fecerit, & ſcandalum per hoc ſecutum fuerit, quadraginta dierum pœna gravior ei aſſignetur. Idem volumus obſervari de Fratribus in præſentia quorumcumque extraneorum comedentibus.

Vaniloquium prope Eccleſiam omnino prohibetur. Blaſphematores acriter puniantur.

3. Caveant etiam Fratres a vaniloquio, præcipue prope Eccleſiam, & in ea. Qui vero in hoc deprehenſus fuerit pœnam mediæ culpæ ſuſtineat: & ſi in conſuetudinem duxerit, pœnæ gravis culpæ ſubjaceat.

4. Statuimus etiam, ut quicumque auſus fuerit jurare per San-

Sanguinem Jeſu Chriſti, aut per Corpus Dei, aut ejus vulnera, vel per aliquod ejus membrum, puniatur per decem dies gravioris culpæ pœna, duplicanda, ſi fuerit perjurus, & ſi (quod pudor eſt dicere) turpia de Chriſto, vel ejus Matre benedicta, aut quibuſcumque Sanctis, vel Sacris rebus nominare, vel aliquo alio modo indecenti, ſeu male gratiando de Deo, & rebus divinis loqui præſumpſerit, pœna graviſſima per unum menſem indiſpenſabiliter plectatur: & ſi hujuſmodi indecenti locutioni aſſuetus fuerit, aliquoties monitus per Superiorem non ſe emendaverit, tanquam infamis habeatur, & publicetur.

5. Item præcipimus, quod Fratres non cantent cantilenas laſcivas, nec factorum ſæcularium: nec eas doceant, aut addiſcant nec etiam tripudient, ſub pœna gravioris culpæ per tres dies. *Non cantentur cantilenæ ſæculares.*

6. Item præcipimus cum Apoſtolo, quod quilibet Frater alteri loquatur cum reverentia, & honore: Si quis autem alteri conviscioſe, aut irreverenter locutus fuerit; pœnæ gravioris culpæ ipſum volumus ſubjacere. *Alter alteri cum reverentia, & honore loquatur. Rom. 12.*

## CAPUT VI.

### *De dormitione Fratrum, & manſione in cellis.*

1. Statuimus, quod Fratres noſtri in tunica alba, & ſcapulari dormiant omni tempore ſuccincti, ſub pœna gravis culpæ, exceptis infirmis, quorum relinquimus arbitrio, ut ſcapulare induant, vel deponant, numquam tamen ſine alba tunica debent eſſe. Quicumque autem nudus jacere inventus fuerit, pœna gravioris culpæ, ſi ſemel deprehenſus fuerit, per unam diem ad minus puniatur. Si autem aſſuetus fuerit, pro qualibet vice pœna prædicta ei duplicetur. Et nihilominus volumus, quod comedat panem, & aquam ſcapulari denudatus, ut quod de nocte impudenter abjecerat, in confuſionem ſuam de die coram omnibus careat ſpoliatus. Si autem ſine ſcapulari dormierit, ſuam pœnitentiam faciat cum habitu pari modo cum ſcapulari ſine cappa. *Fratres omni tempore dormiant cum ſcapulari.* *Dormiens ſine ſcapulari, comedat panem, & aquam ipſo ſcapulari ſpoliatus.*

2. Item uſum linteaminum in Dormitorio, niſi pro evidenti neceſſitate, & niſi pro hoſpitibus penitus inhibemus. Sed utantur Fratres lodicibus laneis, ſeu langetis, aut aliis coperturis Religioſis, ſine picturis, ſimplicibus, & honeſtis: & in cellis nihil ſit, quod præſeferat vanitatem, quodque repugnet voto paupertatis. *Uſus linteaminum in dormitorio prohibentur.*

3. Item tempore dormitionis Fratres in cellis maneant; nec uſque ad pulſationem campanæ communem, niſi pro neceſſariis naturæ exeant ab eiſdem: ſed neque in verbo, vel alio modo ſtrepitum faciant, unde dormientes poſſint inquietari quoquomodo; ſub pœna gravis culpæ per tres dies. *Tempore dormitionis Fratres in ſuis cellis maneant.*

4. Item

Prior omni nocte visitet cellas Fratrum.

4. Item ordinamus, quod Prior Localis, vel Subprior, vel Vicarius Conventus cujuſcunque, omni nocte cellas Fratrum, ſub pœna gravioris culpæ per duos dies habeat viſitare cum lumine; nec eis intrare liceat ſuos lectos, donec conſtet eis, quod omnes Fratres ſint in cellis ſuis, vel intra ſepta loci debito modo & honeſto. Qui ſi ter moniti negligentes fuerint, ab officio deponantur.

Nullus ingrediatur cellam alterius tempore nocturno.

5. Item ordinamus, quod quicunque Frater cellam alterius, facto ſigno poſt Completorium, aut alio tempore dormitionis, ſine licentia Præſidentis intraverit; pœna privationis loci, & vocis ipſo facto puniatur.

Fratres ſint cauti ne ignis in dormitorio accendatur.

6. Item ſtatuimus, & mandamus, quod quicunque Frater, pro cujus negligentia ignis in Dormitorio, vel in alio loco Conventus, appoſitus fuerit vel accenſus, ſtatim carceri mancipetur, donec cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum; attenta quantitate damni: & multo magis puniatur, ſi (quod abſit) per malitiam ignem ſubjecerit.

## CAPUT VII.

### *De honeſtate extra Monaſterium ſervanda.*

Exeuntes Monaſterium eant bini & cum caputio &c. petita prius licentia.

1. QUia certum eſt, quod ſicut vera, & fervens charitas in conſpectu Dei eſt; ſic Religionis honor, & decus in intuitu ſæcularium, & ſpectantium conſiſtit aſpectu. Idcirco ordinamus, quod Fratres exeuntes Monaſterium cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, non exeant, niſi petita venia a Priore, & obtenta ſub pœna Apoſtatarum. Et ſic incedant, quod ſint bini, & æqualiter ambulantes, ea cum honeſtate, & modeſtia, quod populus ex inceſſu eorum, exemplo, & colloquio bene ædificetur: & quod omnes portent utrumque caputium griſeum, & album extra Conventum; ſub pœna privationis loci, & vocis locum, & vocem habentibus: reliquis autem, ſub pœna unius diſciplinæ, & Priores permittentes incurrant privationem officii.

Fratres non egrediantur a Monaſterio niſi bis in hebdomada, & cum interpo-

2. Item quia nihil eſt Religionis honeſtati magis oppoſitum, & magis contrarium reformationi, quam quod Fratres in Urbibus, & Oppidis quotidie per plateas, & loca publica vagentur, & alias ſuo pro libitu diſcurrant quocunque voluerint, quæ damnoſa nimis licentia eſt, & inter alia, quæ plurima ab ipſa proveniunt mala, certe incomparabile cauſatur habitus vilipendium. Ideo ordinamus, præcipimus, & mandamus, quod nullus Frater poſſit aliquo modo exire Monaſterium, præterquam bis in hebdomada; & hoc fiat cum interpolatione dierum, & ſemper cum ſocio ſibi a Priore deſignato, niſi forte urgens aliqua exeundi neceſſitas alicui intervenerit, quam tamen Priori committimus digno-

gnoſcendam, quo caſu rariſſimo, Prior poterit diſpenſare; ita tamen quod exeat cum ſocio taliter diſpenſatus. Advertant autem Priores, ut ſic accommodent ſocios, quod ipſi etiam ſocii pluries non exeant. Exeuntes autem Fratres petant benedictionem, & reverſi præſentent ſe Priori iterum benedictionem habituri. Diebus autem Dominicis, & Feſtis majoribus nullo pacto volumus, quod etiam a Priore quiſpiam poſſit veniam exeundi obtinere. Non enim licet, ut diebus Deo, Sanctiſque dicatis, quibus ipſi etiam ſæculares deſiſtunt ab opere, Religioſi non aſſidue Eccleſiæ ſerviant, & dent operam Sacris. Ferialibus vero diebus Prior, & Procurator Conventus, ſimiliter & Magiſtri actu legentes cum ſtudentibus artium, in locis univerſitatum, quibus non ſolis, ſed cum ſociis, & honeſte permittitur, quod tempore debito quotidie poſſint accedere ad lectiones. Et denique excipiuntur Confeſſores ſolemnes, qui cum vocentur ad audiendas confeſſiones extra Monaſterium, poterunt accedere, quia hoc cedit in honorem Conventus. Reliqui autem cujuſcumque gradus, conditionis, & dignitatis exiſtant, ultra duas vices per quamlibet hebdomadam, nullo modo poterunt exire, nec Prior, ſine urgenti neceſſitate, poterit cum aliquo in præmiſſis diſpenſare: niſi forte contingat, quod accedant ad celebrandas Miſſas extra Eccleſiam noſtram: quo caſu per Priorem deputatis conceditur, quoties acciderit, poſſe exire, maxime pro honore Conventus. Numquam tamen ſine ſocio cuiquam aliquo caſu exire licebit.

*latione dierum. Diebus autem Feſtis nullo modo exeant.*

3. Item ordinamus, quod nulli Fratres audeant, aut præſumant per Oppida, vel Urbes ire extra Monaſterium ſine cappis albis, & abſque licentia ſui Superioris ſub pœna rebellionis. Et accedentes cum cappis albis, & caputio in capite, (ut præmiſſum eſt) oculos etiam ſic regant, ut honeſtas eorum ædificet. Quæſtuarii tamen accedentes extra Civitates, & Oppida poterunt cum pileis, & ſine cappis albis ad quæſtuandum per Villas accedere. Similiter Fratres commorantes in locis, quæ ſunt extra mœnia in remotis.

*Fratres non eant extra Monaſterium ſine cappis albis.*
*V. App. n. 18.*

4. Item ordinamus quod nullus Sacerdos, ſeu alius cujuſcunque conditionis fuerit poſſit exire extra Monaſterium, & habere in ſocium aliquem Novitium, quacunque cauſa ſuppoſita: nec Prior Localis, nec etiam ipſe Provincialis poſſit ſuper hoc diſpenſare cum aliquo, aut alicui facultatem dare, niſi fuerit aliquis Pater ſenio confectus, & probatæ vitæ, ac bonæ famæ, qui vocaretur ad audiendam confeſſionem, & foret acceſſurus aliquò, ubi expediret cum eo eſſe potius juniorem, & ſimplicem aliquem, quam natu majorem. Tunc enim, & eo caſu tam Provincialis, quam Localis Prior poterit tali ſeniori veniam dare, quod exeat cum aliquo Novitio propter Confeſſiones audiendas dumtaxat, & hoc non fiat niſi dato caſu, & rariſſime.

*Sacerdotes non exeant Monaſterium cum Novitiis, niſi ſint ſenio confecti, & extra omnem ſuſpicionem.*

Monaſteria monialium nullus audeat ingredi, niſi ſit earum Confeſſor ordinatus per Prælatum earum.

5. Item ordinamus, quod nullus cujuſcunque conditionis exiſtat, audeat adire Monaſteria Monialium cujuſcunque Ordinis fuerint, aut cum Monialibus quibuſcumque commercium, ſeu familiaritatem habere, niſi aliquis Pater ſenior eſſet deputatus Confeſſor alicujus Monaſterii noſtræ Religionis, vel alterius in gratiam alicujus Reverendiſs. Ordinarii. Poſſunt tamen Provinciales, & Viſitatores cum ſociis probatæ vitæ, & provectæ ætatis viſitare Moniales Ordinis noſtri. Nullus præterea ingrediatur intra eorum ſepta, niſi in caſibus neceſſitatis, ſub pœnis, & cenſuris expreſſis in Diplomatibus Summorum Pontificum. Si quis autem fuerit deprehenſus, quod commercium habuerit cum eis, carceri mancipetur, & acriter puniatur, atque a Conventu omnino expellatur.

*Conc. Trid. ſeſſ. 25.*

Non converſentur cum inhoneſtis perſonis, nec cum domos circa Monaſteria habitantibus niſi ſint nobiles, vel magnates.

6. Item ordinamus, quod nullus Frater audeat habere familiaritatem, ſeu commercium cum perſonis inhoneſtis. Similiter neque cum habitantibus domos Monaſteriis noſtris circumjacentes, niſi fuerint bonæ famæ, de Nobilibus, & Primatibus Civitatis. Et hoc quia converſatio in domibus viciniæ, in quibus ſunt mulieres de plebe, non poteſt eſſe ſine ſcandalo, & deriſu totius Monaſterii, & denique ſine diſpendio publici honoris, famæ, & eleemoſynarum jactura; ſub pœna privationis loci, & vocis, & ſuſpenſionis a quocumque gradu, & dignitate: non habentibus autem locum, & vocem, ſub pœna carceris per octo dies irremiſſibiliter infligenda, & expulſionis a Conventu.

Domus non locentur perſonis inhoneſtis.

7. Item ordinamus, quod Domus quorumcumque Conventuum Ordinis, quæ locari ſolent, locentur, & locari debeant perſonis honeſtis, ſub pœna culpæ gravioris Priori, & Patribus Clavariis in Provinciali Capitulo infligenda, ſi ſecus fecerint, conſtito, quod in prædictis domibus ſint, aut fuerint perſonæ aliquæ infames, & inhoneſtæ. Et hoc ad evitandam infamiam, & ne Fratribus cauſa ſit habendi commercium cum infamibus.

Nullus aſtet ante tonſtrinas, aut ante Officinas vicinas Monaſterio.

8. Item ordinamus, quod nullus Frater cujuſcumque gradus, aut conditionis exiſtat, audeat aſtare ante tonſtrinas, ſeu mercatorum, vel artificum apothecas, ſive officinas Monaſterio circumjacentes, ſive vicinas, ſeu etiam remotas. Quia indecens eſt, & indecorum, quod tranſeuntes inſpiciant Fratres ſpectantes luſores, & audientes facetias, atque ſcurrilia, quæ ibi committuntur: quæ omnia cedunt in contemptum habitus, & profeſſionis; & remanet habitus apud ſæculares abjectus, apud quos ſervanda ſemper eſt gravitas, & honeſtas: ſub pœna graduatis culpæ gravioris: ſimplicibus autem, & aliis, ſub pœna carceris ad libitum, ad diſcretionem Prioris infligenda.

Secreta Monaſterii nullus revelet ſæcularibus.

9. Item ordinamus, quod nemo audeat habere cum ſæcularibus tantum commercii, quod ex multa converſatione ipſi ſæculares percipiant vel nutibus, quæ intra ſepta Monaſterii fiant. Si

Si quis autem convictus fuerit, quod de ſecretis, vel de geſtis in Conventu, indebite aliquid cuiquam ſæcularium revelaverit, ultra, quod eſt carceri mancipandus, & ſecundum Statuta Ordinis graviſſima pœna plectendus, anathema ei ſit Omnipotentis Dei maledictionem toto vitæ tempore incurſuro.

## CAPUT VIII.

### *De minutione, & raſuris, atque balneis Fratrum prohibitis.*

1. MInutio Fratrum permittitur ſecundum conſilium Medicorum: quando autem minuuntur, ſeu phlebotomantur Fratres, poſſunt comedere extra Refectorium, & habere tribus diebus recreationem de communi. Non tamen ultra primam noctem, niſi cogente neceſſitate, a Choro ſe liceat abſentare. Et nullus unquam Frater minutionem faciat, ſine licentia ſui Prioris, ſub pœna gravis culpæ. De minutione Fratrum.

2. Raſuræ autem Fratrum fiant de quindena in quindenam, per totum annum, vel prout Priori videbitur aliter ſtatuere, ſecundum temporum varietatem. De raſura Fratrum.

3. Item ſtatuimus, quod nullus Frater vadat ad balnea, vel ſtufas extra Conventum, ſub pœna quadraginta dierum ad carcerem infligenda. Fratres non accedant ad balnea, & ſtufas.

4. Item ordinamus, quod in omnibus Conventibus ſint ordinatæ tonſtrinæ, & Fratres nullo modo accedere poſſint ad tonſtrinas extra Monaſteria: ſed in ipſis Monaſteriorum tonſtrinis Fratres a Tonſoribus per ipſos Conventus deputatis, tonderi debeant. Advertant autem Priores, quod capillaturæ Fratrum non excedant duos digitos per tranſverſum: nec tondeantur circa mediam aurem; ſed ſint omnes tam in coronis, quam in aliis uniformes. Et quod nullus Converſus, ſeu Frater Laicus poſſit portare coronam. Caſſantes, & annullantes omnes abuſiones per quorumcumque Superiorum gratias introductas. Nemo tondeatur extra Monaſterium. V. App. n. 14.

5. Ad balnea autem naturalia poterunt Fratres ire, qui indigebunt, de Superiorum ſuorum licentia, & aſſenſu. Permittuntur balnea naturalia.

## CAPUT IX.

### *De hoſpitibus, & itinerantibus.*

1. STatuimus, quod Priores Locales, aut Præſidentes Fratres noſtros itinerantes recipiant benigne, & devote, & eis ſecundum neceſſitatem, & laborem in victualibus provideant diligenter, nullam paupertatem allegantes; ut fraterna charitas fovea- Fratres itinerantes benigne recipiantur.

veatur, ſub pœna gravis culpæ per quinque dies infligenda.

*Itinerantes non hoſpitentur extra Monaſterium.*

2. Fratres tempore comedendi, vel hoſpitandi, qui venire poterunt ad Conventum, in Urbe, aut Villa, ubi Conventum habemus, non comedant alibi, nec hoſpitentur, neque maneant apud alios Religioſos, vel quoſcunque alios dormiant, niſi Conventu antea viſitato, & licentia habita a Præſidente, ſub pœna gravioris culpæ per tres dies.

*Habentes licentiam eundi extra Civitatem, non maneant in ea extra Conventum.*
*V. App. n. 20.*

3. Item ſi quis habita licentia eundi extra Civitatem, Oppidum, aut Villam, & in Civitate, Oppido, ſeu Villa maneat una nocte extra Conventum, voce, & loco eſt privatus eo facto. Si vero per duas noctes manſerit, carceri mancipetur. Si vero per tres, vel plures, ſecundum qualitatem & quantitatem offenſæ, gravius puniatur.

*Fratres Conventus non vadant ad hoſpites niſi de licentia.*
*Non licet hoſpitibus exire ſine licentia.*

4. Item Fratres Conventus non veniant ad hoſpites Fratres, vel ad alios extra Refectorium comedentes abſque licentia Prioris, ſed per Fratrem miniſtrantem intiment eis ſuum negotium, ſub pœna mediæ culpæ. Nec liceat hoſpitibus, nec aliis Fratribus, niſi de licentia Præſidentis in Conventu, exire ſepta loci, ſub pœna apoſtatarum infligenda: nec aliquid emant, aut mutuo accipiant niſi per Priorem, aut Conventus Procuratorem, vel de eorum expreſſo ſcitu, & aſſenſu, ſub proprietariorum pœna.

*Delinquentes in aliorum terminis, puniantur.*

5. Item tam Priores, quam alii Fratres ad Conventus ſuæ, vel alienæ Provinciæ venientes, ſi in eis, vel in eorum terminis deliquerint, Priores locorum eos corrigendi, ſecundum Ordinis ſtatuta, liberam habeant facultatem.

*Non permittuntur ſæculares in Conventu diu morari.*
*Malefactoribus aditus non pateſiat.*

6. Sæculares non diu morentur inter Fratres, præter ſervientes, ne aliqua levi occaſione fama Ordinis, atque Fratrum forſan inde minuatur; ſub pœna gravis culpæ retinentibus infligenda. Poterit tamen Prior Generalis, vel Provincialis ſuper hæc diſpenſare, cum eis videbitur expedire. Item malefactoribus, & ſceleratis ad domos noſtras confugientibus metu pœnæ, nullo modo aditus pateſiat: & ſi forte ob aliquam cauſam omnino introducendi eſſent, Prior aſſignabit eis locum a Fratribus totaliter ſeparatum: nec Frater aliquis loquatur, vel comedat, ſeu bibat cum eis, ſub pœna carceris. Nec omnino ultra tres dies ullo pacto poſſint manere in Conventu, ſub pœna privationis ab Officio ipſi Priori infligenda.

*Fratres recedentes habeant literas a ſuo Priore.*
*Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 14.*
*Fratres inlebite incedentes capiantur.*
*V. App. n. 82.*

7. Item Fratres per obedientiam miſſi, habeant literas a Prælatis mittentibus teſtimoniales, tempus miſſionis, & durationis eorum continentes, quas prima die ſui regreſſus reddant, ſub pœna gravis culpæ; & Prior impreſſionem ſigilli ſtatim frangat. Fratres vero inordinate, & ſine teſtimonialibus & obedientia incedentes, tanquam apoſtatæ capiantur, & carceri mancipentur; donec Provincialis eorum, aliter de illis ordinaverit, cui eorum captionem Prior capiens habeat celeriter intimare. Prior vero in captione,

& de-

& detentione talium negligens, pœna gravioris culpæ per decem dies puniatur, ſi tales receſſerint a ſuis Conventibus, aut aliqui fuerint in crimine inventi.

Nullus Romam accedat ſine debita licentia ſub pœna &c.

Quomodo in ſuas Provincias ſint remittendi, qui Romam veniunt ſine licentia.

8. De mandato Clemen. VIII. nullus poteſt Romam accedere ſine licentia Reverendiſs. Patris Ordinis, vel Illuſtriſs. Domini Protectoris (a), vel etiam Provincialis ex cauſa communi totius Provinciæ dumtaxat; ſub pœna privationis utriuſque vocis ad biennium, moderanda, vel relaxanda ſolum a Sanctiſs. Cæterum ad ſervandum Religionis decorem in litteris dimiſſoriis eorum, qui Romam ſine dicta licentia veniunt, nulla apponenda eſt pœna, ſed in litteris familiaribus (quarum in dimiſſoriis debet fieri mentio) ſignificanda ſuo Provinciali, cui ſi ipſi malitioſe litteras familiares non conſignaverint, nihilominus Provincialis ſciat pœnam privationis vocis per biennium illis fuiſſe inflictam, quos inſuper carceri mancipabit, & juxta quantitatem, & qualitatem delictorum puniet: Verum ſi in obedientiis nulla facta fuerit mentio litterarum familiarium, certo noſcat Provincialis pœnam illis, vel non fuiſſe impoſitam, vel fuiſſe relaxatam. Declarantes, quod dictam privationis pœnam non evadent illi, qui ſine debita licentia præſumpſerint ad portas Urbis accedere; etiam ſi poſtea obtenta a Superiore venia fuerint ingreſſi; niſi ſufficienter oſtenderint, ſe urgenti cauſa non patiente dilationem compulſos a Provincia receſſiſſe, antequam poſſent ad Reverendiſs. Patrem Generalem, vel ad R. P. Provincialem pro facultate obtinenda recurrere.

Hoſpites poſt primam diem ſequantur chorum.

9. Fratres hoſpites in quocumque Conventu fuerint, poſt primam diem ſequantur Chorum de die, & teneantur dicere Miſſas, niſi arduitas negotiorum, & labor excuſet eos evidenter.

Itinerando quis debet præcedere.

10. Itinerando, Frater, qui prior eſt in Religione, ſit prior in itinere; niſi per Superiorem aliter ordinaretur, puta cauſa Officii, ſcientiæ, honeſtatis, diſcretionis majoris poſteriorem merito deceret eſſe præponendum. Cum vero Fratres eundi aliquò licentiam habuerint, illuc tantummodo vadant, quò licentiam obtinuerunt accedendi, & tempore limitato celeriter revertantur. Si autem aliqui poſtquam per obedientiam miſſi fuerint, peracto negotio, pro quo mittebantur, non reverſi fuerint, & per eorum defectum, & negligentiam ſteterint, aut ſi infra terminum ſibi deputatum non redierint, niſi ex cauſa rationabili excuſentur; vel ſi ad aliquem alium locum, quam ad illum, ad quem miſſi ſunt, declinaverint, niſi periculum notabile, aut evidens neceſſitas hoc excuſet, pœna apoſtatarum ſecundum delicti exigentiam, puniantur.

Socios ſibi aſſignatos nemo poteſt mutare.

11. Item Fratres per obedientiam, aut licentiam exeuntes, ſocios, ſecundum aſſignationem Præſidentis, habeant, nec alios accipiant, ſub pœna gravis culpæ per tres dies. 12. Item

(a) *Quoad C. Protectorem vide Conſt. Inn. XII. in Bull. Carm. t. 2. p. 653.*

Nullus faciat querelam Priori Generali, niſi propter defectum Provincialis.

12. Item nullus Frater audeat ire ad faciendum querelam Priori Generali, niſi propter defectum Prioris Provincialis: nec Provinciali, niſi propter defectum Prioris Localis, ſub pœna gravis culpæ per viginti dies.

Fratres non præſumant equitare ſine licentia.

13. Item Fratres noſtri equitare non præſumant, niſi a ſuo Priore fuerint licentiati, ſub pœna gravis culpæ tot diebus infligenda, quot diebus equitare præſumpſerint.

Equi non teneantur niſi pro perſonis publicis, & peractis negotiis vendantur.

14. Item ordinamus, quod equi non nutriantur in Conventibus, niſi pro Prioribus Provincialibus, & eorum Viſitatoribus, aut Procuratoribus pro communi bono Ordinis, aut Provinciæ laborare habentibus, vel pro terminariis; ſic tamen, quod peractis hujuſmodi Ordinis negotiis vendantur ſtatim, niſi, propter equorum debilitatem eſſent forte diutius nutriendi, ſub pœna privationis vocis, & loci. Nec Priores Provinciales, aut eorum ſocii, equos, poſtquam viſitaverint Provinciam, ultra octo, vel decem dies teneant, ſub eadem pœna.

Nullus mittatur ſolus.

15. Item nullus Frater vadat, aut mittatur ſolus, niſi de licentia Prioris Generalis, vel Provincialis, aut Localis ex magna neceſſitate: puta quando quis ad ſtudia generalia mittitur longius, aut inde redit, aut ad ſimile aliud peragendum deſtinatur, ſub pœna gravis culpæ per viginti dies tam mittenti, quam pergenti pariter infligenda, & ſub pœna privationis vocis, & loci ipſi eunti.

Nullus ſociorum relinquat alium.

Si autem duo Fratres aliquò miſſi fuerint, & unus illorum alterum ſine cauſa reliquerit, pœnam gravis culpæ per quadraginta dies ſuſtineat. Et, ſi inde ſcandalum ortum fuerit, tunc ſecundum qualitatem, & quantitatem delicti gravius puniatur.

Unus Prior non mittat ad terminos alterius niſi pro negotiis communibus.

16. Item nullus Prior Localis vadat, mittat, vel licentiet Fratres ad alterius terminos Prioratus, abſque licentia Prioris Generalis, vel Provincialis; niſi pro negotiis communibus, vel neceſſitate manifeſta; ſub pœna gravioris culpæ per quinque dies infligenda tam mittenti, quam eunti.

Juvenes ſtudentes non mittantur ad terminos.

17. Item ordinamus, quod pueri, & juvenes ordinati ad ſtudium, nullatenus poſſint mitti ad terminos, ſeu quæſtas extra Villam, nec aliter occupentur frequenter, quo minus valeant lectiones ſuas audire, & addiſcere.

Hoſpites tenentur revelare Priori cauſam itineris.

18. Item ſtatuimus, & mandamus, quod Fratres hoſpites teneantur revelare Priori, ad cujus Conventum veniunt, cauſam, & negotia, pro quibus venerint, ſi fuerint per talem Priorem requiſiti, niſi mittantur pro negotiis aliquorum Majorum Ordinis, qui ſunt Superiores Prioribus, ad quos declinant.

Prohibentur Fratribus legationes in cauſis ſuſpectis.

19. Item per Sanctam Obedientiam inhibemus, ne aliquis Frater ſit Ambaſciator cujuſcumque Principis, ſeu Poteſtatis aut Communitatis in cauſis ſuſpectis, periculoſis, ſive odioſis; ſub pœna privationis vocis, & loci, eo facto, & ſub pœna carceris, ſecundum quantitatem delicti, vel periculi infligenda. Nec etiam ſit

Pro-

Procurator, aut Defenſor Cauſarum quorumcumque extraneorum, ſine licentia Prioris Generalis, vel Provincialis, ſub pœna prætaxata; ſed neque executiones teſtamentorum quarumcumque perſonarum ſine licentia ſui Superioris valeat acceptare.

## CAPUT X.

### *De Confeſſionibus, & Prædicationibus.*

1. Confeſſiones Novitiorum ante eorum receptionem audiantur per Sacerdotem Ordinis ab Ordinario approbatum: poſt receptionem vero cura audiendi eorum confeſſiones de mandato Clemen. VIII. committitur ſoli Magiſtro Novitiorum. Poterit tamen Superior, etiam Localis, ſi ita judicaverit expedire, vel per ſeipſum, vel per alium ab eo deputatum ſemel, aut bis in anno eorumdem Novitiorum confeſſiones audire. Ex Decreto etiam ejuſdem Clem. VIII. non licet Superioribus Fratrum Subditorum confeſſiones audire, niſi quando ipſi Subditi peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ſponte, ac motu proprio id ab eis petierint: Qui nihilominus eſto Sacerdotes ſint, nequeunt abſque ſuorum Superiorum licentia, alicui ſive extraneo, ſive intra Ordinem Sacerdoti peccata mortalia confiteri, ſub pœna uſurpantium auctoritatem Majorum tam Confeſſori, quam Confitentibus ſimiliter infligenda: præterquam quod abſolutio erit nulla. Verumtamen urgente neceſſitate celebrandi, vel communicandi, aut in itinere de ſuorum Superiorum licentia, & obedientia extra Conventus conſtituti, libere, & licite cuilibet Sacerdoti Ordinis profeſſo etiam loco, & voce carenti, & ſi illius copiam non habuerint, Sacerdoti Novitio, vel Religioſo extraneo, ac etiam Sæculari Presbytero confiteri poterunt. Novitiis etiam Sacerdotibus confeſſiones Fratrum, vel extraneorum audire non liceat, niſi pro inevitabili neceſſitate. Nulli præterea Sacerdotum liceat audire citra articulum neceſſitatis, Religioſos noſtros in confeſſione, niſi de licentia ſui Superioris.

*Confeſſiones Novitiorum audiat ſolum Magiſter.*

*Confeſſiones Profeſſorum nullus audiat, abſque licentia ſuorum Superiorum.*

*Fratres neceſſitate, & in itinere etiam extraneo poſſunt confiteri.*

2. Nulli etiam Fratrum liceat ſine licentia Prioris Generalis, vel Capituli Provincialis, ſeu ipſius Provincialis extra Capitulum Provinciale, & cum præſentatione facta Dominis Diœceſanis Prælatis, & eorum approbatione audire confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum: ſed neque aliquid exequi, quod pertinet ad Ordinarios Eccleſiarum, ut puta Sacramenta Euchariſtiæ, Matrimonii, Extremæ Unctionis miniſtrare, ſine Prælatorum, vel Curatorum licentia; & tunc ſi talibus Fratribus licentia hujuſmodi, ut dictum eſt, tribuatur, videatur quod diligenter ſint examinati, & quod ſufficienter idonei ſint inventi. Et quia in multis caſibus ignorantia eſt periculoſa, & damnabilis: Ideo præcipimus omnibus,

*Nulli liceat audire Confeſſiones ſine licentia Generalis, vel Capituli.*

*Seſſ. 23. cap. 14.*

*Nemo poteſt miniſtrare Eccleſiæ Sacramenta extraneis ſine Ordinariorum licentia,*

bus, & ſingulis Prioribus Provincialibus, ut ſingulis annis in viſitationibus Provinciarum omnes, & ſingulos Fratres ſuæ Provinciæ Sacerdotes de tribus habeant examinare, & probare, videlicet in Miſſis ſuis dicendis, de prædicationibus faciendis, & confeſſionibus audiendis. Et quos non invenerint idoneos, privent miniſtratione Officii, in quo minus ſufficientes inventi fuerint, non obſtante quacumque licentia a Prælatis ſuis majoribus habita, & obtenta.

Provinciales examinabunt ſuos Fratres ſingulis annis de tribus.

3. Item ſtatuimus, & mandamus, quod in quolibet Conventu noſtri Ordinis, caſus Epiſcopales, quos locorum Ordinarii ſibi reſervare conſueverunt, in aliquo loco communi, & publico habeantur: ſic videlicet, ut Fratres deputati ad confeſſiones audiendas, eorum copiam faciliter valeant invenire, ſub pœna gravioris culpæ per decem dies negligentibus infligenda. Sint etiam Priores ſoliciti, & intenti, ut ſciant, & habeant Statuta Synodalia, in quibus frequenter feruntur ſententiæ, & ubi ſimiliter aliqua prohibentur, quæ neceſſarium eſt ſcire, & utile per Fratres confeſſiones Fidelium audientes. Habeant præterea Confeſſarii noſtri Bullam SS. D. Papæ, quæ legitur in Cœna Domini. Et caveant, ne de dictis caſibus Epiſcoporum, & Prælatorum, ſine eorum licentia ſpeciali, abſolvere aliquem audeant, vel præſumant; ſed faciant juxta Ordinationem, & Conſtitutionem Concilii Viennen. niſi forſan aliquis Frater ſuper certis caſibus expreſſam ab Epiſcopis licentiam haberet ſpecialem. Sint etiam Priores Provinciales vigiles, & intenti, ut in Conventibus ſuarum Provinciarum habeantur caſus, in quibus ſententia excommunicationis incurritur ipſo Jure, & præcipue de ſexto libro Decretalium Bonifacii Papæ VIII.; Et ſimiliter de Conſtitutionibus Concilii Viennen., quæ ſunt in Clementinis; ut habeant quantum pro ipſis Fratribus, & confeſſionibus neceſſarium fuerit, & ſalubre animabus: aliter ad hujuſmodi Officium nullus licentietur in præmiſſis.

Caſus reſervati in quolibet Conventu habeantur, & ſint in loco communi. Et ſimiliter ſtatuta Synodalia.

Caveant Confeſſores ne abſolvant a caſibus reſervatis.

Habeantur caſus, quibus incurritur ſententia excommunicationis.

4. Confeſſiones autem in Domibus noſtris in locis manifeſtis, & non alibi audiant. In confeſſionibus autem extra Domos noſtras Frater a Fratre utique videatur, ſub pœna gravioris culpæ per tres dies. Nulli autem Fratri irregulari, ſeu voce, & loco carenti, cura tradatur Animarum; ſed neque tales Fratres confeſſiones Fratrum, vel extraneorum audire permittantur, niſi ſuper hoc cum eis fuerit diſpenſatum, & niſi aliquo caſu arduo occurrente Prior Generalis, vel Capitulum Provinciale cum loco, & voce carentibus forſan diſpenſaret; ſub pœna gravioris culpæ per quadraginta dies, tam facienti, quam permittenti pariter infligenda. Committimus tamen Prioribus Provincialibus extra Capitulum Provinciale, quod diſcernant in caſibus, quibus carentes voce, & loco poſſint audire confeſſiones, & prædicare verbum Dei. Et tunc diſpenſet in his caſibus cum eiſdem.

Confeſſiones audiantur in locis manifeſtis.

Irregularib. &c. non eſt committenda cura animarum.

5. Nullus

5. Nullus Frater habeat poteſtatem abſolvendi aliquem Fratrem a peccato mortali reſervato a ſuo Superiore: ſi autem confeſſus fuerit, vel convictus, quod Fratrem aliquem abſque licentia Superiorum abſolverit de caſu aliquo, quem Prior Generalis, vel Provincialis, ſeu Localis ſpecialiter ſibi reſervaverit, ab actu audiendi confeſſiones penitus ſuſpendatur; præterquam quod abſolutio erit nulla. Et in viſitatione Superioris loco, & voce privetur. Et nihilominus monemus omnes & ſingulos Confeſſores noſtri Ordinis, ut caveant, ne Fratres noſtros ad eos cauſa confeſſionis venientes ſcienter abſolvant de caſu, ſeu caſibus a Superioribus in ſpeciali retentis, quod ſi fecerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto, a qua non poſſunt abſolvi, niſi per Priorem Generalem, vel per ſuum Priorem Provincialem; & abſolutio data nullius erit valoris. Item ſtatuimus, quod Fratres venientes ad Conventum alienum poſſint confiteri Fratribus licentiatis ad audiendum confeſſiones in eodem, quemadmodum Fratres in eodem Conventu commorantes de culpis commiſſis in utroque Conventu, vel in via, præterquam de caſibus a ſuis Superioribus retentis. Debent autem Superiores in retentione caſuum obſervare Decretum Clementis VIII. editum die XXVIII. Maji 1595. *Quod habetur in fine harum Conſtitutionum.*

Nullus Fratrum abſolvat de caſibus reſervatis per Superiores, ſub pœnis &c.

Fratres venientes ad Conventum alienum poſſint confiteri in eodem Conventu commorantibus.

6. Monemus etiam Fratres, ut culpas ſuas dictas in Capitulo communi, in privata confeſſione plenius innoteſcere faciant Confeſſori, ut in debita forma Eccleſiæ abſolvantur. Statuimus autem, quod quilibet Frater confiteatur in loco aperto, ſub pœna gravis culpæ. Celebraturus autem Miſſam primo confiteatur peccata ſua Sacerdoti, & provideat ſibi, ut non confiteatur in Altari, niſi forte de aliquo oblito, & tunc compendioſe fiat, & ſuccincte. Tranſgreſſores autem pœnæ mediæ culpæ: aſſueti vero, pœnæ gravioris culpæ ſubjacebunt.

Quilibet Fratrum in loco aperto confiteatur.

7. Item nullus Frater prædicare præſumat, niſi a Priore Generali, vel Provinciali rigoroſe de vita, moribus, & ſcientia examinatus fuerit, approbatus, & licentiatus: & niſi a Reverendiſſimo Ordinario benedictionem perſonaliter in Eccleſiis noſtri Ordinis, in aliis vero niſi ejuſdem Reverendiſſimi Ordinarii licentiam (ſecundum Decreta Sacri Concilii Tridentini) petierit, & obtinuerit; ſub pœna carceris infligenda. Et abſit, ut collectæ, ſeu eleemoſynæ inter prædicandum receptæ, dicantur eſſe, aut ſint Prædicatorum; eas enim omnino Monaſteriis applicamus, & incorporamus. Sciant autem Fratres noſtri, quod etiamſi Conciones habeant, vel ſermones in noſtris Eccleſiis, conformare ſe debent Evangeliis, & Epiſtolis Miſſalis Romani.

Nullus prædicare præſumat niſi licentiatus &c.

*Seſſio 24. de Reform.*

8. Item ordinamus etiam, quod Fratres in prædicationibus, nec prophetias, nec futura præſumant determinare, niſi expreſſa ſint in Sacra Scriptura, vel in libro aliquo authentico. Nec no-

Prædicatores quæ, & qualia debeant prædicare.

vas opiniones, quæ non proſunt ad bonorum morum ædificationem, nec diſputationem contra ſe invicem, vel contra alios Prædicantes faciant in ſuis prædicationibus, ſub pœna privationis vocis, & loci, & aliis gravioribus juxta menſuram delicti.

Concionatores noſtri ſæpe debent prædicare de B.V. de antiquitate Ordinis, & Confraternitate.

9. Item præcipimus, ut Prædicatores noſtri omni tempore, Quadrageſimæ diebus Sabbatis in Concionibus ſuis intra explicationem Evangelii, & aliarum doctrinarum ſemper aliquid prædicent de Beatiſſima, & Feliciſs. V. Maria Dei Genitrice Domina hujus noſtræ Religionis Montis Carmeli, idque faciant ob devotionem populi in laudem ejuſdem piiſſimæ Matris; Amplius recordabuntur prædicare de Sanctis Ordinis, & ſæpiſſime aliqua exponere de antiquitate, & amplitudine Religionis, & Confraternitatis ſcapularii, ac de earum Indulgentiis, & ſecus facientes non admittentur ad illud Sacrum munus obeundum: ſemper tamen caveant a nimia exaggeratione.

Qui ſunt aſtringendi ad faciendos ſermones.

10. Item mandamus, quod Priores Provinciales in ſuis viſitationibus Conventuum, Fratres, qui ſciunt loqui latine, & ſunt eloquentes, & jam non ſunt promovendi ad ſtudia Ordinis, ſecundum eorum ætatem, & conditionem conſtringant, ut in operibus ſermonum ſtudeant, & coram Conventu aliquos ſermones faciant: ut ſi in hoc ſufficientes, & idonei inveniantur, ſi videatur Provinciali, licentientur ad prædicandum, modo per duos annos ſtuduerint Theologiæ. Item prohibemus, ſub pœna privationis vocis, & loci, quod Fratres prædicantes barbas nutriant, neque vexilla, ſeu aliqua alia ſpecialia ſigna, & extranea ſecum portent, unde populus eos ſequatur.

Prædicatores prohibentur nutrire barbas &c.

# CAPUT XI.

## *De communione Fratrum.*

Communiones Fratrum fiant in anno tredecies.

1. COmmuniones Fratrum generales tredecies præſertim fiant in anno. Primo in Dominica prima Adventus. Secundo in Nativitate Domini. Tertio in Purificatione Beatæ Mariæ. Quarto in prima Dominica Quadrageſimæ. Quinto in die Cœnæ, qua die volumus omnes Fratres de manu Prælati communicari. Sexto in Annunciatione Beatæ Mariæ. Septimo in Paſcha Reſurrectionis. Octavo in Pentecoſte. Nono in die Corporis Chriſti. Decimo in ſolemni Commemoratione Beatæ Mariæ. Undecimo in Aſſumptione. Duodecimo in Nativitate ejuſdem. Tertiodecimo in Feſto omnium Sanctorum. In his autem ſolemnitatibus, nullus Frater audeat, ſe, abſque licentia ſui Superioris, a communione in Miſſa majori facienda abſtrahere, ſub pœna gravioris culpæ per duos dies ſuſtinenda. Verumtamen in omnibus Dominicis totius anni omnes non Sacerdotes in privatis Miſſis communicare debent,

debent, niſi populi devotio, vel laudabilis Conventus conſuetudo, vel alia juſta cauſa requiſierit, ut in Miſſa Conventuali communicent. In Feſtis etiam duplicibus, prout eis Deus devotionem contulerit, communicare poterunt, ſi qui voluerint. Ordinantes & volentes, ut Fratres, tam Laici, quam Clerici temporibus ſtatutis in majori Miſſa communicaturi, Sacerdote communicato, humiliter genufleſtendo faciant communem confeſſionem, dicendo: Confiteor &c. Quo dicto ab omnibus Sacerdos ſubjungat abſolutionem, dicendo: Miſereatur veſtri: & faciendo ſuper eos ſignum Crucis dicat: In nomine Patris &c. Quibus abſolutis, & ſignatis primo communicent Miniſtri Altaris, deinde accedant bini, & bini, ſecundum ordinem ad gradus Altaris reverenter, & revertantur ſub hac forma; videlicet, ut dum primi communicant, eos ſecuturi ſtent ante gradum inferiorem diſpoſiti, & parati: & hoc modo ſe habeant a primis uſque ad noviſſimos, incipiendo a ſenioribus poſt Miniſtros: ita tamen, quod ſi aliquem imparem in fine venire contigerit, ſocium aliquem de inferioribus accipiat, qui eum in eundo aſſociet, & ſimiliter redeundo. Quotieſcunque autem communicant Fratres, linteus mundiſſimus a duobus Fratribus teneatur, qui mentis Fratrum communicantium ſubmittatur. Diaconus autem, vel Subdiaconus paratum teneat Calicem unum, vel duos in manibus, vinum ſubminiſtrando communicantibus ordinate.

*Modus communionis.*

*Ritus communicantium.*

2. Item ordinamus, quod ſi familia Fratrum apud nos communicare debuerit, in aliquo Altari de minoribus Eccleſiæ communicet: idemque volumus obſervari de aliis ſæcularibus. Quod ſi neceſſario in eadem Miſſa ſæculares communicandi ſint, primo Fratres ſe communicent, deinde ſæculares: quod in omnibus Communionibus generalibus ſervandum eſt.

*Fratres ſeorſum a ſæcularibus communicent.*

## CAPUT XII.

### *De veſtimentis, & calceamentis Fratrum.*

1. Veſtimenta Fratrum lanea ſint, ejuſdem formæ, ut habeant tunicas amplas, griſeas, nigras, vel ſaltem ad nigredinem tendentes, rotundas uſque ad talos deſcendentes. Habeant ipſas ſatis latas, non nucleatas, & non apertas a parte anteriori niſi uno palmo cum dimidio, & ſine filis de ſerico, tam in manicis, quam in collo, & alibi. Habeant etiam ſcapularia breviora tunica, ejuſdem coloris cum ea, ſine filis de ſerico, aut alterius coloris a panno. Sint etiam accincti ſuper tunicam zonis de corio nigro, ad latitudinem duorum digitorum per tranſverſum, & non artificiali colore coloratis, non munitis, nec ferratis oſſe quocunque, vel fulgenti metallo, præterquam in extremitatibus, ubi pote-

*Qualitas, & forma veſtimentorum.*

Qualitas veſtium, & indumentorum.

poterit eſſe parum de oſſe. Nullus Frater portet veſtes de alio panno, vel lana, alio quam dictum eſt colore tinctis, ſub pœna privationis loci, & vocis, & gravis culpæ rigide infligenda: exceptis Converſis, & Laicis, qui ubique utantur griſeis ſui nativi coloris, ubi haberi poterunt, ad nigredinem tendentibus; & ſub eadem pœna privationis vocis, & gravis culpæ nullus præſumat deferre indumentum interius, quod non ſit laneum, coloris albi, aut nigri, ſeu griſei ad nigredinem tendentis: permiſſu tamen Superioris illa poterunt habere confecta ex pellibus non tamen piloſis: harum enim uſum ſub prætaxata pœna omnino interdicimus.

Forma tunicellarum.

2. Item ſint albæ tunicellæ rotundæ, in pectore ſciſſæ, & nucleatæ, cum apertura competenti, ut poſſint ſe Fratres apte diſponere ad recipiendum diſciplinas, cum oportuerit, humiliter, & devote. In manicis autem tunicarum inferiorum poterunt, ſecundum quod Prælatis videbitur, unum, aut duos nucleos habere, non ad laſciviam, ſed ad neceſſitatem.

Forma cappæ albæ, & ejus uſus.

3. Quilibet autem Frater habeat cappam albam conſutam a parte anteriori talis longitudinis, ut brevior ſit ſuperiore tunica quatuor digitis per tranſverſum: quam portent in Miſſa Conventuali diebus Dominicis, ac Feſtis (quæ plebs colit,) ſolemnibus ad utraſque veſperas a Feſto Exaltationis S. Crucis uſque ad Paſcha Reſurrectionis, & in omnibus Sabbatis totius anni in Completorio, & in Feſtis duplicibus majoribus ad primas, & ſecundas Veſp. ad Matutinas, ac Miſſam, prout habetur in Cæremoniali.

Prohibentur camiſeæ de lino, & indumenta more ſæcularium.

4. Item mandamus omnibus Fratribus, ut femoralia ſemper portent calciata: & ipſis inhibemus, ne utantur camiſeis lineis, diploide, caligis, aut aliis indumentis conſutis more ſæcularium ad laſciviam. Quia tamen his temporibus noſter Sacer Ordo eſt in longe majori amplitudine, utpote qui totum diffundatur per Orbem, & in quibuſdam Provinciis non poſſunt haberi laneæ; in quibuſdam vero ob inopiam, & egeſtatem non poſſunt pro tanto Fratrum numero comparari; uſum ſtupæ, & cannabi ad conficiendas camiſeas, & linteamina, Summi Pontificis Clementis VII gratia & aſſenſu, inevitabili neceſſitate coacti toleramus. Si quis autem Fratrum auſus fuerit camiſeas criſpatas, aut in collo, aut in manicis apparentes, aut indumenta more ſæcularium conſuta portare, acerrime puniatur; & uſu eorum privetur, ac Chriſti pauperibus diſtribuantur. Et ſint Priores Provinciales, & Locales intenti, ut præmiſſa faciant inviolabiliter obſervari.

Liceat Fratribus habere pelliceas &c.

5. Item liceat Fratribus habere pelliceas de ovibus, aut agniculis ſub tunicis, non ad ſuperfluitatem, ſed potius ad frigus expellendum. Sed & mandamus, ut nullus cujuſcumque conditio-

nis

nis exiſtat, portet chlamydem de die, in locis ſæcularibus apertis, ſed in aliis licebit de diſpoſitione, & licentia Prioris: nec liceat habere in chlamyde fodraturam de pellibus quibuſcumque, ſed ſolum de panno albo, nigro, vel griſeo.

6. Item almucias, ſeu maniceas rubeas, & virides ſimiliter inhibemus, ſed tantummodo Fratres deferant griſeas, nigras, vel albas: prohibentes ne aliquis Frater portet aliquam raubam, ſive biretum ſutum cum aliquo filo viridi, croceo, aut talis coloris, qui poſſit evidenter diſtingui a colore rei ſutæ: nec portent cordulas, ſeu clavarias de ſerico, vel armillas, ſeu punctas, nec alias res curioſas; ſub pœna gravis culpæ per tres dies, & privationis omnium prædictorum: neque habeant burſas de ſerico, neque zonas, ſub pœna prætaxata. Veſtimenta Fratrum non ſint pompaticé conſuta.

7. Item mandamus ſub eadem pœna, quod nullus Frater portet gladium cum manubrio de argento, vel deargentato, ſeu deaurato: nec gladii ferrum habeat in longitudinem ultra latitudinem tranſverſalem unius palmæ humanæ. Cultri non ſint cum manubrio argenteo &c.

8. Fratres noſtri utantur calceamentis nigris, & ligaticiis, & non aliis, exceptis illis, qui in infirmitate patenti, aliis indiguerint munimentis, ſub pœna gravis culpæ per tres dies. Qualitas, & forma calceamentorum.

# CAPUT XIII.

## *De receptione, & probatione Novitiorum.*

1 QUoniam in receptione, & probatione Novitiorum, magna adhibenda eſt diſcretio; ideo venientes ad nos, ut recipiantur, antequam admittantur, hæc requirantur ab eis: an ſint conjugati, ſi debitis, aut ratiociniis obligati, ſi legitime, & ex honeſtis parentibus procreati, ſi habeant aliquod membrum mutilatum, aut uſum alicujus membri amiſſum, ſi deformitatem in corpore, aut infirmitatem celatam, ſi fuerint de aliqua hæreſi ſuſpecti, ſi a noſtra Religione, aut a quacumque alia ejecti etiam infra annum approbationis, ſi ex genere Hebræorum, & Saracenorum, maxime in Provinciis Hiſpaniæ, & Luſitaniæ. Item non recipiantur Fratres alienæ Religionis (Diſcalceatos quoque noſtros includendo) ad habitum noſtrum, niſi in Capitulo generali, etiamſi litteras obtinuerint ſimpliciter tantum concedentes tranſitum a SS. D. Papa: eis proteſtando, quod ſi aliquem horum defectuum patiantur, non tenebuntur; ſed habita certa cognitione expellentur. Modus ſervandus in recipiendis Novitiis. *V. App. n.21. & n.22.*

2. Item majores ſexdecim annis non aliter ad Religionem admittantur, quam juxta moderationem Conſtitutionis Sixti V. quod ſcilicet extra Capitulum generale, vel Provinciale, de licentia tamen Provincialis, vel Generalis, a tribus, vel quatuor Vocalibus Quando recipiendi ſint majores XVI. annis.

libus fiat diligens inquiſitio de eorum parentibus, & fama, deque ante acta vita, & moribus, & ſumatur accurata informatio, quod non ſint aliquorum criminum rei, vel ſuſpecti, & propterea damnati ſint, aut ne damnentur formidetur, neque ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum gravati, nec reddendis ratiociniis ita obnoxii, ut ex hujuſmodi cauſa lis, vel moleſtia eis jam illata ſit, vel extet dubium, ne inferatur, & quod denique non humana aliqua ratione, ſed tantum devotionis, & pietatis ſervore vitam Religioſam ſponte eligant: qui vero quempiam aliquo ex prædictis requiſitis carentem recipiet, privatus erit, juxta Conſtitutionem Sixti V. voce activa, & paſſiva, necnon officiis, gradibus, honoribus, ac dignitatibus obtentis quibuſcumque, & ad illa, ac alia quæcumque in poſterum obtinenda perpetuo inhabilis. Inſuper ſi quis ad Ordinem conjugatum ſcienter receperit, aut corpore mutilatum, aut deſormitatem notabilem habentem, aut carentem uſu, vel ſenſu membri, aut de hæreſi ſuſpectum, vel a noſtro, aut aliquo alio Ordine pro aliquo defectu ejectum, pœna depoſitionis ab Officio puniatur, atque gravioris culpæ per decem dies tam ipſe recipiens, quam aſſenſum præbentes: quibus pœnis plectendi ſunt etiam in Hiſpania, qui recipient natos ex Judæis, aut Saracenis.

*Pœnæ contra eos, qui aliquem ad ordinem indebite receperint.*

3. Si quando evenerit quempiam ex Novitiis temere a Conventu fugam capere, ac extra Conventum in domos ſæcularium ſe conferre: ordinamus non poſſe hunc amplius ad habitum Religionis, atque adeo intra Conventum recipi abſque expreſſa licentia Prioris Generalis, & hoc pro prima vice: quod ſi ſecunda vice hoc idem effecerit, tunc neque Prior Generalis ſine conſenſu Capituli generalis eundem admittere valeat. Cum vero prima vice admittetur, incipiat annum probationis a die, quo iterum fuerit in Religionem acceptatus. Et ſi contigerit Novitium aliquem in Conventu, in quo annum probationis perfecit, a Regularibus noſtris non admitti, ſed repulſam pati: ſtatuimus non poſſe in quolibet alio Religionis noſtræ Monaſterio accipi ſub pœna privationis officii, & dignitatis Priori, & accipientibus infligenda.

*Novitii aufugientes è Conventu, quando recipiendi.*

*Novitius ſemel paſſus repulſam in uno Conventu in nullo alio recipiatur.*

4. Prohibemus Prioribus Provincialibus, & Localibus, ſub pœna depoſitionis ab officiis eorum, ne recipiant ſpurium, aut Sacerdotis filium poſt Sacri Ordinis ſuſceptionem procreatum, nec jam receptum ad profeſſionem admittant, ſine gravi, & notabili cauſa, quæ ante profeſſionem Priori Provinciali declaretur, & ab eo dumtaxat, pro jam recepto, licentia habeatur. Poterunt Prior Generalis, & Provincialis ſine conſenſu cujuſcumque ad Novitiatum ex ſæculo, vel ad Profeſſionem debitæ ætatis per annum probatum recipere, quando eis videbitur expedire. Non tamen poterit aliquis affiliari ex uno Conventu in alterum, ſine aſſenſu, & vo-

*Spurii non debent recipi. Et ſi forent recepti, non debent ad profeſſionem admitti.*

*V. App. n. 21. & n. 23.*

& voluntate gremii Conventus, cujus filius eſſe optabit; itaut tam in profeſſione, quam in affiliatione habeatur aſſenſus gremii Conventus. Poterunt etiam Priores Locales, & alii, quibus Prior Generalis, vel Provincialis decreverint concedere, ad habitum, & profeſſionem admittere aliquem, ſed nonniſi de conſenſu majoris, & ſanioris partis Conventus per ſecreta ſuffragia percepto; ſub pœna gravis culpæ per decem dies, & depoſitionis ab officiis.

5. Item nullus in Fratrem Clericum recipiatur, niſi ſit in ætate quatuordecim annorum, & eam litterarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, ut minores, & ſuis temporibus majores Ordines, juxta Decreta Sac. Concilii Tridentini ſuſcipere valeat; nec ad profeſſionem talis admittatur, niſi in Officio Eccleſiaſtico ſufficienter eruditus. Nullus etiam Laicus recipiatur, niſi a Priore Generali, vel Provinciali, aut ex eorum ſpeciali commiſſione, qui Laicos poterunt recipere in Fratres, vel Semifratres, prout viſum ſibi fuerit expedire, nullum tamen recipiant, niſi in aliqua arte mechanica Ordini neceſſaria inſtructum, niſi inevitabile damnum ipſos a receptione talium valeat excuſare. (a)

*Non recipiatur aliquis in Clericum, niſi idoneus.*

*Non recipiantur Laici, niſi per Generalem, vel Provincialem.*

6. Item ſtatuimus, quod nullus cujuſcumque conditionis ſit, aut exiſtat, recipiat aliquod donum, (quantumcumque modicum) dono, vel pacto a Novitio pro eo recipiendo, vel ejus amicis, ſub pœna carceris, & reſtitutionis accepti indilate faciendæ: & ſi recipiendus aliquam eleemoſynam ſpontaneam devotione ſua Ordini conferre voluerit, in Altari miſericorditer offeratur, vel manifeſte conferatur in commune. Et ſimoniæ periculo obviare volentes, in virtute Sanctæ obedientiæ inhibemus; ne aliquis Præſidens in Conventu, quocumque modo aliquem Novitium cum pecunia recipiat, ſed primo ſimpliciter ſi idoneum, & devotum videat, offerat ei Fratrum ſocietatem: concedens, ut poſt, ſalva conſcientia, poſſit ſecum aſportare neceſſaria: & Fratres ſuas indigentias ei oſtendere poterunt, ſi Conventus ſit ita pauper, quod non poſſit de veſtimentis, & lectiſterniis, & aliis neceſſariis ſufficienter providere. Conſulimus autem, quod recipiendus, ante ſuſceptionem habitus, expediat ſe de omnibus, quæ habet in ſæculo, niſi ex cauſa rationabili per Priorem Generalem, vel Provincialem fuerit aliter ordinatum, ne diabolo ſuggerente, in temporalium adminiculo confidens de reverſione ad ſæculum gravius tentaretur. In qua tamen re, quoad bonorum renunciationem ſervetur Decretum Concilii Tridentini.

*Nullo modo debent recipi munera pro Noviciis acceptandis.*

*Quid primo ſit Noviciis proponendum.*

*Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 16.*

*Recepturi habitum expediant ſe de omnibus quæ habent in ſæculo.*

7. Moneatur etiam recipiendus reſignare omni juri repetendi veſtimenta facta ad modum Ordinis, a quocumque ea ſuſceperit, etiamſi de ſua propria pecunia emerit, caſu quo ab ordine reſiliret.

*Seſſ. 25. de reg. c. 16.*

CA-

(a) *Nec ante 20. ætatis ſuæ annum. Clem. VIII. & Urban. VIII. in Decr. Refor.*

# CAPUT XIV.

## *De Inſtructione Novitiorum.*

Tempus probationis Novitiorum.

1. PRobationis tempus Novitiorum, poſtquam induti fuerint, per annum integrum aſſignatur, computandum a Kalendis, vel Idibus, ſive Nonis, & non a Feſtis mobilibus: ita quod Prælati, eos ante tempus profeſſantes, ipſo facto eſſent ſuſpenſi de jure ab actu alios profeſſandi. Quod ſi non habita diſpenſatione, alium profeſſarent, ipſo facto eſſent ſententia juris excommunicati & ab Officiis abſolvendi, quamcumque etiam ætatem haberent profeſſandi. Nullus autem ante ſextum decimum expletum annum ad profeſſionem ſuſcipiatur.

Pœna profeſſantium ante tempus.

Nulli Novitio eſt tradendum Officium in ordine.

2. Item nulli Novitio tradatur aliquod officium, niſi ex magna neceſſitate, committatur: ſed attendatur, quod de ſalute animæ ſuæ ſit ſolicitus, quod ſit devotus in Eccleſia, quod confiteatur compunctus, quod humilis, manſuetus, obediens, aſpectu, & geſtu pudicus, non diſſolutus, non loquax, non rixoſus, non male morigeratus. Et ſi inemendabilis videatur, ſtatim ejiciatur, ne cæteros pravis moribus inficiat. Habeant Novitii Magiſtros morum, qui ipſos doceant doctrinam Chriſtianam, & frequenter moneant de mutatione morum; & corrigant eos etiam increpationibus, & diſciplinis caritativis. Et ſi Magiſtri ſint negligentes erga eos informandos, aut nimis indiſcreti in corrigendo, pœna gravioris culpæ corrigantur, ſecundum exigentiam delicti: & alii eorum loco aſſignentur.

Magiſtri Novitiorum caritative corrigant ipſos Novitios.

Novitii in primis ſint intenti ut Officium diſcant &c.

3. Item ſtatuimus, ut Novitii Clerici, tempore Novitiatus ſint intenti ſolicite, ut addiſcant Divinum Officium, & informentur a Magiſtro de ſingulis punctis Regulæ, de Cæremoniis Chori, in ſedendo, ſtando, genuflectendo, inclinando, ſe Cruce ſignando, quando, & qualiter talia debent fieri, ſecundum ordinale, & de inſtitutis harum Conſtitutionum. Nec aliquo ſtudio occupentur per quemcumque, donec fuerint in his ſufficienter inſtructi. Et Priores, & Novitiorum Magiſtri in hoc negligentes, per ſeptem dies pœna gravioris culpæ puniantur.

Nullus Novitius promoveatur ad Sacros Ordines.

4. Item nullus Novitius ante profeſſionem faciat, vel ſe permittat ad Sacros Ordines promoveri: quod ſi fecerit, a noſtro Ordine expellatur, & Prior promovens graviter puniatur.

Nullus Novitiatum ingrediatur.

5. Item ordinamus, quod nullus Frater ex ſe temere audeat ingredi Novitiatum, cujuſcumque gradus, ætatis aut conditionis exiſtat, ſolis morum, & Grammatices Magiſtris, & ſimiliter Priore exceptis: ſub pœna graviſſimæ culpæ per decem dies infligenda.

Ubi ſunt ſaltem quatuor

6. In quolibet Conventu, in quo ſunt quatuor ſaltem Novitii, quo-

quotidie ab ipſis Miſſa de Beata Virgine cantetur, eorum Magiſtro aſſiſtente. Inſuper poſt Completorium ad Altare ejuſdem Virginis accedant, ubi devotas aliquas laudes perſolvant.

Novitii quotidie Miſſa de B. Virgine ab eis cantetur.

7. Novitii ad ea ſtudia deputentur, quibus eorum ingenia magis apta ſaniori parti Conventus videbuntur: non enim ſolis Doctoribus, & Concionatoribus Familia noſtra indiget; ſed & Cantoribus, aliiſque virtutibus inſignitis.

Deputentur ad ſtudia juxta eorum ingenia.

8. Nullam converſationem cum Profeſſis, aliiſque Fratribus habebunt; ſed in loco eis deputato permanebunt: & accedentes cum eis ad aliquam lectionem, ſeorſum, & ſeparatim aſtent, ſeu aſſiſtant, debita honeſtate ſervata; ſub pœna gravioris culpæ tranſgreſſoribus infligenda per tres dies.

Nullam cum aliis Fratribus habeant converſationem.

9. Ordinamus, ut ſingula hebdomada, ideſt in Dominica, peccata ſua confiteantur: immo qui in ætate legitima conſtituti ſunt, etiam *Sacram* Communionem ſuſcipiant: & omnes in Refectorio veniam, & Benedictionem petant a Reverendo Priore, & cæteris Patribus.

Semel in hebdomada ſua peccata confiteantur.

10. Non permittatur ullo modo, ut ſordidas, aut laceratas deferant veſtes, cum maxime in ipſis apparere debeat munditia, & in habitu Beatæ Virginis candor, & puritas; & ideo eis omnia commode a Conventu provideantur, & tanquam filii, matris lacte nutriantur: nulluſque ex ipſis alicui ex Fratribus inſerviat, nec ad ejus cuſtodiam deputetur; ſed in Novitiatu cuſtodiantur, quo facilius litteris, boniſque moribus operam dare valeant.

Non deferant veſtes ſordidas, & laceratas.

11. Item Priores non permittant Novitios ab aliquo inferiori redargui, niſi a Migiſtro ſuo, vel Superiore: quod tamen raro fiat, & in Magiſtri defectu evidenti. Novitii non interſint ſecretis Capituli cujuſcumque, ſed ſi ibi vocentur, faciant culpas ſuas ante Profeſſos, Laicos, & Semi-Fratres, & poſtea exeant.

Novitii omnes uni Magiſtro ſubjaceant.

12. Item ſtatuimus, quod ſi quis receptus fuerit in Fratrem cum Tonſura Clericali, & tamquam Clericus, & intra duos annos neſciverit legere, & intelligere competenter, nullo modo ad Sacros Ordines poſſit promoveri: ſed abraſa corona Clericali in Converſum pro ſervitio Conventus deputetur.

Inhabiles ad diſcendum corona Clericali priventur.

# CAPUT XV.

## *De Profeſſis.*

1. CUM Novitii emiſſionem ſuæ Profeſſionis per tres diſtinctos dies, juxta antiquam, & laudabilem Ordinis conſuetudinem coram toto Conventu humiliter petierint: Ordinamus, & ſtricte præcipimus, quod Priores ipſis aperte, clare, diſtincte, & publice Religionis onera proponant, & eis declarent, quæ ſub pœna peccati mortalis, vel venialis, & quæ ſub temporali pœna

Profeſſandis onera Ordinis explicentur.

Omnes profeſſionem emittant ſub proprio nomine P. G.

Novitii finito tempore probationis profeſſionem emittant.

*Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 16.*

ſervanda ſunt. Et omnes Fratres, tam Provinciarum, quam Congregationum profeſſionem ſolemnem emittentes, immediate, & ſub proprio nomine Prioris Generalis univerſi Ordinis, ſive abſentis, ſive præſentis profiteantur, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, juxta indultum Clemen. VII., & Gregorii XIII. Et animadvertant Superiores Conventuum, quod Novitii in legitima ætate conſtituti, expleto probationis anno ad votum profeſſionis admittant, ſi habiles invenerint: alias ab Ordine ejiciant.

Profeſſi ſub clauſura maneant.

2. Profeſſi Novitiatum egreſſi, donec ad Subdiaconatus Ordinem ſaltem promoveantur, ſemper maneant ſub cuſtodia, & clauſura; itaut in Conventibus majoribus deputetur in Magiſtrum Profeſſorum aliquis Pater, qui ſit integer vitæ, ſceleriſque purus: in minoribus vero Conventibus, eorum regimen habeat Subprior. Nullumque commercium, familiaritatem, aut converſationem habeant, niſi cum paribus, & æqualibus ſuis; & ſtudeant non ſolum literis, ſed etiam moribus, ſintque ſpirituales.

Profeſſi non accedant ad Dormitorium Sacerdotum, niſi &c.

3. Nemo ex Profeſſis audeat ſine licentia Prioris ad dormitorium Sacerdotum accedere, neque cum eis aliquam converſationem habere; niſi aliqui Patres ætate, & bonis moribus venerabiles, ex conſenſu Vocalium Conventus, aliquos de ipſis Profeſſis ſuſceperint in Alumnos: qui ſic accepti, horis opportunis ipſis, tanquam Patribus, poterunt honeſte ſervire, & ad eorum cameras tantum directe accedere.

Profeſſi quotidie inſtruantur in moribus.

4. Inſtruantur quotidie Profeſſi, ut ſint morigerati, devoti, timentes Deum, & humiles: & ſi eſſent natura protervi, & ſuperbi, quotidianis correctionibus, & diſciplinis mortificentur uſque adeo, ut evadant non ſolum reverentes, ſed etiam amatores virtutum, & morum.

Profeſſi ſemel in hebdomada confiteantur.

5. Confiteantur inſuper ſingula hebdomadæ Dominica Confeſſori per Priorem deputato: & ſimul omnes poſt confeſſionem petant veniam negligentiarum, & delictorum in Refectorio, & ſuſcipiant humiliter Prioris, & Patrum admonitiones. Hoc idem fieri ordinamus a Fratribus Laicis, & Semifratribus.

In quibus Profeſſi præcipue debent inſtrui.

6. Inter cætera inſtruantur, ut ſemper teneant manus ſub patientia, & habeant oculos demiſſos in terram: neque ſint arrogantes inceſſu, vel intuitu; & quod in Conventibus, in quibus ita fieri oportet, quando fuerint ordinati ad miniſteria, & ſervitia peragenda, ſic ſe habeant, ut non ſolum ſine crimine, ſed & ſine ſuſpicione univerſa fiant.

Habeatur liber in quo ſcribantur nomina, & ætates Novitiorum, & Profeſſorum.

7. Item ordinamus, quod in omnibus, & ſingulis Conventibus habeatur liber, in quo ſcribantur nomina, & ætates Novitiorum receptorum ad Ordinem cum die ſuæ receptionis, & profeſſionis, ſi illam emiſerint. Literæ vero teſtimoniales pro ætate prædictorum authenticæ deducantur a libris ordinariis Parochiarum

rum, in quibus fuerint baptizati: vel ſi libri hujuſmodi non haberentur, recipiantur teſtes per manum publici Notarii, qui omnino idonei ſint, & fide digni pro prædictis ætatibus comprobandis. Quod ſi prædictæ litteræ eſſent tranſmittendæ in longiores partes, literæ omnes tam Parochiales, quam confectæ per manum Notarii, authenticentur per fidem Communitatis Civitatum, ſive Locorum ſubſcriptam, & ſigillatam, ut fieri ſolet. Et iſta prænotatio, ſive deſcriptio receptionis, ſive profeſſionis cum expreſſione dierum, in quibus prædicta celebrantur, & nominum Notariorum profeſſiones ſtipulantium fiat a Superiore eodem die receptionis, aut profeſſionis; ſub pœna rebellibus debita, & excommunicationis latæ ſententiæ. Graviſſima ſiquidem pœna graviſſimo inter alia mala temeritatis vitio occurrendum eſt, quo facile tentarent aliqui multis & teſtium, & parentum perjuriis ante legitimam ætatem ad Sacros Ordines promoveri, atque in eis damnabiliter miniſtrare.

8. Nullus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Preſbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur. Si quis autem ante prædictam ætatem Sacros Ordines ſuſceperit, carceri mancipetur ad arbitrium Prioris Generalis, vel Provincialis: & ipſo jure ſuſpenſus remaneat ab executione Ordinum, donec cum eo fuerit diſpenſatum: & Superior, qui repertus fuerit licentiam Sac. Ordinum dediſſe alicui ante legitimam ætatem, nec debitam adhibuiſſe diligentiam, ſit ipſo facto a ſua functione abſolutus. Sciant autem RR. Magiſtri noſtri Provinciales non ſingulos in ea ætate conſtitutos ad hos ordines eſſe aſſumendos, ſed dignos dumtaxat, moribus, & doctrina ornatos. Non dabunt igitur Provinciales licentiam ſuſcipiendi Sac. Ordines, niſi competenti doctrina inſtructis, & habentibus a PP. Sacerdotibus Conventus teſtimonium de ſua vita, & moribus, juxta normam Conc. Trid., & litteras etiam teſtimoniales authenticas ætatis legitimæ eorumdem, quas apud ſe productas retinebunt, ut, ſi opus fuerit, de licentia data rationem reddere valeant. Et omnino caveant; ne quævis munuſcula etiam a ſponte dantibus pro licentiis S. Ordinum, vel etiam Confeſſionum, aut prædicationum, ſub pœna ſimoniacis debita, accipiant.

De condit. Ordinand. *Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 12.*

Non concedant Provinciales licentiam ſuſcipiendi Sacros Ordines non habentibus literas teſtimoniales.

9. Advertant autem, quod litteras dimiſſorias pro ſuſcipiendis Ordinibus ſuis ſubditis concedere debent ad Epiſcopum eorum Diœceſanum, & ſi is abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, exprimendo in ipſis litteris cauſam abſentiæ Diœceſani, vel Ordinationum ab eo non habendarum: & ſciant, quod diſpenſare in interſtitiis pertinet ad Epiſcopum ordinantem, & ideo ſi quandoque judicaverint cum aliquo ſuo ſubdito in eis diſpenſandum, debent per litteras Epiſcopum

Dimiſſoriæ pro ordinibus ſunt concedendæ ad Epiſcopum Diœceſanum.

ſcopum rogare, ut in illis cum tali, & tali dignetur diſpenſare, attenta tali, vel tali cauſa, ſcilicet neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ.

Nullus abſque licentia promoveatur.

10. Si quis autem ex Profeſſis Clericis permiſerit ſe ordinari ſine licentia Prioris Gen., vel ſui Provincialis, pœnam carceris per quadraginta dies ſuſtineat, & ab executione Ordinum ſit ſuſpenſus, donec per Priorem Gen., vel ſuum Provincialem cum eo fuerit diſpenſatum, ſervatis tamen, quæ de jure ſervanda ſunt.

# CAPUT XVI.

## *De Laicis, Semifratribus, & labore Fratrum.*

Non recipiantur Laici, ſeu Semifratres, niſi &c.

1. Ordinamus, quod in Conventibus noſtris ſit conveniens numerus Fratrum Laicorum, & Semifratrum, qui Clericis, cum opus fuerit, inſerviant, obſequiiſque humilioribus Conventuum occupentur, juxta diſpoſitionem Præſidentis: & non recipiantur ad habitum noſtrum, niſi prius recte ſciverint Pater noſter, Ave Maria, & Credo &c., & niſi etiam noverint ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita, & demum niſi fuerint in vigeſimo ætatis ſuæ anno conſtituti.

Laicorum, & Semifratrum habitus. *V. App. n. 24.*

2. Fratres Laici habeant tunicam griſeam, & breviorem Clericis pede medio, cum ſcapulari, & capucio; & pro neceſſitatibus Conventus mitti poſſunt ſoli cum albo pallio, & capucio ejuſdem coloris. Semifratres autem diſtinctum habeant habitum ab omnibus aliis Fratribus, tunicas ſcilicet griſeas uſque ad mediam tibiam ſine ſcapulari, & capucio; & pallium, ſive tabarrum album non capuciatum: in capite vero geſtent birretum abſque cornibus.

Ad quid teneantur Laici, & Semifratres. *V. App. n. 4.*

3. Laici, & Semifratres profiteantur obedientiam, caſtitatem, & ſine proprio vivere uſque ad mortem. Et Semifratres dicant Horas, ſicut Laici per Regulam ſunt aſtricti; & animadvertant, ut cuilibet Pater noſter ſubjungatur in fine Ave Maria, atque ſingulis diebus, legitimis actibus non impediti, interſint Miſſæ.

Laici faciant reverentiam Clericis.

4. Laici, ubicumque fuerint ſive in Conventu, ſive extra, ſemper faciant Fratribus Clericis reverentiam, & præcipue exiſtentibus in Sac. Ordinibus: ſed potiſſime Sacerdotibus, eis humiliter reſpondendo, & cedendo, ſub pœna gravioris culpæ, quoties deprehenſi fuerint, infligenda: & ſimiliter Semifratres, qui etiam cedant Laicis. Sciant autem Laici, quod etiam ſi profeſſi ſint, in proceſſionibus, & publicis functionibus locum cedere debent Novitiis Clericis.

Laici non diſcant literas, nec libros habeant.

5. Quicunque Ordinem Laicus intraverit, nec literas diſcat, nec libros ad uſus proprios portet, ſub pœna carceris tam ipſis, quam Superioribus permittentibus infligenda. Quod etiam & de Semifratribus intelligi volumus.

6. Si

6. Si quis autem ex eis temere cum corona Clericali fecerit ſe tonſurari, vel ad Sac. Ordines promoveri, carceri mancipetur per annum: & abraſa corona Clericali, perpetuo indiſpenſabiliter ſit ſuſpenſus ab executione Ordinum, & obſequiis vilioribus Conventus addictus, inter Laicos ſemper, & ubique locum teneat: & ſi aliquis Provincialis auſus fuerit ullum Laicum corona Clericali donare, abſque mora ſuo officio privandus erit: & Laicus etiam ordinatus abraſa corona perpetuo manebit ab Ordinum executione ſuſpenſus, & inter Laicos habendus erit.

*Pœna infligenda Laicis temere promotis. V. App. n. 25.*

7. Mandamus Prioribus Localibus, & Præſidentibus Conventuum, quod omnes Fratres ſuos tam Clericos, quam Laicos per Sanctæ Obedientiæ meritum moneant, inducant, & ſi opus ſit, compellant ad aliquid operandum: & ſemper eos in aliqua bona occupatione ponant, ac teneant; ſub pœna gravis culpæ per duos dies, tam Priori, quam otioſis, aut vage diſcurrentibus infligenda: cum in Regula mandetur, ſemper aliquid boni operari. Nec volumus, quod Priores, aut quicumque Majores permittant quoquo modo ſuos ſubditos otioſe diſcurrere, vel vagari. Clerici ſtudeant, ſecundum quod fuerint diſpoſiti, & ſemper poſt divina peracta occupentur circa virtutes. Fratres vero Laici, & Semifratres ad arbitrium ſui Prioris laborent, non ſolum intra Conventum, ſed etiam extra, quilibet in arte ſua, & opere ſuo, vel quocumque alio; ſub pœna inobedientium eis infligenda. Et Fratres tam Clerici, quam Laici, & Semifratres ſine murmure operentur, ubi, & quando aliquid operandum, & laborandum eſt, proprietatis vitio penitus abdicato.

*Fratres nullo modo ſint otioſi cujuſcumque conditionis exiſtant.*

# CAPUT XVII.

## *De Studiis, & Studentibus in generali.*

1. Quoniam ignorantiam cognoſcimus eſſe erroris matrem, & cujuslibet ſtatus ruinam: ideo Ordini noſtro ſuper hoc providere cupientes: Statuimus, quod in Ordine ſint ſtudia generalia triginta octo, videlicet; Romæ, Pariſiis, Toloſæ, Paduæ, Papiæ, Neapoli, Florentiæ, Senis, Piſis, Taurini, Cremonæ, Ravennæ, Cataniæ, Drepani, Meſſanæ, Panormi, Barchinone, Salmanticæ, Compluti, Ilerdæ, Conimbricæ, Toleti, Valliſoleti, Valentiæ, Oſcæ, Granatæ, Hiſpali, Oſſunæ, Cordubæ, Londini, Coloniæ, Moguntiæ, Lovanii, Avenione, Perpiniani, Burdigalæ, & Andegavi. In quibus omnibus ſint continui Regentes, & Lectores Artium cum Studentibus idoneis. (a)

Studia generalia ſunt 38. *Adde Licii, Cracoviæ, Viennæ, S. M. de Vita, Duacii, Vilnæ, Capuæ, Bononiæ, Leopolis, Bitunti, & Conſentiæ.* *De Studiis v. App. §. vii. per totum.*

2. Item

(a) *Pro Studiis Italiæ vide Decreta confirmata a Clemen. XI. in Bullario Carm. tom. 2. pag. 690.*

Quælibet Provincia poteſt mittere ad ſtudia Studentes.

2. Item ordinamus, quod quælibet Provincia poſſit mittere, Studentes ad quodlibet ſtudium generale; de licentia tamen, & aſſenſu Prioris Generalis. Declarantes, quod ſi in aliquo Conventu eſſent plures idonei ad ſtudia, qui mittendi eſſent ad aliquam Univerſitatem, Conventus ille teneatur ſolitam ſubventionem pro ſuis neceſsitatibus ſupplendis aſsignare omnibus, & ſingulis ſic miſsis, & talis proviſio non aſsignetur cuique ultra ſexennium. Decernentes inſuper, quod quilibet Conventus Ordinis habens facultatem nutriendi octo Fratres, teneatur manutenere unum Juvenem in ſtudio, & ei ſolitam ſubventionem dare; ſub pœna privationis Priori, & rebellionis Fratribus dicti Conventus infligenda. Studentes vero ad ſtudia generalia extra ſuam Provinciam non mittantur pro veteri Logica audienda primitus; nec ab Italia ultra montes; nec ullo modo promoveantur in forma ſimplici ſine Prioris Generalis licentia.

Subventio Studentibus ultra ſexennium non detur.

Quilibet Conventus nutriens octo Fratres, manuteneat unũ Studentem.

Nullus diſcolus promoveatur ad ſtudia.

3. Item ſtatuimus, quod nullus diſcolus cujuſcumque Provinciæ, vel rixoſus, aut qui brigam fecerit, vitioſus, vel aliunde inhoneſtæ converſationis ſuſpectus, qui etiam crimen perpetravit, vel ſcandalum notabile fecerit; etiamſi ab Ordine non receſſerit: ſimiliter etiam, qui aliquando ab Ordine apoſtataverit, & ſpurius, aut qui in alio Ordine fuerit profeſſus alias, ad noſtrum etiam veniens cum diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, promoveatur ad aliquod ſtudium, nec ad Subprioratum, Vicariatum, aut ſuperius Officium, ſine expreſſa diſpenſatione Prioris Generalis, aut illius, cui ſuper hoc vices ſuas ſpecialiter, & expreſſe commiſerit: nec infra ſuam Provinciam, nec extra, ſub pœna depoſitionis Provinciali ab Officio, & inhabilitationis Diſſinitoribus ab actu diſſiniendi in poſterum. Nec promoveatur aliquis ad ſtudium, niſi prius a Diſſinitoribus Capituli Provincialis præſentetur Priori Generali fidem facientibus, quod talis non eſt rixoſus, diſcolus, vitioſus, male ſuſpectus; ſed docilis, humilis, morigeratus &c. ſub pœna ſimili: ſcilicet depoſitionis ab officio Provincialatus, & Diſſinitoribus ab actu diſſiniendi in poſterum. Hoc idem de Lectoribus, Baccalaureis, & cæteris graduandis obſervari mandamus: volentes, quod ſi ex quacunque provincia tales fuerint aliquando promoti, aut in ſtudio, ad quod tales ſunt miſſi, tales reperti, ipſo facto ſint privati perpetuo omni ſtudio, & gradu.

Studentes a ſtudiis non revertant ad ſuas Provincias ſine licentia &c.

4. Item ordinamus, quod nulli ſtudentes a quibuſcunque ſtudiis generalibus redeant ad ſuas Provincias ſine Prioris Generalis, & ultra montes ſaltem ſine Vicarii Generalis, aut Provincialis aſſenſu: neque Prior ſtudii generalis habeat talibus licentiam dare ad eorum inſtantiam, ſub pœna depoſitionis ab Officio.

Nulli promoto ad lectu-

5. Item firmiter ſtatuimus, quod nullus promotus ad lecturam ſententiarum, præſumat gradus Licentiæ, aut Magiſterii ſu-

ſcipe-

ſcipere, abſque expreſſa licentia Prioris Generalis ſpecialiter conceſſa: non obſtante quod in litteris ſuæ promotionis haberetur, quod uſque ad gradum Magiſterii procederet incluſive; & hoc ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis gradus, honorum perpetuo.

ram ſententiarum conceditur gradum Magiſterii ſuſcipere, niſi &c.

6. Item ſtatuimus, quod quilibet Baccalaureus, qui ſententias legerit in quacunque Univerſitate, ad hoc ut formetur, remaneat in ſequenti anno; & ſit Magiſter ſtudentium, legatque Philoſophiam naturalem, vel moralem: Pariſiis vero ſolum moralem, vel Theologiam legat. Ordinamus, quod ſi Magiſter ſtudentium Conventus Pariſienſis ſit abſens; ſemper junior Baccalaureus formatus, in aliis vero ſtudiis noviſsimus Lector ſit Magiſter ſtudentium. Mandamus, quod in omni ſtudio Magiſter ſtudentium omnes actus ſcholaſticos fieri conſuetos, intus, vel extra infallibiliter exerceat, & ſequatur.

Baccalaurei ad hoc ut formentur, quid agere teneantur.

7. Item ordinamus, quod lectiones in Logica, Philoſophia, & Theologia initium ſumant a Feſto Nativitatis Beatiſsimæ Virginis Mariæ uſque ad octavam Epiphaniæ; deinde ab octava Paſchatis uſque ad Feſtum Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli. Neque intermittantur lectiones, niſi deputati ad legendum aliqua infirmitate fuerint correpti. Tempus Quadrageſimæ intermittitur, ob eos, qui prædicationibus navant operam, tam Studentes, quam Regentes.

Quo tempore incipiant lectiones, ac deſinant.

8. Item ordinamus, quod Magiſtri, Baccalaurei, & Lectores in quolibet Capitulo Provinciali ordinentur ad legendum in ſua Provincia, ſi ſani fuerint: niſi ex magna multitudine contingeret eos vacare: & niſi pro aliqua cauſa utili toti Ordini, vel ex ordinatione Prioris Generalis eſſent legitime occupati.

In quolibet Capitulo Provinciali ordinentur Graduati ad legendum in Provincia.

9. Gradus extra Provincias Hiſpaniæ (pro quibus ſunt ſpecialia ſtatuta inviolabiliter obſervanda) hoc modo & non aliter a R. P. Ordinis concedendi erunt. Nempe Curſoratus, perfecto curſu totius Philoſophiæ incluſa metaphyſica, habitis tamen prius diſputationibus publicis ſuper univerſa Philoſophia, & quatuor lectionibus, prima de phyſico auditu, ſecunda de Cælo, & generatione, tertia de anima, & quarta de metaphyſica. Lectoratus, finito curſu Theologiæ, habitis publicis diſputationibus de univerſa Theologia, & quatuor lectionibus juxta quatuor partes ſummæ D. Th. Baccalaureatus, ubi poſt Lectoratum per duos annos legerint Philoſophiam, vel Theologiam, vel duas publicas diſputationes ex prima parte, & ſecunda ſecundæ habuerint; & Magiſterium, ubi poſt Baccalaureatum per duos alios annos, vel legerint Philoſophiam, ſeu Theologiam, vel habuerint duas publicas diſputationes ex ſecunda ſecundæ, & ex tertia parte. Patentes vero aliter, vel alio modo conceſſæ nullæ ſint; & nullius valoris, & momenti cenſeantur, tanquam ſi numquam conceſſæ fue-

Quomodo ſint conferendi gradus Theologici extra Hiſpaniam.

Curſoratus non eſt gradus Theologicus.

fuerint. Sciant autem Curſores ſe non eſſe graduatos, & inter ſe debent tenere gradum ſuæ profeſsionis. Imo ſi quis ex inferioribus Studentibus prius fuiſſet Profeſſus, in Choro, Refectorio, & proceſsionibus locum ſuæ Profeſsionis obtinebit: quamquam in his, quæ pertinent ad ſtudium, Curſores in cunctis debeant illis præcedere.

10. Nullus in poſterum inſtituatur Magiſter, Præſentatus, vel Baccalaureus, vel alius qui dicitur de gratia graduatus, neque ex ſaltu, etiam ſi per aliquot annos in ſtudiis ſe exercuerit, ſuper quo nec poſsit diſpenſare Reverendiſsimus. (a)

Nullus publice legere, vel lib. imprimere poteſt niſi de licentia.

11. Item nullus alicubi legere præſumat publice, niſi licentiatus per Priorem Generalem, aut per Capitulum generale fuerit ad hoc ordinatus: nec libros imprimere, ſub pœna privationis gradus, vocis, & loci.

Mag. Theologiæ non poſſint habere Officia, niſi Prioratus, & hujuſmodi.

12. Item ordinamus, quod Magiſtri in Theologia, ultra Regentias, Lecturas, Prædicationes, Prioratus tam Locales, quam Provinciales, ſeu Provinciarum Viſitatores, & Procurationem Ordinis, aut Societates Reverendiſsimi Patris Generalis, ſeu Provincialis, non poſsint habere alia Officia in ordine. Neque audeant (ſub pœna privationis dignitatis, & gradus, ipſo facto) ſuſcipere procurarias, expendarias, Sacriſtias, vel hujuſmodi officia ad ſimplices Fratres immediate attinentia: niſi fortaſſe in aliquo Conventu ex diſpenſatione ſolius Reverendiſsimi Patris Generalis, expediret ex Magiſtris aliquem de prædictis pro Conventus beneficio aliquid exercere. Quod non fiat niſi caſu rariſsimo.

Studentes revocentur niſi in triennio profecerint.

13. Item ordinamus, quod revocentur omnes Studentes, qui ultra triennium manſerunt in ſtudiis inutiliter, & ſine aliquo profectu, & remittantur ad Conventus ſuos, ne ulterius occupent locum aliorum.

# CAPUT XVIII.

## *De Studiis ſpecialibus.*

In ſingulis Conventibus ordinãdi ſunt Magiſtri Grãmatices. *De hac materia v. App. n.26. & ſeq.*

1. ORdinamus, quod in qualibet Provincia in ſingulis Conventibus Oppidorum, & Urbium inſtituantur, & ordinentur Magiſtri Grammatices ſive Fratres, ſeu ſæculares modeſti, & bonæ famæ, qui doceant Novitios, & alios juvenes prima rudimenta. Præcipientes Prioribus Provincialibus, & Localibus, ſub pœna rebellionis, & depoſitionis ab eorum officiis; ut in omnibus, & ſingulis Conventibus eligant, & deputent juvenes ad diſcendum idoneos, & Magiſtros conſtituant, qui legere teneantur tres,

(a) *Gradus ſic conceſſi ſunt nulli juxta Decretum S. C. vide Bullar. Carmel. tom. 2. pag. 679.*

tres, aut quatuor lectiones, & themata dare, & alia facere, quæ ſpectant ad juventutem bene, & celeriter erudiendam.

Ordinentur Lectores.

2. Item ordinamus, quod in omnibus, & ſingulis noſtri Ordinis Conventibus, in quibus degunt, & degere poſſunt octo Sacerdotes, ordinentur Lectores, qui legere teneantur quotidie aliquam lectionem hora competenti, & convenienti de caſibus conſcientiæ. Cui lectioni omnes poſſint, & debeant, immo & pœnis cogantur intereſſe: quam dicti Lectores ſic enucleent, & declarent, quod etiam (ſi opus fuerit) utantur & vernaculo ſermone; ad hoc ut inſtruantur Fratres, præſertim ſimplices, & ſit lectio hujuſmodi non ſine profectu.

Conſtituantur Regentes publici.

3. Item ordinamus, quod in Conventibus, in quibus degunt, ſeu degere poſſunt duodecim Sacerdotes, RR. Provinciales ordinent, deputent, ac conſtituant Magiſtros Regentes; qui non ſolum ſint ſufficientes ad legendas artes, & Theologiam, quando opus eſt; ſed etiam ad comparendum pro honore Religionis, quoties oporteat, & ad defendendum Ordinem noſtrum. Teneantur autem ipſi Regentes legere quotidie hora opportuna, & competenti unam lectionem de Sacra Scriptura, vel de caſibus conſcientiæ, ad quam compellantur omnes, cujuſcunque conditionis exiſtant, accedere, exceptis Magiſtris de curſu, vel qui per multas Quadrageſimas in Urbibus habuerunt conciones. Si quis autem dictæ lectioni intereſſe neglexerit, niſi forte fuerit aliqua legitima cauſa impeditus, privetur audiendis confeſſionibus per annum integrum, ſi fuerit Confeſſor. Sin autem ſimplex Sacerdos, aut alias in Sacris conſtitutus, etiam Studens acriter puniatur. Ita tamen ejuſmodi lectionem declarent ipſi Magiſtri Regentes, ut non modo ſpiritualiter proſint, ſed etiam delectent: & ubi eis ita videbitur expedire, utantur vernaculo ſermone; & reddant tam clara omnia, quæ legent, & tam aperta, quod ab omnibus intelligi valeant, & memoriæ theſauro commendari.

4. In Conventibus vero ſolemnioribus, & in illis, qui ſunt in Univerſitatibus, non ſolum deputentur apprime docti, & reſoluti Magiſtri Regentes, qui legant quotidie artes, & Theologiam ſolemniter, & diſputationibus quotidianis præſint; ſed etiam deputetur conveniens numerus Studentium, qui ſemper continuetur, & perſeveret. Sint autem deputati Studentes dociles, idonei, & habiles ad artium, & Theologiæ ſtudia, ita ut eorum non ſit dubius futurus profectus. Et quotidie per horam fiant Circuli, exceptis temporibus vacationum; atque ab ipſis Studentibus per vices ſuſtineantur aliquæ concluſiones in artibus, vel in Theologia, ſecundum ſufficientiam illorum. Et ſtudeant omnes in primis Doctorum noſtri Ordinis determinationes ſuſtinere, & allegare; & præſertim Joannis Bacc., Michaelis de Bononia, & Thomæ Waldenſis. Et ſi ex Studentibus aliquis negligens extiterit in propo-

 nendis,

nendis, & ſuſtinendis concluſionibus die ſibi competenti, per tres vices acerrime puniatur. Poſtea ſi denuo deliquerit, a ſtudio expellatur. Sit autem hoc Prioris Officium in quolibet Conventu (ut præmiſſum eſt) animadvertere, quod Regens deputatus quotidie legat, & diſputationes Circulares fiant: atque omnia ad rem literariam, & profectum ſtudentium attinentia frequententur, & nihil omittatur. Decernentes, quod etiam in ipſis ſolemnioribus Monaſteriis, & in locis Univerſitatum quotidie legatur una lectio de Scriptura, vel de caſibus conſcientiæ hora commoda, & opportuna; ut ab omnibus Fratribus audiatur: quæ ſi legi non valeat a Magiſtro Regente, omnino legatur ab aliquo per ipſum ſubſtituto. Sint autem RR. Priores Provinciales, & Locales in toto Ordine noſtro, præmiſſorum adeo ſoliciti; ut nihil eorum menti magis inhæreat, nihilque magis præ oculis habeant, quam ut ſtudia floreant, & bonæ literæ revireſcant.

*Primus Regens tanquam Præfectus totius ſtudii curam debet habere.*

5. Si in aliquo Collegio plures fuerint Regentes, ex eis primus (cæteris in paritate loci citra præjudicium profeſſionis, & gradus permanentibus) ſeries ſuſtinebit Præfecti: atque ideo munus illius erit, curam totius ſtudii habere, horamque legendi lectiones, ac diſputandi concluſiones determinare, necnon invigilare; ut cæteri Regentes ſuo muneri ſatisfaciant, & ne Studentes pretioſum tempus conterant.

*Nullus Studens etiam graduatus eſt exemptus a lectionibus &c.*

6. Quamobrem non permittet aliquem eorum quocumque gradu, etiam Baccalaureatus inſignitum, ſe eximere ab excipiendis lectionibus, earundemque repetitione, & defendendis per vices Concluſionibus. Quod ſi aliquis ſecus facere præſumpſerit, poterit, imo debebit primus Regens id notum facere Reverendiſſimo Generali; ut poſſit ipſe Generalis illum omni gradu & privilegio privare, & privatum declarare. Arguent autem primo loco Studentes ejuſdem claſſis; deinde replicare poterunt Studentes claſſis ſuperioris: cæterum ad reſponſiones primi Regentis, ſi ipſe locutus fuerit, omnes etiam Regentes acquieſcere debent.

*Ordo ſervandus in arguendis concluſionibus.*

*Quomodo licentia ſit concedenda Studentibus accedendi ad concluſiones extra Conventum, & quis debeat in Conventu præſidere.*

7. Poterunt quidem ſinguli Regentes ſuis Studentibus facultatem accedendi ad Concluſiones extra Conventum dare, non inſcio tamen primo Regente; ſicut nec eo inconſulto poterunt imprimi Concluſiones ullæ, ſive ex Theologia, ſive ex Philoſophia. Præſidentia tamen regulariter erit illius Regentis, ex cujus lectionibus Concluſiones fuerint decerptæ: at ſi quæ non fuerint ex dictatis alicujus Regentis deductæ, providebit primus.

*Dominicis, & Feſtis prædicent per vices.*

8. Item quia Sacra Religio noſtra, a primis ejus Inſtitutoribus ad hæc uſque tempora, ſtuduit uberes in Eccleſia Dei fruges proferre, quæ & ex laudabilibus bonorum Fratrum operibus, & exemplis proveniunt, & maxime ex publicis eruditorum Concionibus, quibus (ut ſatis, ſuperque clarum eſt) fere univerſus regitur populus Chriſtianus: ne in poſterum talis, tantuſque deficiat

ciat profeſſus: Ordinamus, quod in omnibus, & ſingulis Ordinis noſtri Conventibus majoribus, ſeu ſolemnibus, ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis infra annum, & præcipue a Feſto Sanctæ Crucis uſque ad Quadrageſimam, qua quotidie, & ſolemniter declamationes haberi ſolent, habeantur publicæ Conciones; quas, ſi Studentes adfuerint, habeant per vices: ſi vero Studentes nulli fuerint, deputetur aliquis per Conventum, qui (ut ſuperius dictum eſt) ſingulis Dominicis diebus, & Feſtis per annum habeat prædicare, excepta Quadrageſima, qua prædicatur quotidie a viro ſolemni, & ſpecialiter deputato. Cavendum eſt autem ne aliqui indocti, & nullius intelligentiæ permittantur aſcendere pulpita, & publicas habere Conciones: quum præſumptio talium, ſeu temeritas cedat non ſolum in detrimentum literatorum, ſed etiam in deriſum Ordinis. Erit autem Provincialium hoc Officium providere, ut nemo publice prædicare præſumat de cætero; niſi prius examinatus fuerit privatim multoties, & denique approbatus.

9. Item inhærentes Decretis Summi Pontificis Pauli V., & Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, inſtituimus, & mandamus; ut in omnibus Conventibus, in quibus Religioſi noſtri artibus, ac Theologiæ operam navant, ſtudia linguarum exterarum, ut Illyricæ, & Græcæ vulgaris, Hebraicæ, & Arabicæ &c. diligenter inſtituantur, & conſerventur, deſignatis Magiſtris, qui illas doceant, & Studentibus, qui addiſcant. Ut autem omnes ad dictas linguas alacrius, & diligentius addiſcendas moveantur: curabit R. P. juxta ipſius Sacræ Congregationis Decretum, ut promotionibus ad Officia, gradus, & dignitates Ordinis, ii, qui in hujuſmodi ſtudio linguarum ſe exercuerint, aliis, qui non ita fecerunt, cæteris paribus præferantur. *Studia linguarum exterarum inſtituantur.*

## CAPUT XIX.

### *De prærogativis Graduatorum.*

1. STatuimus, quod Magiſtri in Theologia Pariſienſes, Magiſtros cujuſcumque alterius ſtudii in quocumque loco, & actu antecedant, & Baccalaurei Baccalaureos: niſi exceſſus notabilis, puta quinque, vel ſaltem quatuor annorum, Magiſtros, & Baccalaureos aliarum Univerſitatum illis præponeret, & præferret. *Theologi Pariſienſes præcedant alios Theologos, niſi &c.*

2. Item volumus, quod Magiſtri, qui in Univerſitatibus curſum legitime compleverunt, pariter præferantur illis, qui etiam ex conſenſu Prioris Generalis Magiſterium impetraſſent, & debitos curſus non feciſſent: licet inſignia Doctoratus ſuſcepiſſent in aliqua approbata Univerſitate, & quomodocumque extra Religionem confirmationem ſui gradus ab aliquo obtinuiſſent. *Magiſtri, qui curſum fecerunt præferantur Magiſtris de gratia.*

Magiſtri Theologiæ habent vocem in Capitulis Provincialibus.

3. Item volumus, quod omnes Magiſtri in Theologia, qui per Ordinem fuerint promoti, vocem, & locum obtineant in Capitulis Provincialibus; niſi aliunde eſſent voce, & loco privati.

Ordo præcedentiæ inter Graduatos.

4. Item, ut tollatur omnis controverſia præcedentiæ: Ordinamus, quod Magiſtri poſt Priorem primum locum regulariter habeant, qui Magiſtri præcedant Baccalaureos: Baccalaurei Lectores. Et in his omnibus, præcedentia incipiat a die datarum litterarum: ita tamen, ut Magiſtri infra annum lauream ſuſcipere teneantur, ſub pœna privationis jurium ſuorum circa præcedentiam, quæ eo caſu a die ſuſcepti Doctoratus exordienda erit. In ſimplicibus vero præcedentia incipiat a die emiſſæ profeſſionis, quibus Subprior ſemper præcedat: & ſi Subprior vices Prioris teneat aut ſuppleat, præcedat omnes etiam Graduatos.

Præcedentia incipit a die datarum litterarum.

In ſimplicibus præcedentia incipit a die profeſſionis.

Caſſantur gradus Patrum ſimplicium.

5. Item ordinamus, ut in poſterum P. G. nullo pacto aliquem ex Fratribus, Benemeriti, Emeriti, Honoris, vel alterius ſimilis gradus titulo, quocunque nomine nuncupato, inſignire poſſit; & omnes hujuſmodi tituli hactenus quomodolibet conceſſi abolentur, caſſantur, & irritantur.

Præcedentia Patrum ſimplicium ſeniorum.

6. Ut tamen aliqua laborum, & meritorum ratio Patrum ſimplicium habeatur, ne remaneant abjecti, & a Junioribus graduatis peſſundentur: Lectores in Italia, Patres, qui viginti profeſſionis annos habent, non præcedant; neque Baccalaurei eos, qui in Ordine noſtro quadraginta annos profeſſionis compleverunt, juxta Decretum Capituli Generalis Romæ anno 1625.

Præcedentia Provincialium titularium, & realium extra ſuas Provincias.

7. Item Provinciales titulares, qui inſtitui ſolent a Reverendiſſimo Patre Ordinis, in Capitulo G. teneant ſicut Provinciales reales locum ſuæ Provinciæ: alibi autem immediate poſt Priorem Localem ante omnes alios Magiſtros: inter ſe autem, ac etiam inter Provinciales reales extra eorum Provincias, locum ſuæ profeſſionis, vel gradus.

Præcedentia Magiſtrorum, qui fuerunt Procuratores G. Ordinis.

8. Item, quia rationi conſonum eſt, ut Magiſtri, qui laudabiliter officium Procuratoris G. exercuerunt in Romana Curia ſemper habeantur præ cæteris in ſpeciali veneratione: ſtatuimus, ut qui ab illo officio fuerunt hactenus abſoluti, vel in poſterum abſolventur, (dummodo non ob ſua demerita) eodem quoad præcedentiam jure potiantur, & privilegio, quo Provinciales titulares, & reales extra ſuas Provincias.

Graduati habeantur in reverentia.

9. Item præcipiendo mandamus omnibus Prioribus, Provincialibus, & Localibus, ac univerſis Fratribus, ut in reverentia bona habeant Magiſtros, Baccalaureos, cæteroſque Graduatos, & Patres ſenio, & probitate venerabiles, per Priorem G. declaratos.

Nemini conceditur habere famulum ſæcularem, niſi &c.

10. Item ordinamus, quod nullus Localis Prior, aut Magiſter, vel etiam alius Frater cujuſcunque conditionis, & dignitatis exiſtat, per ſe, vel per alium, famulum aliquem ſæcularem ullo modo teneat, ſub pœna privationis vocis, & loci ipſo facto: ſuper

ſuper quo ſtatuto nec Prior Localis, etiam conſentiente Conventu; nec Prior Provincialis, neque Capitulum Provinciale diſpenſare poterit. Excipitur tamen R. Procurator Ordinis in Curia Romana. Et ſub eadem pœna terminariis mandamus, quod cum redierint peractis terminis, ſe indilate de ſuis famulis expediant, ſub inobedientium etiam pœna. Excipitur ſemper Reverendiſſimus P. Ordinis in præmiſſis.

Nullus graduatus, vel Superior eſt exemptus a Choro niſi actu legat vel prædicet.

11. Item quia Graduatorum numerus, Privilegiatorumque abuſus adeo excrevit, ut Eccleſia ſuo debito defraudetur ſervitio: Statuimus, & ordinamus, ut deinceps nullus cujuſcunque gradus exiſtat, per quodcunque privilegium, vel ſuperioritatem a Choro eximatur, vel exemptus intelligatur: ſeu non obſtante quacunque conſuetudine, ex mandato ſpeciali Clementis VIII. omnes in Chorum conveniant, & die, noctuque Divinis Officiis interſint; niſi ſint Lectores actu legentes, Prædicatores actu prædicantes pro die, quo actu legent, & prædicabunt, ac infirmi, & valetudinarii. Verum, ut Patrum ſeniorum, qui diu laboraverunt pro Religione, habeatur aliqua conſideratio: declaramus eos, qui jam quinquageſimum annum ſuæ ætatis compleverunt, & triginta annis Religioni inſervierunt a Choro, nocturno tantum tempore, exemptos: præterquam in Feſtis majoribus duplicibus, quæ obſervantur ab Eccleſia. Illos vero, qui peracto ſexageſimo anno per quadraginta annos in Religione laudabiliter vixerunt, etiam ab Horis diurnis (Miſſa majori, & Veſp. & etiam Completorio diebus Sabbati, & Vigiliarum B. M. V. exceptis,) eximi volumus, & definimus. Qui vero annum quinquageſimum in Religione compleverint, non cogantur ad Divina in Choro perſolvenda: niſi in quantum conſcientia dictaverit. Miſſam tamen celebrare tenebuntur, niſi fuerint legitime impediti.

Privilegium exemptionis a Choro Patrū ſeniorum.

12. In tabula communi omnes deſcribantur nullo ad hoc ſuffragante privilegio, exceptis Magiſtris, & actu legentibus, actuque prædicantibus, & qui per quadraginta annos Religioni inſervierunt.

Quinam deſcribendi in tabula communi.

13. Ubi inolevit conſuetudo de audiendis lectionibus extra Conventum in Gymnaſiis publicis: ſtudentes non impediantur, quin ad illas audiendas ſe recipiant, juxta eorum diſpoſitionem, ut Logici Logicam tantum, deſignatique ad Philoſophiam ad eam ſe conferant, & citra Curſoratum nullus Theologiæ ſtudium petat, neque præſumat.

Studentes poſſunt accedere ad lectiones in publicis Gymnaſiis.

14. Singuli ſuperius deſcripti obligantur ad proceſſiones Civitatis, etiam ad eas, quæ ſunt pro ſepeliendis mortuis.

Omnes Graduati tenentur ad proceſſiones.

15. Temporibus, quibus publici Lectores ceſſant a lectionibus ſuis in ſcholis Univerſitatis, nemo ſtudentium habebit licentiam eundi ad Urbem; niſi aliquæ lectiones publicæ haberentur, vel diſputationes ſolemnes, vel ſi aliquis excellens Prædicator ſermonem

Tempore vacationum non eant Studentes ad urbem niſi &c.

nem haberet in concione. Decet enim noſtros filios ad bonas exercitationes manuducendo pertrahere.

16. Dum Studentes ad lectiones audiendas ſe receperint, non eant ſoli, non vagentur per Urbem: abſit ut domos inhoneſtas ingrediantur. Et ſi non dabitur occaſio petendi benedictionem a R. Priore, dum ſunt ituri ad lectiones publicas audiendas, cogimus eos, & coactos eſſe volumus ad eam accipiendam ſtatim cum redierint.

Regentibus ſolvantur expenſæ a Conventibus Regentiæ &c.

*Cætera vid. App. a n. 24. uſque ad n 54.*

17. Item ſtatuimus, quod Regentibus ordinatis ad legendum in aliquo Conventu, tam pro ſe, quam pro librorum vectura, moderatæ expenſæ ſolvantur a Conventibus, ad quos mittuntur; & hoc idem obſervari volumus de Prioribus Localibus. Et poterit Prior Gen. Conventus, ubi ſunt ſtudia generalia, eximere a taxatione ſolvenda propter onus ſtudii, quod habent, quando ſibi videbitur expedire.

# CAPUT XX.

## *De Fratribus infirmis, & eorum cuſtodia.*

Fratres incipientes infirmari ſtatim confiteantur Priori.

1. Statuimus, cum Fratres noſtri inceperint infirmari: ſtatim confiteantur Priori, vel de licentia ejus petita, & obtenta, alteri Fratri idoneo. Et ſimiliter communicentur indilate, hora tamen honeſtiori ad hoc ſervata, & magis reverenti, antequam cibum capiant, niſi infirmitas nimium eos perurgeret. Et his peractis ſuper omnia diligens cura ipſorum infirmorum de cætero habeatur, ſecundum indigentiam infirmitatis: & omnino eis provideatur ſecundum conſilium Medicorum, de quibus Prior indilate habeat providere; & aliquis devotus Frater amicabilis, non aliunde occupatus eis ſpecialiter aſſignetur, qui ſciat, & poſſit, & debeat competenter, & amicabiliter miniſtrare: ſub pœna gravioris culpæ per decem dies tranſgreſſoribus infligenda. Cum autem Horas Canonicas, gravati morbo non poterunt dicere; tunc ſi ſuſtinere poſſunt, dicantur coram eis ab aliquo, ſub pœna gravis culpæ, ſi dicere renuerit infligenda. Inhibemus autem Prioribus, & Præſidentibus, ne ultra unam diem de bonis cujuſcunque Communitatis provideatur infirmo; niſi primo confeſſus fuerit, ut dictum eſt: & ſi poteſt fieri, communicatus. Et ſtatim habeat bona, quorum uſum incertum habuit infirmus, revelare in præſentia duorum, vel trium, aut plurium Fratrum de Conventu. Quod ſi id non fecerit ea fidelitate, qua tenetur, & ſuper hoc mori contigerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura, & ſuffragiis divinis, ſicut Sacris Canonibus præcipitur: ſi vero ſupervixerit, eiſdem privetur, tantum relictis ſibi neceſſariis.

Infirmis provideatur de ſervitore.

De bonis communitatis non provideatur infirmo, niſi &c.

Infirmus tenetur revelare

2. Item præcipimus & mandamus, ut omnibus & ſingulis Fratribus

tribus infirmis, etiam aliarum Provinciarum, provideatur de neceſſariis in ſuis infirmitatibus per Priorem Conventus, in quo manent, inſpectis ætatibus, infirmitatibus, & conditionibus ſingulorum. Statuentes caſu, quo Priores, vel Vicarii facerent contra hanc ordinationem, quod Provinciales ſub pœna depoſitionis ab officiis habeant eos punire ſecundum delictum, graviori pœna.

bona, quorum uſum habuit &c.

3. Item ordinamus, quod Provincialibus, & eorum ſociis, in ſuis infirmitatibus provideatur de expenſis a Communitate ſuarum Provinciarum: ſic quod Conventus qui expenſas accommodaverint, poſtea a Provincia repetant accommodata: nec Provinciales, aut eorum nomine alii repetere valeant; ſed tantummodo Conventus ipſi, qui pro eis fecerunt expenſas, ſub pœna depoſitionis ab officio Provincialatus. De Priore autem Generali, & ejus ſociis, & famulis, atque de Procuratore Generali in Romana Curia, duximus ordinandum; quod ſimili modo in eorum infirmitatibus totus Ordo, juxta eorum conſcientias, habeat providere. Et quod tempore infirmitatis eorum, Provinciæ vel Conventus, in quibus ipſos infirmari contigerit, expenſas Ordini accommodare teneantur neceſſarias, & honeſtas; & poſtea a toto Ordine repetantur, & reſtituantur ipſis Conventibus, ſeu Provinciis, qui mutuaverunt tantum, & non aliis perſonis.

Provincialibus provideatur de expenſis in ſuis infirmitatibus &c.

Totus Ordo provideat Priori G. pro ejus infirmitate.

4. Et ut major diligentia circa infirmos adhibeatur: mandamus, quod ſi aliquis Frater infirmus aliquod periculum notabile incurrerit per improvidentiam, & duritiem Priorum, aut Procuratorum, aut negligentiam Miniſtri, ſi Prior fuerit in culpa, ipſo facto deponatur ab officio, & rigidius cæteris puniatur. Si vero Procurator, vel Miniſter fuerit in culpa, pœna gravioris culpæ per viginti dies puniendus eſt.

Prior negligens erga infirmos, ab officio deponatur.

5. Item inhibemus, ne Fratres noſtri in domibus ſæcularium infirmi commorentur. In locis autem noſtris, ubi Frater aliquis undecumque ſit, incœperit infirmari, ibi moram faciet, donec convaluerit; & provideatur ei, ſicut de aliis ſuperius expreſſum eſt.

Fratres infirmi in domibus ſæcularium non diu commorentur. *V. App. n.* 20.

6. Item ordinamus, quod in quolibet Conventu Ordinis noſtri, ubi commode fieri poterit, conſtruatur infirmitorium, etiam cum Capella: in quo infirmitorio jaceant Fratres nimium debiles, & infirmi: & ibi etiam ſingulis diebus audiant Divinorum Officiorum, & ſpecialiter Miſſarum aliqua ſolemnia celebrari.

In quolibet Conventu, conſtruatur infirmitorium.

7. Item præcipimus quibuslibet Prioribus Localibus, ſub pœna depoſitionis ab eorum officiis; ut in ſuis Conventibus Sacrum Corpus Dominicum in majori Eccleſiæ Altari, vel circa in loco decentiſſimo, & honeſto pro Fratribus, & familiaribus noſtris in caſu neceſſitatis communicandis, cum omni reverentia ſemper ſolicite reſervetur; & ſæpiſſime renovetur, ut dictum eſt. Et ſub eadem pœna Oleum etiam benedictum pro infirmis ungendis, quo-

Corpus Dominicum cum omni reverentia ſervetur.

Oleum benedictum quolibet

bet anno reno vetur.

quolibet anno innovetur, & in vaſe, & loco decenti, & mundo, (minime tamen ubi Sanctiſſima Euchariſtia eſt) ac ſub firma cuſtodia in Eccleſia, vel Sacriſtia, loco honeſto reſervetur: Item quod habeantur libelli funerales, in quibus Officium Extremæ Unctionis, & miniſtrationis Euchariſtiæ, & ſepulturarum exequiæ conſcribantur, & officia proceſſionum faciendarum per anni circulum.

Nullus Frater poterit uti ſcientia medicinæ.

8. Item inhibemus Prioribus Provincialibus ſub pœna gravis culpæ per viginti dies, quod non permittant aliquos Fratres in ſuis Provinciis uti ſcientia medicinæ; niſi ipſi in dicta ſcientia inſtructi, & edocti, ac a Sede Apoſtolica diſpenſati forent; & ſine periculo, & ſcandalo Ordinis, tuto, & ſalubriter in ea operari, ex ſola charitate valeant.

# CAPUT XXI.

## *De Fratribus decedentibus, & ſuffragiis pro eiſdem faciendis.*

Prior Localis Provinciali obitum Fratris in ſuo Conventu decedentis denunciet: & Provincialis toti Proviciæ.

1. STatuimus, quod Prior Localis obitum cujuſcumque Fratris in ſuo Conventu decedentis omni feſtinatione Priori Provinciali denunciet, ſub pœna gravis culpæ per tres dies infligenda. Et Prior Provincialis per omnes Conventus ſuæ Provinciæ ejus mortem indilate denunciari faciat, ut pro mortuo fiant per omnes Conventus ſuffragia infraſcripta: nempe pro unoquoque Fratre defuncto illius Provinciæ, & pro quolibet Patrono, cantetur totum Officium Defunctorum cum Veſp., & Laudibus, ac Miſſa in ſingulis Conventibus Provinciæ, quamprimum ejus obitus fuerit nunciatus: & quilibet Sacerdos per totam Provinciam dicat unam Miſſam, & quilibet aliorum Fratrum Clericorum unum Nocturnum Pſalterii: & quilibet Frater laicus, & Semifrater triginta Pater noſter, & totidem Ave Maria.

V. App. n.9.

Sacerdotes, Clerici, & Laici pro Priore G. defuncto, & aliis Fratribus defunctis quomodo tenentur orare. V. App. n.10.

2. Item ordinamus, quod pro Priore G., & ejus ſociis fiat per totum Ordinem, ſicut pro Fratre cujuslibet Provinciæ, debitum exequiarum, & ſimiliter pro Procuratore Ordinis, quando deceſſerit. Item etiam pro illis, qui in dictis Officiis Generalatus, aut procurationis generalis extiterunt; & idem fiat de Provincialibus, & eorum ſociis decedentibus eundo ad Generale Capitulum, vel redeundo ab eodem.

3. Item ordinamus, quod Magiſtri, Baccalaurei, & quicumque alii poſiti in officiis extra ſuas Provincias, ac etiam Studentes poſiti extra ſuas Provincias, decedentes ibidem, eadem emolumenta Miſſarum, & Officiorum de ſuis Provinciis, unde ſunt oriundi recipiant, ac ſi ibi fuiſſent Conventuales. Item, quod in omnibus Cœmeteriis noſtris, Fratres a ſæcularibus ſemoti ſepeliantur: & monumenta Fratrum a monumentis ſæcularium diſtinguantur.

Fratres a ſæcularibus ſemoti ſepeliantur.

4. Item

Ter in anno fiat commemoratio pro defunctis.

4. Item ſtatuimus, quod ter in anno fiat commemoratio pro Fratribus defunctis noſtri Ordinis: & ter pro parentibus, & amicis Fratrum, & pro omnibus, qui in Cœmeteriis noſtri Ordinis ſunt ſepulti: & ter pro Patronis, & familiaribus, & benefactoribus, & pro illis, qui literas habuerunt Fraternitatis: quas commemorationes Ternarios vocamus. Primum Ternarium faciant Fratres inter Octavam Epiphaniæ, & Feſtum Purificationis B. M. Secundus Ternarius fiat inter Octavas Paſchæ, & Feſtum Aſcenſionis. Tertius fiat inter Feſtum S. Michaelis, & Feſtum Omnium Sanctorum, ut in Breviario ſignatur. Item quilibet Sacerdos, ultra id, quod tenetur dicere pro quolibet Fratre decedente de ſua Provincia, dicat annuatim ſpecialiter pro benefactoribus, familiaribus, & literas Confraternitatis habentibus tam vivis, quam mortuis novem Miſſas, quarum tres de Spiritu Sancto, tres de B. V., & tres ſint pro Defunctis. Quilibet autem non Sacerdos, ſciens legere, dicat ſingulis Dominicis diebus, & Feſtis ſolemnibus unum Nocturnum ſecundum ordinem Pſalterii, computando a *Dixit Dominus &c.* uſque ad: *Ad Dominum cum tribularer &c.* pro uno Nocturno: & deinceps uſque ad finem pro altero Nocturno. Et qui legere neſciunt, dicant quolibet die Dominico, & alio die celebri quinquaginta Pater noſter, & totidem Ave Maria. Videatur Cœrem. Ord. l.2. c.70. & addatur primo Nocturno Pſal.118. a *Beati immaculati &c.* uſque ad *Principes &c.* ut ibidem dicitur.

Quilibet Sacerdos tenetur dicere novem Miſſas, &c,

Quilibet Frater non Sacerdos tenetur dicere unum nocturnum ſingulis Dominicis &c.

Exequiæ D.N. Papæ, & Protectoris.

5. Item ſtatuimus, quod audita morte D. N. Papæ fiant in ſingulis Conventibus exequiæ ſolemnes: ſimili modo volumus & ordinamus fieri pro Domino Ordinis Protectore, poſtquam eorum obitus denuntiatus fuerit.

## CAPUT XXII.

### *De diſpoſitione librorum, & aliorum bonorum defunctorum Fratrum habentium communem adminiſtrationem in Ordine.*

Cum quis cœperit graviter infirmari, omnia ejus repoſitoria claudantur, & aliquo ſigillo &c.

1. CUM Frater habens temporalium bonorum adminiſtrationem cœperit infirmari graviter, & maxime ſi nulla ſit ſpes convaleſcentiæ; Prior cum Conſiliariis, & Senioribus, ſeu Diſcretioribus Conventus, neceſſariis pro tempore receptis, omnia repoſitoria claudant firmiter: & inſuper ſigillentur aliquo ſigillo, quod una cum clavibus in arca communi reponatur, donec fiat debite inventarium. Nec aliquis, ſub proprietariorum pœna præſumat aperire quodcunque ſit clauſum; niſi præſente Priore cum Cuſtodibus, & in neceſſitate. Item poſt hujuſmodi Adminiſtratoris obitum, dum primo ſe dederit temporis opportunitas, fiat per

 eos

eos diligenter inventarium integrum, cujus copia in arca reponatur.

Qui habuerūt diſpoſitionem bonorum communium, videl. P. G. & Provinciales poſſunt &c.

*Hoc derogatum eſt. V. App. n. 105.*

2. Item volumus, quod illi, qui habuerunt in Ordine bonorum Communitatum Ordinis diſpoſitionem (puta Prior G., Provinciales, Procuratores Ordinis) valeant ſecundum quod conſcientia eis dictabit, de bonis mobilibus ad uſum ſuum retentis (exceptis ſcriptis, & libris, quos volumus omnino reponi in Libraria Conventus, ad quem ſpectabunt) infra Ordinem diſponere, & ordinare Communitatibus Ordinis, Provinciarum, ſeu Conventuum, & etiam ad uſum vagum, & incertum Fratrum ſtudentium, Prædicatorum, & aliorum: ſic tamen, quod proprietas ſemper ſit alicujus Communitatis. Nec poterunt hujuſmodi bona alicujus uſui diſtribui, de quo eſſet opinio, quod non eſſet in Ordine permanſurus, vel quod in malis uſibus eſſet expoſiturus, quia tunc talia eſſent Communitati relinquenda. Et in caſu, quod talia eſſent ad alicujus uſum incertum deputata: volumus quod ſint in cuſtodia ſui Conventus, donec opinio honeſtæ vitæ certius habeatur.

De bonis Fratrum in alienis Conventibus.

3. Item volumus, quod libri, & bona, quæ Studentes in aliena Provincia habuerunt, ſuis Provinciis, & Conventibus reſtituantur: & ſi quis emiſerit profeſſionem in aliquo Conventu, & deinde ſe traſtulerit ad manendum per longum tempus ad alium, & ibi moram traxerit per decennium, vel ultra: quod in morte illius, bonorum ſibi ad uſum conceſſorum remanentium mobilium, duæ partes ſint illius Conventus, ubi traxit longam moram, & tertia pars illorum bonorum ſit Conventus, ubi profeſſionem emiſit. Si vero talis Frater non compleverit in alio Conventu decennium, ſed per duos, vel tres annos permanſerit, & ibi mortuus fuerit: tunc duæ partes erunt Conventus, cujus eſt filius, & tertia pars illius Conventus, ubi mortuus fuerit. Immobilia vero bona, ſive quæ tempore profeſſionis habebat, ſive quæ poſt profeſſionem quoquo modo adeptus eſt, ſint ſemper ejus Conventus, in quo emiſit profeſſionem, & cujus eſt filius. Quod ſi acciderit, profeſſum in uno Conventu, affiliari alteri Conventui: tunc omnia bona immobilia quæ habebat ante affiliationem, ſint Conventus, cujus erat filius: reliqua ſint Conventus, cui eſt affiliatus.

## CAPUT XXIII.

### *De Sigillis, & Litteris.*

Sigillum Communitatis Conventus.

1. QUid de ſigillis Communitatis Ordinis, & Provinciarum, aut etiam Prioris G. & Provincialium agendum ſit, dicetur in fine capitum de celebratione Capitulorum G. & Provincialis. Cujuslibet autem Conventus ſigillum commune reponatur in arca communi, nec aliqua litera ſigilletur; niſi a majori, & ſanio-

ſaniori parte concedatur, ſub pœna falſariorum. Et exprimantur omnia nomina Fratrum, qui conſenſerunt.

2. Item mandamus, quod in quolibet Conventu ſit ſigillum Vicariatus, quo in Prioris abſentia Præſidens utatur in ſigillatione literarum, quæ aliter eſſent ſigillandæ ſigillo Prioris; non tamen ſigillando aliquas a Priore prohibitas. Sigillum Vicariatus Conventus.

3. Item ſtatuimus, quod falſarius cujuſcumque ſigilli Communitatis, aut Officiarii, ſive in Ordine, ſive extra Ordinem, ſi confeſſus vel convictus fuerit, carceri mancipetur, quamdiu Priori Generali videbitur expedire. Falſarius ſigilli,

4. Item nullus utatur ſigillo, niſi fuerit Præſidens in Ordine, aut Vicarius novi Conventus, vel in gradu Lectoratus, ut ſupra: niſi Prior Generalis, aut Capitulum Provinciale aliquibus honeſtis Fratribus, ſecundum ſuam decentiam, forſan conceſſerint, ſub pœna gravioris culpæ infligenda per tres dies, quotieſcumque reperientur apud eos ſigilla. Nullus utatur ſigillo niſi &c.

5. Item nulli Fratres mittant literas aliquò, niſi prius videantur a ſuis Prælatis, & licentiam ab eiſdem habeant recipiendi literas, vel mittendi. Poterit tamen omnis ſubditus ſcribere ſuo Majori, & ab illo literas ſuſcipere, quas non tenebitur inferioribus oſtendere. Et ſi quis literas Generali, vel Provinciali miſſas ſcienter aperuerit, vel detinuerit malitioſe, locum & vocem amittat, & ſecundum quantitatem delicti, carceri mancipetur. Et ſimiliter puniatur, qui literas miſſas ab eiſdem aperuerit, retinuerit, & celaverit. Nullus Frater mittat literas aliquò niſi &c. *V. App. n.56. 57. & 58.*

6. Item ordinamus, quod Fratres habentes gratias a ſuo Generali, vel ſuo Provinciali, Prælatis inferioribus, aut Vicariis, eorum copiam ac duplum dare teneantur cum effectu; ſi in præſentia Conventus, aut majoris partis per eos fuerint requiſiti, ſub pœna perditionis effectus earum. Requiſita gratiarum dupla dentur.

7. Item nullus Frater ex certa ſcientia aperiat literas, vel retineat cujuslibet alterius Fratris, ſub pœna gravioris culpæ per quinque dies. Item notandum, quod tempus, & auctoritas quarumcumque literarum, quæ certum terminum continebunt, non a præſentatione literarum, ſed a data potius computentur. Nullus retineat literas alterius &c. Terminus literarum, non a præſentatione ſed &c.

# PARS SECUNDA CONSTITUTIONUM.

## CAPUT I.

### *De Officio Prioris Generalis.*

Auctoritas Prioris Generalis. *Seſſ.25. c.26.*

*De Priore G. vide Appen. §.ix. per totum.*

1. PRIOR Generalis a toto Ordine eligatur canonica electione per ſuffragia ſecreta ad normam S. Concilii Tridentini: cujus electio cum ſuo ſolo conſenſu, eſt confirmatio eo facto; ut in privilegio Summorum Pontificum expreſſe continetur. Qui confirmatus omnimodam poteſtatem habet in Religione tamquam Supremus Præſes diſponendi, ordinandi, & amovendi ea, quæ amovenda judicabit ad normam harum Conſtitutionum. De Provincia ad Provinciam, & de Conventu ad Conventum Fratres transferre libere poteſt, ſine contradictione cujuſcumque. Privilegia autem, & quæcumque alia de Provincia ad Provinciam, & de loco ad locum ex cauſa rationabili etiam transferre, quando ſibi videbitur expedire: ita tamen quod de hujuſmodi receptione, & translatione, illis, a quibus recipiuntur, literas faciat fieri teſtimoniales & patentes, ut privilegia, & aliæ res ſic translatæ loco, & Provinciæ cujus ſunt, reſtituantur quam cito fieri poterit, bono modo: etiam ſine requiſitione. Item in quibuſcumque Capitulis Generalibus, Provincialibus, aut Localibus, per ſe, aut per Vicarios, vel Viſitatores præſidere; niſi quando in Capitulo Generali culpas ſuas habet dicere, & Diffinitores habent de eo pertractare: & quod Vicarius miſſus ad Generale Capitulum, ſcrutinio facto, non habet amplius præſidere. Habet etiam Prior Generalis culpas Provincialium, & Localium, & aliorum Fratrum ſubditorum quorumcumque corrigere, & viſitationis officium exercere: computa in quibuſcumque Capitulis recipere, & juridice audire. Ad ipſum ſpectabit Provinciales electos confirmare, & pro notabili, & manifeſta inobedientia, & rebellione, quæ teſtimonio Capituli Provincialis, aut Localis rationabiliter excuſari non poterit, vel pro omnibus culpis, pro quibus quidem carcerem meruiſſent, vel juſte vocem, & locum amiſiſſent, de quo confeſſi, & convicti fuerint, ab officiis abſolvere poterit, ſine contradictione cujuſcunque. Item poterit Provinciales deſtituere, & reſtituere, conſentiente

tiente Majori, & Saniori parte Capituli Provincialis, ex cauſa rationabili, quæ ei apparebit rationabilis, cum ſibi videbitur expedire.

2. Studentes etiam de quibuſcunque Provinciis ad ſtudia generalia poterit mittere libere. Poterit etiam quoſcunque, tam Magiſtros, quam Baccalaureos, aut Lectores in quibuſcunque ſtudiis generalibus, & aliis ordinare & mutare, quando ſibi videbitur expedire. Priores etiam Locales ex cauſa utili & neceſſaria, quando ſibi placuerit abſolvere: ita quod Conventus habeat poteſtatem eligendi alium, quem Prior Generalis per ſe, vel per alium habeat confirmare; niſi idem Prior Generalis de Priore vellet aliter providere. Et ſi Conventus in electione hujuſmodi tertia vice concordare nequiverit, Prior Generalis, prout ſibi placuerit, providere poterit. In caſu autem, quod Prior Localis pro demeritis abſolveretur, præſente Priore Generali, poterit in eodem Priorem conſtituere de aſſenſu quatuor bonorum Fratrum ſine alia electione quacunque. Et ſi abſens fuerit, habet auctoritatem in quocunque Conventu carente Priore, Priorem inſtituendi libere, quem pro Conventu utiliorem ſua prudentia judicabit. Poterit etiam Fratres utiles, & idoneos ad prædicandum licentiare, & nolentes coarctare. Ordinamus, quod ſocii jurent ei, quod erunt ſuæ perſonæ, & officio fideles. Similiter, quod ille, qui tenebit ſigillum officii, non ſigillabit aliquam literam juſtitiæ, vel gratiæ, ejus manu non ſignatam.

*Poteſt P. G. mittere ad ſtudia generalia Graduatos in ſtudiis ordinare, & mutare.*

*Poteſt Priores cujuſcunque Conventus deponere, & cōſtituere.*

*Poteſt ad prædicandum licentiare.*

*Socii G. & qui tenet ſigillum tenentur &c.*

3. Item poterit ponere, & deponere ad libitum Priores Romanæ Curiæ, ac cujuſcunque Conventus immediate ſub ejus regimine conſtituti. Similiter Subpriores, Sacriſtas, & alios Officiales dictorum Conventuum, cum ſibi videbitur expedire.

4. Item Prior Pariſienſis eligatur, & inſtituatur juxta formam Diplomatis Gregorii XIII. Et quia Conventus Neapolitanus inter cæteros in Italia obtinet principatum, & non procul abeſt a Romana Curia; juſtum eſt, & expediens, ut ejus curam habeat ſpecialem Religionis Pater, ipſumque ſemper teneat reformatum. Ideo ordinamus, quod R. Magiſter Ordinis aperiat ſemper oculos, & mentem intendat, ut dictus Conventus bene regatur, & rationabiliter gubernetur: & in eo deputentur capita immediate per ipſum, quæ ſint digna regimine tantæ domus: & creſcat devotionis celebritas, & augeatur in dies Chriſtifidelium concurſus. Sitque regimen dicti Conventus ſemper in pectore ipſius R. Prioris Generalis, qui quoties ſibi videbitur expedire, in ipſo Conventu ordinet ad libitum ſuum, & abſolvat Officiales.

*Conventus Neapolitanus ſit immediate ſub R. P. G.*

5. Habet etiam auctoritatem, inſtituendi, & deſtituendi Procuratorem Romanæ Curiæ libere, & alium conſtituere, quando videbitur ſibi expedire, non obſtante, quod in Capitulo Generali fuiſſet aliquis inſtitutus: ſimiliter & alios Procuratores ad Reges.

Qui-

Procurator debet jurare P. G. de fidelitate ſervanda

*De Procuratore G. v. Ap. §. x.*

Procurator nullam debet porrigere ſupplicam ſine beneplacito G.

Quicunque vero Frater fuerit in Procuratorem Curiæ Romanæ inſtitutus per Capitulum Generale, aut Priorem Generalem, antequam officium exequi valeat, habebit jurare Priori Generali, vel cui commiſerit; quod erit fidelis perſonæ, & officio ipſius Generalis, & quod officium Procuratoris fideliter, & diligenter exercebit ad honorem, & utilitatem Ordinis: & quod in apoſtatis capiendis, de quibus ſibi injugetur per Generalem, vel ejus Vicarium, fidelem diligentiam adhibebit: & quod pro ſe, aut pro altero Fratre, aut Provincia, vel Conventu nullam ſupplicationem porriget, ſine beneplacito Prioris Generalis.

Conventus Rom. Curiæ immediate ſit ſub regimine Gen.

6. Item ordinamus, quod Conventus Curiæ Romanæ, ubicunque fuerit Curia, ſit ſpecialiter ſub regimine Prioris Generalis, in tantum, quod nec Fratrem ponere, nec amovere poſſit Prior Provincialis, nec Officiarium deſtituere, aut inſtituere abſque Prioris Generalis licentia ſpeciali, ſub pœna inobedientiæ, & rebellionis. Et poterit Prior dicti Conventus cum Diſcreto per Conventum electo, ire ad Capitulum Provinciale: imo tenebitur ire, & ibi eligere, & eligi, ſicut alii de Provincia. Ordinantes, quod Provincialis Provinciæ, in qua fuerit Romana Curia pro tempore, propter bonum utile Ordinis, & honorabile, juret quod per ſe, vel per alios Fratres, aut ſæculares directe, vel indirecte, manifeſte, vel occulte, non ſe opponet præmiſſæ Conſtitutioni, quod Conventus Curiæ Romanæ immediate ſubjiciatur Priori Generali: nec ſe intromittet aliter de dicto Conventu, quam dicta Conſtitutio ordinat: niſi Generalis ex gratia ſpeciali concedat aliter de præmiſſis aliquid faciendum: & jurabit, quod ſi aliquis ſe oppoſuerit ei, totis viribus obviabit.

7. Poterit Prior Generalis fugitivos cujuſcunque Provinciæ ad Ordinem libere recipere, & pœnitentiare de commiſſis; & tam cum illis, quam cum aliis defectuoſis ſuper pœnitentiis diſpenſare miſericorditer, partem pœnitentiæ, vel totam etiam remittere: & in quibuslibet Provinciis poterit Novitios recipere, receptos profeſſare, profeſſos ad Ordines mittere, ſine aſſenſu cujuſcunque. Poterit etiam Capitulum Generale, vel Provinciale mutare; & terminum cauſa rationabili abbreviare, vel elongare. Et hoc idem committere Provincialibus, aut Vicariis, quando ſibi videbitur expedire. Volentes, quod Priores Provinciales, & Locales, ac Vicarii in hoc ſibi firmiter teneantur obedire. Poterit locum & vocem his, qui amiſerunt, reſtituere, & inhabiles habilitare ad ſtudia, gradus, & officia: niſi commiſiſſent ſcandala talia, quorum diſpenſationes per Conſtitutiones Generali Capitulo reſerventur. Poterit literas beneficiorum ſpiritualium, & fraternitatis in toto Ordine concedere; Fratres cujuſcunque Provinciæ a ſententia excommunicationis abſolvere, quam pro injectione manuum in ſeipſos, aut apoſtaſia, aut ex Ordinis cenſura incurriſſent:

Poteſt literas Fraternitatis in toto Ordine concedere.

Poteſt excommunicatos

riſſent: & etiam illos qui relicto ſæculo Ordini aggregabuntur, excommunicatione ligatos, & cum illis ſuper irregularitatis vinculo diſpenſare: ſic quod ſi Ordinem exierint, diſpenſatio illis facta ſit nullius momenti. Et ſi propter defectum, aut jure alterius, fuerint prædictis ſententiis ligati; poſtquam intrant Ordinem, ſatis faciant, ut tenentur. Et poteſt Prior Generalis vices ſuas in his committere.

quoſcunque abſolvere &c. per Bullã Eugenii IV. & Sixti IV.

8. Item poteſt Generalis ex Indulto Apoſtolico Julii II. in favorem Regularis Obſervantiæ, omni poſtpoſita appellatione eximere, nedum Conventus Fratrum, ſed etiam Monaſteria Monialium ſub habitu, & regimine Ordinis exiſtentium a cura, & juriſdictione Priorum Provincialium: quamvis ſecundum Conſtitutiones Ordinis, & ſtatuta tam Fratrum, quam Sororum, ac Privilegia Apoſtolica, necnon fundationes nonnullorum Monaſteriorum cautum ſit, ut Provincialibus ſubſint.

P. G. poteſt eximere in favorem obſervantiæ Fratres, Sorores a juriſdictione Provin.

9. Item poteſt etiam omnia, & ſingula in toto Ordine facere, quæ Priores Provinciales in ſuis Provinciis, & Locales in ſuis Conventibus. Et inſuper poteſt facere omnia illa, quæ ſibi per Conſtitutiones reſervantur. Item poterit eximere Conventum, ubi moram trahit, ab obedientia Provincialis, & in toto, vel in parte a ſolutione taxationis Provinciæ; ſecundum quod ſibi videbitur expedire, juxta temporis ratam. Item eidem committimus interpretationem Conſtitutionum noſtrarum, quando dubium apparebit: non poterit tamen illud, quod in Capitulis Generalibus ſtatutum fuerit, vel ordinatum, caſſare vel irritare; ſed in exemplum aliorum, illud diligenter obſervare, & ad obſervandum alios efficaciter inducere, & coarctare: quia leges condere, & non obſervare, eſt Ordinem illudere, & animas Fratrum illaqueare; niſi forte aliquid foret, quod ipſi per has Conſtitutiones reſervaretur, & eſſet ipſi commiſſa facultas idem mutandi, & ſi videbitur expedire, aliter faciendi. Committimus etiam Priori Generali, quod poſſit licentiare Conventus ad vendendum libros Librariæ, qui inutiles, aut duplicati ſunt: ita dumtaxat quod eorum pretium convertatur pro expenſis mutationis Conventus factis, aut faciendis; aut pro ædificatione Eccleſiæ, Dormitorii, Clauſtri, Refectorii, aut alicujus Officinæ neceſſariæ Conventui, notabilis in ſumptibus, & perpetuæ. Item quod poſſit Provinciales titulares Provinciarum demolitarum propter hæreticorum perfidiam inſtituere de triennio in triennium, vel confirmare. Etiam committimus eidem, quod poſſit omnia facere, quæ nos Diffinitores facere poſſemus: abſolutionibus Priorum Provincialium libere ſine culpa, & eorum inſtitutionibus pro libito, ubi poteſt fieri electio, & apertione Sigilli communis Ordinis, dumtaxat exceptis.

Prior G. poteſt omnia facere in Ordine &c.

P. G. poteſt omnia facere quæ Diffinitores, exceptis &c.

10. Item quia Congregatio Mantuana immediate ſubeſt Obedientiæ

Quid poſſit P. G. in Con-

gregatione Mantuana.

dientiæ Reverendiſs. Patris Ordinis, præterquam in expreſſis in literis Eugenii IV. datis in favorem ipſius Congregationis: P. G. virtute concordiæ factæ a Gregorio XIII. inter Religionem, & Congregationem, libere poteſt præſidere Capitulis ipſius Congregationis, necnon poſt celebratum ab ipſo primum Capitulum Generale viſitare omnia illius Monaſteria Fratrum, & Monialium; Prælatos & perſonas, illoſque & illas in capite, & in membris corrigere juxta jura, & Conſtitutiones, quæ vivendi rationem, & mores reſpiciunt; & alia viſitationis munus concernentia facere juxta primas, & ſecundas literas Eugenii IV. & ſic deinceps ſingulo quadriennio. In qua viſitatione ſpatio unius anni perſolvenda, libere poteſt procedere: in gravioribus tamen tenetur adhibere aliquas perſonas prudentes ex ipſa Congregatione, quæ ſibi videbuntur; poteſtque in ipſa viſitatione ſecum adducere quatuor, vel quinque perſonas, & totidem equitaturas. Per primum autem Capitulum G. celebratum a Generali, poſt quod Generalis poteſt viſitare dictam Congregationem, illud intelligendum eſt, in quo ipſe fuerit electus G., ut motu proprio declaravit Clem. VIII. Et ſi interim neceſſitas alicujus correctionis obvenerit ob defectum, & negligentiam Vicarii Generalis, poterit hujuſmodi correctio per Priorem Generalem alicui Prælato Congregationis demandari. Correctiones autem, & punitiones, quæ poſt viſitationem ipſam faciendæ, vel exequendæ erunt, P. G. intra domos ejuſdem Congregationis per Superiores, & Prælatos ejuſdem fieri curabit.

Poteſt Generalis diſpenſare in Conſtitutionibus, non tamen ſine cauſa rationabili.

11. Sciat Reverendiſſimus Pater Ordinis, quod habet quidem plenam poteſtatem diſpenſandi in his Conſtitutionibus, non tamen ſine juſta & legitima cauſa: non eſt autem cenſendum eum diſpenſare, niſi id ipſe in literis patentibus expreſſe dicat. Quod ſi ab eo emanaverint contra has Conſtitutiones aliquæ litteræ ſine expreſſa earum derogatione, illæ habendæ ſunt tanquam ſurreptitiæ, & nullæ, ac ſi nunquam fuiſſent datæ.

Veſtiarium G. Sociorũ ejus, & Procuratoris a Communitate Ordinis provideatur.

12. Item ordinamus, quod Priori Generali, & ejus Sociis, ac ſervitoribus cum Procuratore in Curia Romana provideatur pro veſtiario, & victu, ac aliis neceſſariis ſpectantibus ad officium Generalatus, pro conſervando, & manutenendo Ordine tam in Curia, quam alibi, a tota Communitate Ordinis ſecundum taxationem reformatam in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1625.: & ſimiliter provideatur pro expenſis faciendis in cauſis, & negotiis communibus, per ipſum Priorem Generalem expediendis.

Taxationes pro veſtiario, & victu Gen. ſolvantur in Pentecoſte.

13. Item ordinamus, quod taxationes pro veſtiario, & victu Prioris Generalis mittantur, vel ſolvantur ipſi Priori Generali ubicumque fuerit, ſeu de ejus mandato, ſuo Vicario aut Fratri ad eas recipiendas deputato: & ſolvantur quotannis a RR. Provincia-

vincialibus in Feſto Pentecoſtes libere, & abſque ulla contradictione, ſub pœna privationis ab eorum Officiis. Et quod dictum eſt de Veſtiario Reverendiſſimi Patris Generalis ſolvendo a Provincialibus in feſto Pentecoſtes, intelligendum etiam eſt de Veſtiario Procuratoris Ordinis in Romana Curia.

14. Item ordinamus, atque decernimus, quod juxta conſuetudines multis jam ſeculis approbatas, Reverendiſſimus Magiſter Ordinis in ſolemni viſitatione habeat, & habere debeat totam taxam Provinciæ, quam viſitabit, Provinciali dari ſolitam, non obſtante quocumque in contrarium. Quia juſtum eſt, & rationi conſentaneum, ut quod antiquiores noſtri Patres cognoverunt eſſe conveniens, & neceſſarium, & longum in uſum miſerunt, nullo modo temere a poſteris debeat prætermitti. Cum præſertim ad conſervandum officii Generalatus honorem, tum Romæ, tum ubique, ne aliorum Ordinum officiis vilius appareat, multos, & quandoque non æſtimabiles ſumptus fieri oporteat: neque ullo modo videatur expediens de juribus Prioris Generalis quidquam ſubtrahere, quando impium eſt, ſua cuique, & debita jura non dare: Provincialis tamen conſuetis ſuffragiis Provinciæ nullo modo privetur. P. G. in ſolemni viſitatione habeat taxam ſolitā Provincialis.

15. Item ſtatuimus, quod ſi Prior Generalis reſignaverit Officium, in omni electione, & quocumque actu alio immediate, ſit poſt Priorem Generalem, ſi præſens fuerit; & quoſcumque alios Fratres Ordinis præcedat ubique, cujuſcumque gradus, & officii, & conditionis fuerint; & in omni Capitulo Generali, vel Provinciali ſit primus Diffinitor ſemper. Mandantes, quod ei provideatur pro Veſtiario, & victualibus decenter præ aliis Magiſtris, qui non fuerint in dicto Officio. Item Prior Generalis ab Officio abſolutus, vel reſignans poteſt ſibi eligere Provinciam de tota Religione, & in ea Conventum ad manendum, quem voluerit: ita tamen, quod ſi in eadem Provincia voluerit mutari de Conventu ad Conventum, hoc faciat de ſpeciali licentia Generalis. Conventus, ad quos declinaverit, abſolute ipſum recipiant reverenter, & in neceſſariis intra Conventum provideant competenter: ſed in itinere non tenentur providere in expenſis. Statuentes, quod ipſi abſoluto, vel reſignanti fiant expenſæ de communi Ordinis a loco Capituli Generalis uſque ad Conventum, quem elegerit. Et hoc idem ſociis ſuis, ſi cum eo remaneant in futurum. Prior G. ſi officium reſignaverit.

## CAPUT II.

### *De Officio Prioris Provincialis.*

Prioris Provincialis auctoritas.

1. PRovincialis ita totius ſuæ Provinciæ curam gerat, ut alicujus Conventus non poſſit eſſe Prior Conventualis: habet autem auctoritatem Novitios recipiendi per ſe, vel per alios, receptoſque profeſſandi, & profeſſos ad Ordines Sacros promovendi; excommunicatos per manuum in Fratres Ordinis violentam injectionem abſolvendi. Advertant autem notorie excommunicatos non niſi in publico abſolvendos, factaque debita ſatisfactione, ac ſalutari pœnitentia peracta: & ſi quis aliter fuerit abſolutus, iterum in publico abſolvatur: & ſi contigerit aliquem per manuum violentarum injectionem in alium in foro conſcientiæ abſolutionem obtinuiſſe, & poſtea ad Provincialis, vel alterius Superioris notitiam peccatum alia ratione deferatur, abſolutio in foro conſcientiæ conceſſa nullatenus, quoad forum exterius ſuffragetur; ſed pœnis in Conſtitutionibus deſcriptis omnino ſubjiciatur, ac ſi nunquam fuiſſet a tali cenſura abſolutus: ſuper irregularitatem diſpenſandi: literas Fraternitatis ſuæ Provinciæ concedendi perſonis pertinentibus ad ſuam Provinciam: perſonaliter ſuam Provinciam viſitandi: & defectus tam Priorum, quam ſubditorum corrigendi: viſitationem, vel correctionem per alios faciendi, ſi perſonaliter accedere non valeret, & periculum cerneret imminere: Fratres, qui in ea ſunt de Conventu ad Conventum permutandi.

2. Item poterit Provincialis Fratres ſuæ Provinciæ, aut alterius, cum obedientia ſimplici fuerint aſſignati in aliquo ſuorum Conventuum per Priorem Generalem, commutare de Conventu ad Conventum alterum ſuæ juriſdictionis pro cauſa utili, & honeſta; præterquam ad Conventum, a quo ſunt mutati, etiam ſi graduati eſſent: niſi tempus legendi, vel manendi in ejus obedientia caveretur, aut prohiberetur, ne per alium, quam per Priorem Generalem mutarentur.

Poteſt Fratres de ſua Provincia ad aliam pro neceſſitate &c.

3. Fratres de ſua Provincia ad aliam pro neceſſitate, & negotiis Provinciæ, vel alicujus Conventus urgentibus, cum literis teſtimonialibus deſtinare, tempore de reverſione in eiſdem literis limitato: privilegia, vel quaſcumque res alias de Conventu ad Conventum transferre, data ſuper hoc litera teſtimoniali Conventui, a quo talia transferuntur, ut eidem Conventui reſtituantur citius, quam fieri poterit bono modo; niſi talia eſſent, de Communitate Provinciæ, quia tunc poſſent retineri in Conventu aptiori ad cuſtodiendum, ſi videretur expediens Provinciali.

4. Poterit etiam Provincialis Priorem Localem, contra quem aliquam habuerit notabilem culpam, ſi ipſe illam confeſſus fuerit, ab officio abſolvere: eo autem negante, ſi inſtructo proceſſu videbitur tale delictum ſufficienter probatum, ſuſpendere tantum: & in utroque caſu Vicarium inſtituere, qui regat Conventum uſque ad Capitulum Provinciale, ſi eo anno celebrabitur, vel uſque ad proximam Congregationem Patrum Diffinitorum, a quibus caſus Prioris ſuſpenſi terminabitur: exceptis tamen Conventibus efficaciter in obſervantia viventibus, necnon majoribus, ſeu primariis, in quibus ſcilicet de familia fuerint ultra Priorem octo Fratres vocem & locum habentes; in iſtis enim in caſu depoſitionis Prioris poterit a Fratribus Conventus eligi Prior, & Vicarius, qui non obſtante aliquo canonico impedimento cofirmandus erit a Provinciali, illæſa tamen manente auctoritate, quam Pater Generalis habet per has Conſtitutiones capite præcedenti num. 2. ex cauſa utili & neceſſaria, quando ſibi placuerit, in quocunque Conventu abſolvendi & inſtituendi Priores. Declarantes, quod nec Capitulum Provinciale poterit Provinciali dare licentiam deponendi Priorem Localem, ſine culpis, & pro libito. Et ſi ſecus per eum actum fuerit, totum volumus eſſe irritum & inane.

Provincialis non poteſt abſolvere ab Officio Priorem Localem ob culpam ab eo non confeſſã. ſed tantum ſuſpendere.

Conventus Reformati, & majores poſſunt ſibi eligere Priores. *V. App. n. 122.*

5. Item ſtatim ac aliqui fuerint abſoluti ab Officio Prioris, curabit Provincialis, ut rationem reddant tam introitus & exitus, quam omnium bonorum mobilium & immobilium Conventus; inquiretque an Conventus ob illius culpam, & ſuum malum Regimen remaneat ære alieno gravatus: an ſingulis Fratribus integra exhibita Veſtiaria: an reditus futuri ſint exacti, vel oppignerati: an quicquam ſit venditum, oppigneratum, aut deperditum: nam tunc Provincialis Priorem detrudet in carcerem, & ad ſatisfactionem Conventui faciendam uſque ad minimum quadrantem compellat, eumque inſuper perpetuo inhabilem ad omnia officia Ordinis declamabit; niſi forte conſtaret aliquid fuiſſe, vel vetuſtate conſumptum, vel citra Prioris culpam deperditum; cum nemo indebite gravandus ſit.

Prior abſolutus ab Officio debet reddere rationem, &c.

6. Item ſtatuimus, ut Priores Locales, qui ea, quæ ad Officium ſuum pertinent, ſcilicet, qui Chorum, Capitulum, Refectorium non ſequuntur regulariter, ab Officio deponantur per Priorem Provincialem, ſub pœna depoſitionis ab Officio Provincialatus; niſi propter antiquitatem, aut aliam certam cauſam juſtam judicio Provincialis excuſentur. Nullus tamen Localis Prior abſolvatur, ſi Provinciale Capitulum fuerit celebrandum infra menſem. Et quia quotidie experimur malos ob relaxationem pœnarum deteriores evadere; non liceat pœnas in his Conſtitutionibus deſcriptas cuiquam remittere, niſi levem & mediam Priori, & gravem Provinciali, ſub pœna depoſitionis ab Officio, & inha-

Priores Locales non ſequẽtes Chorum, &c. ab Officio deponantur per Provincialem, niſi &c.

Quas pœnas poſſit remittere Prior Provincialis, vel Localis.

*Vide infra cap. 4. n. 6.*

& inhabilitationis per decennium. Poterit etiam Provincialis omnia alia facere, quæ Priores Locales in ſuis Conventibus. Omnibus autem Prioribus Provincialibus diſtricte præcipimus, quatenus in Capitulis Provincialibus deputent Fratres, qui de cantu Eccleſiaſtico, ubi opus fuerit, habeant informare.

Provinciales tenentur mittere omni anno Viſitatorem ad Conventus, &c.

7. Ordinamus etiam ſub pœna depoſitionis ab eorum Officiis, ut omni anno mittant Viſitatorem ad Conventus, ad quos non poterunt commode accedere, cui habeant expenſas rationabiles de Conventu ad Conventum aſſignare, & moderate taxare pro ſe & ſocio: nec volumus, quod talis Viſitator ad expenſas Conventuum poſſit equitare. Statuentes, quod ſi ſcandalum aliquod fuerit in aliquo Conventu perpetratum, cujus cauſa Provincialis vocatus advenerit, Provincia ſolvat ejus expenſas, caſu quo Conventus non ſolverit: & Frater ille, per quem ſcandalum venit, tamdiu incarceretur, donec Conventus, & Provincia famam, & damnum recuperaverit. Et ſi per aliquem Conventum Prior Generalis, aut Provincialis, vel eorum Vicarii vocati fuerint, ſolvant omnes expenſas in eundo & redeundo.

Provinciali vocato alicujus ſcandali cauſa quis ad expenſas teneatur?

Provincialis ſpatio duorū menſium proceſſus contra criminoſos abſolvere debet.

8. Ubi Provincialis in viſitatione, vel extra compererit quempiam Religioſum de aliquo crimine diffamatum; ſtatim abſque ulla dilatione, & mora proceſſum legitime, procedendo tamen ſummarie, & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii, & non ſervatis apicibus juris conficiat & abſolvat, & immediate conſulto Generali Ordinis, ſi de re gravi agatur, ſententiam proferat, & exequatur: alias tranſactis duobus menſibus, omnia inquiſitionis acta contra dictum Regularem ſint nulla; niſi aliter Pater Ordinis expedire judicaverit, vel niſi ob nimiam Provinciarum diſtantiam majus fuerit neceſſarium tempus ad expectandum a Reverendiſſimo Patre, jam ob criminis gravitatem conſulto, reſponſum.

Frater quicunque ad Officium extra Ordinem aſſumptus, eo facto ab omni Officio, quod in Ordine tenebat privetur.

9. Inhibemus omnibus Prioribus Provincialibus, ſeu Localibus noſtri Ordinis, ne alicui Fratri concedant licentiam, quod ad titulum Epiſcopalis dignitatis ſe faciant promoveri, vel ad Officium Pœnitentiariæ Domini noſtri Papæ, vel quodcunque Officium extra Ordinem. Ordinantes, & declarantes, quod quicunque Frater noſter aſſumptus fuerit ad Officium Pœnitentiariæ Domini noſtri Papæ, aut Epiſcopatum, vel Archiepiſcopatum quemcunque; vel adeptus fuerit extra Ordinem ex diſpenſatione beneficium aliquod, vel Officium, ipſo facto ab omni Officio, quod tenebat in ordine, abſolutus ſit; nec vocem, aut locum habeat in Religione: id que ex indulto Calliſti III., & Sixti IV. niſi Prior Generalis cum eo diſpenſaverit: & ſimiliter quod privatus exiſtat omnibus bonis, quorum uſum habebat in Religione, niſi ex benignitate, & gratia ipſius Religionis ei concedatur idem uſus (a), quod

(a) *Hoc etiam eſt vetitum a Bened. XIII. 7. Mart. 1725. Conſtitut.* Poſtulat humilitati.

quod nolumus fiat, niſi prius confecto fideli inventario, & data per eum cautione ſub publico Inſtrumento, in quo recognoſcat omnia illa bona, quoad proprietatem eſſe Ordinis, & quod ſolum habet ab illo uſum ſibi conceſſum, & quod propterea poſt ejus obitum ſunt eidem Ordini reſtituenda.

10. Item inhibemus Prioribus Provincialibus, ſeu quibuſcumque Vicariis, aut Prædentibus, Priore Generali inferioribus, ne poſſint concedere licentiam, ſeu gratiam alicui Fratri Ordinis, quod non interſit horis divinis in Choro nocturnis, aut diurnis, exceptis dumtaxat Magiſtris in Theologia, Baccalaureis, atque Lectoribus, actu legentibus, ac ſtudentibus in ſtudio deputatis, extra tempus vacationum, ſeu Fratribus prædicaturis illa die, qua prædicaverint, necnon Fratribus infirmis. Nec aliquis dictorum Superiorum valeat concedere alicui Fratri cujuſcumque gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, licentiam intrandi Civitatem, Oppidum, vel Villam ſine ſcitu Prioris Localis.

Solus Prior Generalis poteſt diſpenſare, quod Fratres non habeant intereſſe horis in Choro tam diurnis, quam nocturnis.

11. Item, ut occurramus nonnullis incommodis, quæ interdum cauſari ſolent ex intempeſtiva Prioratuum renunciatione, & voluntario vocalium augmento in certis quibuſdam Conventibus: inhibemus, ne Provincialis in poſterum infra octo menſes immediate præcedentes Capitulum Provinciale celebrandum valeat admittere renunciationem alicujus Prioratus, nec augere numerum vocalium in Conventibus, ubi eſt eligendus ſocius, ſub pœna privationis Officii, necnon loci & vocis ipſo facto incurrenda, & inſuper ex nunc pro tunc irritam, & nullam declaramus omnem renunciationem cujuſcunque Prioratus, & proviſionem inde ſecutam novi Superioris, necnon omnem electionem cujuslibet ſocii ob adauctum vocalium numerum contra ſtatutum præſatum.

*Infra octo menſes ante Capitulū Provinciale non poteſt admittere renunciationem Prioratus, nec &c.*

12. Non audebunt Provinciales, ſub pœna depoſitionis ab Officio, licentiam Sacrorum Ordinum alienæ Provinciæ Regularibus impertiri, inconſulto Provinciali illius Provinciæ, vel Priore Generali, ſub pœna privationis ab Officio: eſto quod promovendi jampridem maneant in ea Provincia.

Nullus admittatur ad Sacros Ordines ſuſcipiendos abſque licentia ſui Provincialis.

13. Nequeant morari RR. Provinciales in Conventibus Priori Generali immediate ſubjectis ultra decem dies, abſque conſenſu Prioris Generalis, ſub pœna privationis ab Officio, & amiſſionis ſuarum taxarum.

*V. App. n.70.*

Provinciales non maneant in Conventibus Priori Generali immediate ſubjectis.

14. Nemo ex Provincialibus tentabit expellere Regulares a ſua Provincia, ſine licentia Prioris Generalis, niſi ſint incorrigibiles: nec noſtræ, ſeu alienæ Religionis admittere apoſtatas, ſub pœna privationis ab Officio.

Provinciales bis in anno admoneant G. de ſtatu Provinciæ.

15. Item decernimus & mandamus omnibus Provincialibus, & præſertim ultramontanis, ſub pœna rebellium, ut ad Patrem Generalem Ordinis unuſquiſque ad minus bis in anno tranſcribat

Provinciales neminem ex-

pellant a ſua Provincia inconſulto P. G.

bat fideliter ſtatum ſuæ Provinciæ ; maxime vero de qualitate, & conditione Graduatorum , præcipue Magiſtrorum , de Fratribus diſcolis , delinquentibus , & ſcandaloſis , & de apoſtatis ; ut ipſe Reverendiſſimus Pater poſſit ſe prudenter gerere in regimine Religionis , & ſcire quomodo debeat ad ſe confluentes tractare .

Provinciales per acto trien. nio Officium ſuum deponant.

16. Provinciales omnes , & ſinguli tertio ſuæ functionis anno in Dominica tertia poſt Paſcha Officium deponant , ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ , & inhabilitatis ad Officia Ordinis in perpetuum , ſi obedire neglexerint . Et eo caſu primus Diffinitor præcedentis Capituli Provinciam reget , & Capitulum congregabit , ſi fuerit Magiſter : & ſi non fuerit, antiquior Magiſter , vel Prior , nullum habens legitimum impedimentum Provinciam adminiſtrabit : niſi aliter per Reverendiſſimum Patrem Ordinis decerneretur .

Provincialis convocet Capitulum , in quo præſideat primus Diffinitor Magiſter, niſi Pater Generalis &c.

17. Volumus autem , quod Provincialis Officium depoſiturus, tempore ſuperius definito convocet Capitulum Provinciale ; in eodem tamen præſideat non ipſe , ſed primus , vel major ex Diffinitoribus , qui fuerit Magiſter : nullo autem Diffinitore Magiſtro exiſtente præſideat antiquior Magiſter in Provincia : quod ſi in Provincia nullus fuerit Magiſter , præſidebit primus , vel major Diffinitor ; niſi de alio Præſide proviſum fuerit per Reverendiſſimum P. Generalem , qui ad libitum poteſt Præſidem inſtituere in omni Capitulo Provinciali , licet non Provincialem , qui abſolvendus eſt ab Officio ; qui nihilominus erit de gremio , & ingredietur Diffinitorium , non tanquam Diffinitor , ſed tanquam Conſiliarius uſque ad finem Capituli : eſto etiam Reverendiſſimus P. Generalis alium inſtituerit Præſidentem .

Provinciales extra Italiam electi, ſtatim Officiū exerceant.

18. Provincialis electus in Provinciis extra Italiam , ſi fuerit ex nominatis a Reverendiſſimo Generali , & canonice electus , ſtatim poterit ſuum Officium exercere : tenebitur tamen confirmationem habere in ſpatio quatuor , vel ad ſummum ſex menſium , ſub pœna privationis Officii : quo caſu Magiſter antiquior Provinciæ regat Provinciam uſque ad proviſionem novi Provincialis , ſive diſpoſitionem Reverendiſſimi P. Generalis .

In Italia vero non fungantur Officio ſuo, niſi habita cōfirmatione a Priore Gen. *Alia de Provinc. & ExProvin. tum Realibus, tum Titularibus v. App. §. xi. per totum, & n. 59.*

19. In Provinciis autem Italiæ , ſervetur antiqua Conſtitutio, ut ſcilicet Provinciales non exerceant officium ſuum , niſi habita confirmatione a Reverendiſſimo P. Generali : ſed interim Provincia regatur per Priorem , ubi Capitulum celebratum eſt , & Provincialis fuit electus , ſi talis Prior erit Magiſter : ſin minus per antiquiorem Magiſtrum , qui tamquam Vicarius Provinciam adminiſtret . Niſi Pater Generali reperiatur extra Italiam : tunc enim Provinciales electi ſtatim poterunt exercere officium , ut Provinciales extra Italiam , cum eadem obligatione habendi confirmationem &c.

CA-

# CAPUT III.

## *De Officio Prioris Localis.*

1. PRiores Conventuales habeant Subditos ſuos admonere, & corrigere, & Regulam, & Conſtitutiones Ordinis Fratribus Clericis & Laicis, etiam Novitiis per ſe, vel per alios legere, & exponere in Capitulo, vel Refectorio, ſaltem quartis, & ſextis Feriis ad minus, aut legi facere: ita quod ubi dimiſerit, incipiat in ſequenti, ut ab omnibus intelligantur, & ſuper omnia ad obſervantiam tam Regulæ, quam Conſtitutionum ſe, & alios efficaciter coarctent. Habeant etiam ſuos Fratres frequenter admonere, quod ordinate ſe gerant in Choro & extra: quod ſe uniformiter inclinent ſic, quod manus cancellatæ poſſint attingere genua intrando & exeundo Chorum, Capitulum, & Refectorium, ac etiam ante Altare majus tranſeundo: ſed ubi Corpus Chriſti reſervatur, genuflectant humiliter: & videant, quod inclinationes faciant, nudatis capitibus reverenter, ſub pœna mediæ culpæ: & breviter, quod rubricæ Ordinalis, ſeu Cæremonialis de inclinationibus, & genuflexionibus devote ab omnibus obſerventur. Ubi reſciverint jurgia, vel contentiones inter aliquos eſſe ortas, ſtatim curent, ut vere reconcilientur, & renitentes mittant ad Provincialem, illum de negotio ad plenum informando; & illos Provincialis carceri mancipabit, donec reſipuerint, inflicta ſalutari pœnitentia, prout ſecundum delicti gravitatem judicaverit. Habeant etiam Priores Locales per ſe, vel per alium portas cuſtodire, aut cuſtodiri facere, & Conventuales ſuos, quoties eis viſum fuerit, viſitare: Chorum, Refectorium, & Capitulum regulariter ſequi; & tenere computum de receptis, & expenſis: a recipientibus, & exponentibus recipere, & audire, præſentibus tribus Cuſtodibus per Conventum electis, & aliis volentibus intereſſe: de bonis communibus per aſſenſum Cuſtodum prædictorum ordinare: quos, ſi in aliquo agendorum, diſſentire contigerit, ad majorem, & ſaniorem partem Conventus recurratur, & ſecundum eorum dictum omnia diſponantur. Quod ſi non fecerint, & negligentes fuerint, a Superioribus graviter puniantur, ſecundum exigentiam delicti.

*Prior tenetur Regulam, & Conſtitutionem Fratribus legere.*

*Inclinationes quomodo ſunt agendæ.*

*Prior negligens in ſuo Officio a Superioribus graviter, &c.*

2. Item ordinamus, ut quilibet Prior noviter inſtitutus in aliquo Conventu, poſtquam oſtenderit literam ſui Prioratus, antequam utatur in aliquo Officio ſuo, videat inventaria Conventus ſui Prædeceſſoris: & ſecundum illa, recipiat bona omnia illius Conventus in præſentia Cuſtodum, aut ſanioris partis Conventus, ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio: ita quod ſecluſis aliis juſtis impedimentis, pro honore, & utilitate Conventus evidenter neceſ-

*Prior noviter inſtitutus, ad quæ teneatur.*

neceſſariis, ſi contra præfatam Conſtitutionem venerit ex ſua negligentia, & aliquis Fratrum in eum offenderit, ;dicamus eum non offendere in Prælatum. Etiam præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna depoſitionis ab Officio, quod poſſeſſiones Conventus ſemel ſaltem in anno viſitet. Item cum poſtea recedet ad Capitulum, vel alia cauſa mutabitur ab Officio, de omnibus bonis Conventus, ſecundum inventaria ſui introitus, habeat reddere rationem Cuſtodibus, & Fratribus, & Succeſſori ſuo, ſi fuerit præſens, aut Præſidenti Conventus tempore ſui receſſus, vel mutationis, ſub pœna ſuſpecti de fraude proprietarii. Et ſi Prior noviter inſtitutus, non reperiat etiam inventaria prædeceſſorum, faciat inventaria nova coram Fratribus ſupradictis, & ponantur in arca communi, ſub pœna ſuſpenſionis ab Officii executione. Et ſi aliqua bona Conventus fuerint non reperta, pœna graviori puniatur, donec Conventus ſuum dammum recuperaverit: nec ei credatur quorumcumque temporalium adminiſtratio. Neque ſuffragetur gradus Magiſterii, Baccalaureatus, aut aliud cuique conſtituto Priori alicujus Conventus, quin teneatur omnia, quæ ſecundum Regulam, & Conſtitutiones Ordinis tenetur Prior facere, præſertim pertinentia ad ſequelam Chori, Capituli, & Refectorii: nec obſiſtant quæcumque gratiæ, aut privilegia Magiſtris conceſſa, vel concedenda: quod ſi non fecerint, Prior Provincialis eos deponat ab Officiis, ſub pœna depoſitionis a Provincialatu.

*Prior Localis poteſt ſubſtituere.*

3. Item ordinamus, quod quilibet Prior Localis poſſit ſubſtituere Vicarium pro ſui abſentia in Conventu, non obſtante, quod ibi ſit Subprior per electionem, vel alius; niſi quando iturus eſt ad Capitulum Provinciale: quia tunc ſi Subprior manet, eſt Vicarius: & ſi eligatur in ſocium, alius Frater eligatur in Vicarium.

*Inſtrumenta Conventus examinentur per conſtitutum.*

4. Item ordinamus, quod in quolibet Conventu deputetur ſingulis annis unus de Patribus, qui habeat curam examinandi originalia Inſtrumentorum, manibus Notariorum, ſeu alias confecta: & reducendi omnes, & ſingulas ſcripturas ad Conventum pertinentes, ad formam convenientem: & ſi qua deſunt, omnem adhibeat diligentiam, ut inveniantur: quæ reponantur in ſcrinio, ſeu ſcriptorio, ſeu bona cuſtodia, ita diſpoſite, & ordinate, quod facile inveniri poſſint. Nec ſint in poteſtate cujuſpiam de ejuſmodi ſcripturis, ſeu Inſtrumentis, ſine expreſſa licentia, & ipſius Cuſtodis cautela ab ejuſmodi ſcriptorio, ſive ſcrinio quidquam amovere.

*Fiant duo archivia pro cōſervandis ſcripturis unum particulare, &c.*

5. Item, quia docuit experientia multa bona Religionis deperiiſſe, tum ob Priorum incuriam, tum ob aliquorum Regularium malitiam: ut aliqua ratione hiſce incommodis occurramus: Statuimus, ut infra ſex menſes, quilibet Prior conficiat Inven-

tarium

tarium authenticum omnium ſtabilium, prædiorum, domorum, legatorum, cenſuum, & aliorum hujuſmodi cum eorum cohærentiis, & debitis perſonarum, locorum, temporum, cauſarumque circumſtantiis; cujus duo conficiantur exemplaria, quorum alterum maneat in arca trium clavium, in qua etiam reponantur omnes ſcripturæ ad dictum Conventum ſpectantes, & alterum tranſmittatur ad R. Provincialem. Et ideo volumus, ut in qualibet Provincia in aliquo Conventu magis commodo conſtruatur unum Archivium commune, in quo tribus clavibus per tres in Capitulo Provinciali Patres inſigniores eligendos cuſtodiendis, conſerventur præfata ſingulorum Conventuum inventaria.

6. Item, ut bona Monaſteriorum fideliter diſpenſentur, & in libris ſine fraude deſcribantur expenſæ, ſi quis de bonis Communitatis alicui, vel ſæculari, vel Regulari etiam intra Ordinem ad conciliandam ſibi ejus benevolentiam, vel ſub quovis alio prætextu particulari præſumpſerit quidquam elargiri, & hujuſmodi donationem ſub ementitis expenſis in expoſitorum libris annotare per ſe, vel per alium, ejus furti abſolutio reſervatur Rm̃o Patri Ordinis: & extenditur iſta reſervatio ad quodlibet furtum de bonis Communitatis a quovis interpretatum, quod ſit peccatum mortale: & ſi quando conceſſerit Pater Generalis facultatem abſolvendi ab iſto caſu, ſemper intelligi debet cum onere, & obligatione reſtituendi. Reſervatur P. G. abſolutio furti.

7. Item ordinamus, quod Prior poſt cœnam, ſeu ante, & denique quando videbitur ei tempus magis opportunum, adire teneatur ſingulą nocte cameras Fratrum cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant; & præſertim illorum de quibus ſit aliqua ſuſpicio, ſub pœna gravioris culpæ ipſi Priori tempore Capituli Provincialis infligenda per tres dies. Prior viſitet cameras Fratrum.

8. Item ordinamus, quod Prior ante prandium, & cœnam quotidie interroget, an ſint aliqui, qui leves culpas commiſerint in Choro, ſive in Dormitorio, ſeu quocumque alio in loco. Et ſi qui humiliter in medium proceſſerint, & culpas dixerint, levi injuncta pœnitentia dimittantur. Sin autem nemo reſponderit, interroget Magiſtros, & Patres, ſi quid habent recordatione dignum, quod reducant ei ad memoriam. Et ſic habita quotidie brevi collatione in exhortandis juvenibus, aut in commendandis ſenibus, & benefactoribus; aut denique in extollendis virtutibus, & vitiis deprimendis, prandium, ſeu cœnam ineat, facto ſigno lectionem legenti. Prior ſcrutetur de culpis Fratrum ante prandium, & cœnam.

9. Item ordinamus, & præcipimus, ut Priores diligenter attendant, quod barbæ Fratrum radantur de quindena in quindenam, atque corona capitis, nemine cujuſcumque gradus, aut dignitatis excepto. Si vero aliquo impedimento id effici novacula non poterit, fiat forficibus uſque ad cutem, ut raſi appareant: Radantur barbæ.

 & ino-

& inobedientes non poſſint eligi, neque eligere, neque interſint electionibus, aut actis legitimis quibuſcumque.

Confeſſiones audiantur in locis patentibus.

10. Caveant Priores, ut nullus Confeſſarius aliquem audiat in Eccleſia a confeſſionibus, niſi in cancellis ſibi deſignatis: quos omnes in patentibus, ac manifeſtis Eccleſiæ partibus locatos eſſe volumus, & ita conſtructos, ut tabula media inter ſeſſorium confeſſarii, & genuflexorium pœnitentis ita protendatur, ut pœnitens non poſſit tangere pedes, aut genua Confeſſarii, neque vultum illius intueri. Sed & foramina laminarum, e quibus confeſſiones audiuntur, non ita ampla fiant, ut manus, vel digiti ex ipſis emitti poſſint.

In Conventibus immediate ſubjectis R. Patri Prior poteſt præſentare Fratres pro Ordinibus &c.

11. Demum quia ſunt nonnulli Conventus in noſtra Religione a cujuſcumque Provincialis juriſdictione ſoluti, & Rmo Patri Ordinis immediate ſubjecti, poterit in illis, ſi G. fuerit abſens, Prior, vel Commiſſarius G. ſi extiterit, Fratres ibi commorantes pro ſuſcipiendis ſæcularium confeſſionibus, vel habendis concionibus, ſervatis ſervandis, Rmis Ordinariis præſentare.

# CAPUT IV.

## *De Vicariis, & Commiſſariis Generalibus.*

Ubi Prior ſuū Officium recte exercet, Præſidens eū adjuvabit.

1. Quoniam evenit, ut in aliquibus Conventibus, aliquo rerum eventu neceſſario ordinentur, & inſtituantur Præſidentes, & Superintendentes ſub nomine Vicariatus, & Commiſſariatus, neque propter id dici poteſt in uno Monaſterio eſſe duo capita, ſed unum: quoniam Priores ut capita regunt, & adminiſtrant; & dum ſuum officium recte exercent, non eſt opus aliquid Præſidentem efficere, præterquam hortari R. Priorem, ut animoſior reddatur, & perſeverare non dubitet: & præſidentis auctoritas inſervit Priori, ut Fratres ei libentius obediant, & eum magis timeant.

Præſidens cognoſcat de injuriis factis Fratribus a Priore.

2. Officium Præſidentium, ſeu Vicariorum Generalium in iis verſatur, & ad infraſcripta ſe extendit. Dum Priores Locales inferunt vim, gravamen, & injuſtitiam Fratribus; tunc Fratres recurrentes ad ipſos Præſidentes poſſunt cognoſcere, & diſcutere omne diſcrimen, omnes difficultates, atque componere, & corrigere in iis, de quibus noverint gravamen, injuriam, & injuſtitiam illatam fuiſſe appellanti.

Vic. Gen. invigilent reformationi.

3. Item omni diligentia debent invigilare reformationi, ut Priores eam executioni demandent. Qui Priores ſi non defecerint, debent eis favere in omnibus, & in nullo ipſos impedire, neque ad ea, quæ pertinent ad officium Prioratus manus ſuas extendere.

Unuſquiſque ſuum Officium faciat.

4. Faciant itaque omnes, quod ſuum eſt: deleantur ſectæ & conſpi-

conſpirationes. Deum inſpiciant, qui Superiores hominibus etiam Religioſis impoſuit: & Superiores non in vindictam ſuam poteſtatem exerceant. Omnes Deum præ oculis habeant: neque dicant plura eſſe capita, quoniam ſcriptum eſt: caput mulieris eſt vir, caput viri eſt Chriſtus, caput Chriſti eſt Deus: nihilominus caput unum habemus, qui Deus eſt. Sicut etiam in domibus peculiaribus caput ſuum ſtatuitur & Civitatibus, & Provinciis, & Regnis, & Eccleſiis; unum tamen in terris caput omnium eſt Summus Romanus Pontifex. Hæc ſcribimus, ut aliquorum noſtrorum inſuavis ſermo non penſiculate dictus ſuis limitibus contrahatur. Summa eſt, omnium eorum ſaluti maxime prodeſſe obedientiam, regularis profeſſionis fundamentum.

5. Præ cæteris vero ſtatuimus, & ordinamus nomen Conventualitatis, & illius uſus peſſimos omnino a conſociatione, & conciliatione noſtra Carmelitica dari peſſum, & oblongari; atque Fratres noſtros, ſe vocare & eſſe Fratres de Obſervantia. Neque oppoſitum quis juſte fari poteſt, ſi Regulam noſtram primam, & mitigatam, atque Conſtitutiones noſtras inſpexerit. Quamobrem Greg. XIII. in literis concordiæ inter Religionem, & Congregationem Mantuanam ſtatuit; ne illius Vicarius Gen. dicatur Vicarius Congregationis de Obſervantia, ſed Vicarius Congregationis Mantuanæ.

*Nomen Conventualitatis, & uſus omnino prohibetur.*

6. Quæ pertinent ad functionem Prioris Localis, explicantur in capite de officio Prioris. Et in nullo eorum illic deſcriptorum debet, aut poteſt impediri a quovis Vicario, Præſidente, aut Provinciali Præfecto, non obſtante illa Conſtitutione, quod quicquid poſſunt facere Priores Locales, poteſt facere Prior Provincialis.

*Prior non poteſt impediri in ſuo Officio.*

7. Si evenerit aliquod diſcrimen inter Præſidentem, & Priorem, ipſe Prior ſuæ functionis jura modeſte tuebitur. Si vero Præſidens Priorem extorquere, & ei vim inferre voluerit, ſcribet Generali Priori; qui ſtatim, quod juſtum eſt fieri mandabit, ſolum habita ratione eorum, quæ ſunt juris.

*Generalis ſolus cognoſcet ſuper differētia inter Priorem & Præſidentem.*

8. Cum ergo RR. Priores Locales ad normam contentorum in capite citato, ſuam functionem recte exercuerint, nemo in illius Prioris meſſem debet mittere propriam falcem: & Fratres, quorum gubernatio commiſſa fuit Prioribus, illis debent obedire; illorumque curæ relinqui. Sed Fratres maxime debent revereri Præſidentes, ſive Vicarios, quibus (poſt primam inſtantiam, ſeu deficiente Priore) injungere, & adhibere poterunt regulares correctiones.

*Fratres obediant ſuo Priori recte exercenti ſuam functionem.*

9. Monemus, & præcipimus omnes, & ſingulos noſtri Inſtituti Carmelitici Profeſſores obedire ex animo Decretis Sacroſancti Concilii Trid., atque Miniſtros Ordinis ad eorum obſervationem omnes inferiores noſtros impellere, juxta gratioſam declarationem Summorum Pontificum.

*Omnes obediant Decretis Conc. Trid.*

Vicar. Gen. in partibus Tranſalpinis poteſt V. Gen. ad libitum inſtituere.

10. In partibus Tranſalpinis, ſcilicet Hiſpaniarum, & Galliarum, aliiſque hujuſmodi Regionibus non ſufficiatur Vicarius Gen. perpetuus; ſed Rm̃us Pater, opportuno tempore, & ad ejus libitum eum inſtituere, & deſtituere poterit.

Procuratores Gen. pro Aulis Regum V. App. n 68. & 69.

11. Ad Regem Catholicum Procurator Generalis collocetur aſſiduus: etiam ſimilis eligatur apud Regem Gallorum, qui fungantur eo munere, quod agit Procurator G. in Curia Romana.

# CAPUT V.

## *De Viſitatoribus, & eorum receptione.*

Fratres devote, & honeſte ſuos Superiores recipiant.

1. ANTE omnia præcipimus, quod Fratres devote, & honeſte ſtatim ſine contradictione ſuos Superiores ad ſe venientes, aut miſſos recipiant, & debitam eis reverentiam, & obedientiam faciant, ut decebit: quod ſi non fecerint, ipſo facto judicamus eos conſpiratores, & pœna conſpiratorum rigide puniendos. Si autem Priorem Generalem, vel Provincialem infirmitate, aut alia evidenti neceſſitate, vel cauſa detineri contigerit, & impediri, ſic quod ea, quæ ad officium eorum pertinent, exequi non valerent: ordinent aliquem fide dignum, honeſtum, & diſcretum de Fratribus ſuis, qui vices eorum ſuppleat, cum a ſubditis fuerint requiſiti, aut neceſſitas fuerit ad mittendum. Servabunt autem Prælati Ordinis illam laudabilem conſuetudinem, ut adeuntes Monaſteria, ſeu Conventus noſtros, primo Eccleſiam ingrediantur; & ibi a Fratribus reverenter receptis dicatur alternatim Pſal. Ad te levavi oculos meos. Et dum dicitur, ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſive ad Altare majus ſe conferant; atque ibi omnes genuflectant. Finito Pſal. cum Gloria Patri, dicitur Kyrie eleiſon: Chriſte eleiſon: Kyrie eleiſon: Pater noſter. Prior, aut Vicarius Conventus ſtans dicat ℣. Et ne nos. ℣. Salvum fac ſervum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℟. Convertere Domine uſquequo. ℟. Et deprecabilis eſto ſuper ſervum tuum. ℣. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Patri noſtro, & quidquid ei in via ſurripuit viſus, aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis: totum ineffabili pietate tua indulge, & abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſtea incipiente Prælato Pſal. De profundis clamavi ad te. Surgant omnes, & proſequantur Pſal. in fine: Requiem æternam, & ſine Kyrie eleiſon: dicitur Pater noſter, & ℣. Et ne nos: A porta Inferi. ℣. Credo videre bona: Domine exaudi: Dominus vobiſcum. Oremus. Oratio pro Fratribus: Inclina: Deus veniæ largi-

largitor: & Fidelium. His finitis in Conventum ſe recipiat in habitaculum honeſte, ac decenter præparatum. Nec in ipſo ſui adventus articulo, inter ſtrepitus adventantium, & moleſtis obſequiis animos vel itinere defeſſos diſtrahentium, viſitabit Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ (niſi forte ad detegendam miniſtrorum ignaviam) ſed differet in proximum mane, in quo jejunus ipſe cum jejunis Fratribus ad Eccleſiam convocatis inter Miſſæ celebrationem, quam celebrabit ipſe, vel ex integro audiet cum Conventu: & poſt Communionem celebrantis, hanc præſtantiſſimam veri Corporis Chriſti Dei noſtri viſitationem ſumma cum religione, ac devotione perficiet, eo modo, ac diligentia, quæ in ſequenti capite deſcribetur.

Nulli Vicario credatur, niſi &c.

2. Item ordinamus, quod Vicariis, & Viſitatoribus ſic miſſis tempus, & auctoritas per literas eorum limitetur; & quod ipſi Prioribus, & Conventibus, & eis, quorum intererit, faciant de ſua poteſtate, & auctoritate copiam, cum ab eis fuerint requiſiti. Statuentes, ut nulli Vicario credatur, niſi literam ſuæ commiſſionis legerit, aut legi fecerit in præſentia eorum, aut majoris partis, ſuper quibus habet exequi commiſſionem; vel niſi copiam miſerit de eadem. Volentes quod ſi quis commiſſionem extenderit ultra id, quod ſonaverit, pœna uſurpantium majorum officium, quæ eſt carceris, puniatur. Nec tales Vicarii poſſint totas vices ſuas aliis ſubſtituere, niſi in literis commiſſionis hoc expreſſe contineretur.

Vicarii non poſſunt vices ſuas aliis ſubſtituere.

3. Item ordinamus, quod quicunque fuerit cauſa adventus alicujus Superioris, ſeu Viſitatoris ad quamcunque Provinciam, vel Conventum pro culpis perſonalibus, quicunque reus repertus fuerit, ſive accuſans, ſive accuſatus carcere puniatur, donec Conventus damnum ſuum, & famam recuperaverit integre. Statuimus, quod nullus Prælatus Ordinis, aut Vicarius, cujuſcumque gradus exiſtat, poſſit aliquid recipere a ſubditis, vel ab eorum parentibus, & amicis ſub pœna depoſitionis ab officiis eo facto, quo eſſent de hoc coram ſuo Superiore convicti, vel confeſſi, quod minus contra tales proceſſiſſent. Item ordinamus, quod quilibet Viſitator, ſive ſit Prior Generalis, ſive Provincialis, aut Vicarius eorum, inquirat in quolibet Conventu, quem viſitabunt, de vita, & de moribus, de honeſtate, & fama, ac utilitate ſingulorum, & potiſſime in officiis exiſtentium. Et ſi aliqua ſint commiſſa ſcandala, furta, crimina notabilia, & notoria &c. & ſi inveniant aliquos defectus quoad Officiarios, vel alios corrigant, & emendent ſine palpatione, juxta formam in ſequenti Capitulo poſitam.

Nullus Prælatus Ordinis poteſt aliquid recipere a ſubditis.

Viſitatores inquirant de vita & moribus ſingulorũ.

CA-

# CAPUT VI.

## *De modo, & forma viſitandi.*

Exordium viſitationis.

1. RUina totius Ordinis ex defectu provenit debitæ Viſitationis. Quare ordinamus, ut Viſitatores, cum ad Conventus viſitandos venerint, primo mane convocatis omnibus Fratribus in Eccleſia cum cappis albis, & celebrata, ſive audita Miſſa devote cum obſervatione Cæremoniarum uſque ad communionem incluſive, viſitent SS. D. N. Jeſu Chriſti Corpus: & accedentes ipſimet, ſi non celebraverint, ad Altare, & ad locum in quo aſſervatur, induti cappa alba, & ſtola cum ſocio, remanentibus aliis ſuo ordine genuflexis, perſpiciant accurate ſi cum ea, qua decet reverentia cuſtodiatur, videlicet ſi in vaſe argenteo clauſo, intuſque deaurato, atque obducto in fundo, præſertim interioris partis mundiſſimo, candidoque Corporali. Poterit tamen vas, ſi bene intus deauratum ſit, ſine Corporali intus exiſtente permitti, quia ſic mundius conſervari SS. Sacramentum docet experientia, & Clem. VIII. viſitando Eccleſias Urbis ſic obſervari præcepit. Si idem vas ſuperpoſitum teneatur Lapidi Sacrato, cooperto etiam candido Corporali. Si armariolum Tabernaculi, in quo reſidet vas prædictum, undique cinctum, & velatum panno ſerico integro, & apte diſpoſito. Si Oſtiolum habeat recte munitum ſera, & clavis firmis, & decentibus. Si tabernaculum ligneum elegantioris artificii, quam fieri poterit, ſcatet vermibus: ſi perforatum ſit, ut animalibus etiam parvulis, & præſertim ſoricibus, & ſcorpionibus aditus pateat. Si humido parieti hæreat, unde Sacratiſſimi Corporis ſpecies, vel leviter brevi tempore alterentur, vel malum contrahant ſaporem. Diligentius vero, & oculatius inſpicient, etiam appoſito propinquius lumine, an hoſtiæ, ſive prædictæ ſpecies corruptæ ſint, vel corruptionis, aut vetuſtatis ſigna aliqua ferant. Si corroſæ, aut Miniſtrorum culpa maculatæ: ſi vermiculi in vaſe argenteo, tam ſuper Corporali, quam ſubter reperiantur. Si ibidem minutiſſimæ etiam hoſtiarum reliquiæ, & fragmenta, quæ Corpus Domini ſunt, ſegniter relinquantur, & non aſſumantur a Sacriſta, vel a renovante ſemel ſaltem in hebdomada SS. Corpus, ſive hoſtias aſſervatas. Si etiam è conſpectu pretioſiſs. Sacramenti convenienti loco, & diſtantia conſtituta ſit lampas perpetuo lumine accenſa. Hæc, & his ſimilia ad honorem tanti Sacramenti ſpectantia ſtudio ſe perpendant: & culpis Miniſtrorum, ac eorum omnium, quibus cura tantæ rei incumbit, memoria ſignatis, ſevere ſuo tempore puniendis, ea accomodent, & diſponant. Quæ tamen locus, & tempus conceſſerint, non prætermittant quamprimum ea omnia exequi facientes, quæ

quæ ſecundum præſcriptam cuſtodiæ formulam neceſſaria videbuntur: providentes etiam ſuo tempore, ut inviolabiliter illa omnia obſerventur. Dum vero iſta fiunt, cantetur a Conventu genuflexo Hymnus Pange lingua inchoatus a Prælato etiam genuflexo ante Sacramentum ſtatim, ut ipſum è Tabernaculo thurificatum eduxerit. Quo finito, ac poſt prædictam viſitationem cantato a duobus verſu, Panem de Cælo præſtitiſti eis, & ℟. Omne delectamentum in ſe habentem, alleluja: dicat Prælatus Orationem. Deus, qui nobis ſub Sacramento &c., & converſus ad Fratres, & populum cum Sacramento in vaſe, ipſos cum tribus Crucibus benedicat. Quibus expeditis, & repoſito Sacramento in Tabernaculo iterum thurificato finiatur Miſſa: atque ea completa viſitet Oleum Sanctum, quod in eodem Tabernaculo, ubi continetur SS. Corpus Chriſti, aſſervari nolumus, neque Sanctorum Reliquias; ſed ſeorſum in aliquo alio decenti, & honeſto loco. Viſitet inſuper Baptiſma, ubi in Eccleſiis noſtris reperiri contigerit: & caveat, ne quidpiam minus decens, & honorificum in eorum veneranda conſervatione patiantur. His peractis, omnes ſe recipiant in loco pro Capitulo habendo deputato, & ad ſignum Prælati genuflexi recitent alternatim Hymn. Veni Creator, inchoatum ab eodem Prælato ſubmiſſa voce, ut ſibi videbitur. In fine Kyrie eleiſon: Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. Domine Deus virtutum, converte nos. ℟. Et oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. ℣. Ora pro nobis. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus.

Oratio.

PRotege Domine famulos tuos ſubſidiis pacis, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentes, a cunctis hoſtibus redde ſecuros.

Oratio.

DEUS virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum: inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis Religionis augmentum; ut quæ ſunt bona, nutrias; ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita, cuſtodias. Per Chriſtum Dominum noſtrum, ℟. Amen.

Et tunc ſi bonum videatur Viſitatori, faciat eis aliquam collationem exhortativam ad obſervantiam ſuæ profeſſionis, ad ſcandala fugienda, ad reverentiam, & obedientiam reddendam Majoribus, ad charitatem veram habendam, & inter ſe ſervandam, & hujuſmodi ſecundum etiam, quod requiret materia occurrens. Demum dicat, quod auctoritate Dei, & qua in officio fungitur Prælatus, & Paſtor gregis Dei (ſi fuerit Prior Generalis, vel Provincialis:) vel auctoritate ei commiſſa (ſi fuerit alterius eorum Vicarius) ego præcipio vobis in meritum Sanctæ Obedientiæ, & ſub prævaricatione profeſſionis veſtræ, ut de Priore, Subpriore, Regen-

Regente, Clavariis, & ſingulis Fratribus Clericis, & Laicis, & de familiaribus, famulis domus, unuſquiſque cum fuerit interrogatus, quicquid ſit dignum accuſatione, & quod ei dictabit conſcientia eſſe corrigendum, & emendandum pro honeſtate, & utilitate domus, & animarum ſalute dicat pure, & veraciter, ſecluſo omni odio, favore, & amore, & quocumque ſimiliter ſecluſo pavore: ex ſolo timore Dei, & periculi magni damnationis animarum veſtrarum. Timeant autem, ne perjurii infamiam incurrant, & Ordinis gravibus correctionibus puniantur.

Caveat viſitator, ne ad unius vocem aliquem condemnet.

2. Caveant tamen ſinguli, ne publice aliquod crimen de altero dicant, quod nequirent probare, ſub pœna talionis. Et dicat eis, quod in viſitationibus, & inquiſitionibus Prælatorum præceptum eſt pro juramento ſuſcipiendum: ita quod ſi quis ſcienter veritatem celaret, incurret culpam perjurii, & pro tali poſtmodum puniretur. Etiam poterunt, ſub pœna excommunicationis præcipere (ſi voluerint) quod veritatem referant. Caveat tamen Viſitator, ut non leviter omni ſpiritui credat: nec aliquem condemnet ad unius vocem, aut per ſimplicem ſuſpicionem.

Modus viſitandi officinas Conventus.

3. Prædictis adhortationibus, & admonitionibus peractis proſequatur ſuam viſitationem, & exinde uſque ad Capitulum de culpis: nec Prior, nec Frater aliquis de Conventu ſine ſpeciali licentia Viſitatoris extra Monaſterium ire præſumat. Perluſtret autem diligenter loca, & bona Conventus; modo examinando Fratres omnes, prout opportunum judicaverit: & ſi ante prandium tempus ſupererit, viſitet infirmos, & hoſpitium diligenter perquirens, an aliquid deſit neceſſarium pro illorum cura, & itinerantium hoſpitalitate; ne inter Profeſſores perfectioris vitæ, & conſiliorum, pietatis opera omnibus communia, & imperata negligantur, & minus humane, ac religioſe præſtentur. Curabit deinde opportuno tempore redire in Eccleſiam, & viſitare ſingula Altaria, & ſingulas Reliquias, quæ in publicum proferuntur; & providere, quod omnia decenti, & ornata ſua diſpoſitione veram Religionem, ac verum Dei cultum præſeferant, & exhibeant: Altaria æqualibus, quantum fieri poteſt, altitudine, longitudine, & profunditate conſtituta, & juſtis ſpatiis diſtincta: conſumptas imagines per Patronos reparari; & ſi turpes, vel minus decentes eſſent cooperiri, vel tolli: & omnibus in Eccleſia circumſpectis, & ut exequantur (ſi fieri poteſt) dum in Conventu manet, ordinatis, viſitabit Sacriſtiam, omnia ſingulatim inviſendo cum inventario illius anni: & providendo, quod inaurationes Calicum, & præſertim ubi SS. Sanguis reſidet, & patenarum ex parte conſumptæ non ſint: & tam corporalia, quam purificatoria munda, & nihil lacerationis habentia; lacerando ipſemet, ſi quæ talia invenerit, & comburendo, ut decet, ne amplius indigne tanto inſerviant miniſterio: & præſertim videat quomodo obligationibus

Miſſa-

Miſſarum ſatisfactum ſit. Viſitabit præterea diligentiſſime Librarias, & reliquas officinas Fratrum, & demum cellas, ſive cameras ſingulorum inſpiciendo accurate, quibus libris, & utenſilibus utantur; & providendo, ne quidpiam teneant, quod ſecundum regularem profeſſionem non ſit, & quod ſæcularem præferat libertatem, quam voto abnegarunt.

4. Dum vero Fratres pro informatione totius regiminis ex officio examinaverit, ſcribat ea, quæ ſibi dicta, vel revelata fuerint in libello, in quo unuſquiſque Frater ſingula, quæ dixerit, manu propria ſuo nomine confirmabit (ſic tamen caute, quod aliorum teſtimonium legere non poſſit) ut ſi forte ſuper aliquo caſu contentio oriatur, habeat Viſitator, unde veritas innoteſcat. Et vocando unum poſt alterum inquirat primo, ſi in viſitatione præcedenti fuerit aliquis defectus: aut quia accuſanda non fuerint accuſata, ac corrigenda correcta: ſi promittentes emendationem, ſe emendaverint: ſi ſtatuta in dicta viſitatione facta, bene ſervaverint. Et ſi quis Præſidens, aut ſubditus neglexerit cuſtodire ea, acriter corrigatur tamquam inobediens.

*Modus examinandi Fratres.*

5. Inquirat, ſi Prior fuerit negligens corrigere defectuoſos, & Fratrum exceſſus in ſubverſionem Religionis. Si aliqui ſint ſuſpecti de familiaritate nimia perſonarum ſuſpectarum, & levium. Si lenonibus, & hominibus malæ vitæ ſint aliqui communiter familiares. Si intus, vel extra potatores ſcandaloſi. Si luſores taxillorum, & aliorum ludorum. Si luſerint cum ſæcularibus. Si habitum ludendo dimiſerunt. Si rixoſi, brigoſi, & an cum ſæcularibus, vel in eorum præſentia. Si aliqui ſint aſſueti jurare turpiter, aut turpiter loqui, & de verendis, modo joculatorio, unde male ædificentur cæteri. Si Prior dedit Fratribus bonum exemplum ſequendo Chorum, & Refectorium in obſervantia ſilentii, in locis, & in horis congruis, in abſtinentiis, & aliis cæremoniis Ordinis; ut faciendo inclinationes &c. Si fecit legi Regulam, & ſtatuta obſervare ea: & quia per Prælatorum diligentiam Ordo conſtruitur, qui deſtruitur per eorum negligentiam. Si ſine acceptione perſonarum frequenter redarguit deficientes. Si ſit bona pax, & concordia inter Priorem, & ſingulos Fratres. Si etiam inter ſe omnes Fratres amore, & pacifice conveniant. Similiter ſi famuli ſint pacifici, honeſti &c. Et ſi reperiat, quod non ſit bona pax in domo; inquirat diligenter cauſam radicitus, & aſpere corripiat diſcordiæ auctores. Et inquirat de vitio proprietatis. Si quis ſibi donata approprièt. Et ſi non veniant omnia Ordini data, ad manum Prioris, aut Procuratoris. Quomodo Fratres obſervent ſilentium, cum cæteris cæremoniis. Si bene obediant Priori. Si ſe mutuo revereantur in loquendo; aut quidam alios contemnant. Si diligenter veniunt ad Chorum. Si qui ſint ſuſpecti de horis non dicendis, de non confitendo frequenter, de immiſcendo

*Inquirat viſitator diligenter de introſcriptis omnibus.*

*Inquirat ſuper omnia ſi ſit pax inter Priorem, & Fratres.*

ſcendo ſe indevote Sacris Myſteriis, & de irreverentiis in Divinis Officiis. Si ſint aliqui, qui utantur ſuperfluitatibus in zonis, cultellis, & veſtibus. Si etiam utantur diploidibus, caligis conſutis more ſæcularium, camiſeis lineis. Si murmuratores. Si non recognoſcant defectus ſuos in Capitulo, & extra. Si quando accuſantur, aut redarguuntur, ſint benigni, patientes, & promittant emendationem. Si cantent cantilenas ſæculares, turpia, aut vitioſa ſonantes: & ſic de aliis ſimilibus.

Inquirat de diſpoſitione rerum temporalium.

6. Poſtquam vero inquiſierit de his, quæ ſunt circa curam animarum, quam habet; inquirat de diſpoſitione rerum temporalium. Et primo, ſi habeant aliquid in depoſitum: ſi domus gravetur debitis, & quantum, & quibus tenetur, & attendat diligenter, quæ ſunt cauſæ; & ſi reperiat, quod ſine cauſa, ſic defectus redundat in Rectorem: & tunc informet ſe tam per Fratres Clericos, Converſos, & Semifratres, quam per familiares domus, audiendo ſingulos ad partem, quomodo potuit domus ita indebitari. Et omnis Frater cujuſcunque ſtatus, etiam familiaris, ſi ſciat aliquod crimen in Priore, aut Procuratore, aut quocunque alio, quod debeat corrigi, tenentur revelare, etiam ſi non eſſet ſuper hoc interrogatus, & hoc ad partem; niſi vellet probare, quia tunc poſſet dicere manifeſte. Et de his, quæ ad partem dicuntur Viſitatoribus, debent ipſi facere diligentem inquiſitionem a longe, non nominando perſonam denunciantem, ſed neque denunciatam: ſed de vitio, & crimine inquirant, ſi ſciant aliquem involutum tali crimine, ut ſciant, ſi ſit ſecretum, aut pluribus notum, ſic quod poſſet probari. Et inquiſitione facta denunciatus vocetur ad partem, & interrogetur ſi res ita ſe habet; & ſi probetur contra eum, ipſo negante, acrius puniatur, ſecundum caſus exigentiam; ſive Prior fuerit, ſive alter. At Prior, niſi caſus eſſet omnibus manifeſtus, & non eſſet tunc propter caſum deponendus, in præſentia aliquorum de Diſcretioribus corrigatur. Si factum vero ſit notum omnibus, coram cunctis arguatur. Et quicunque interrogatus per Viſitatores veritatem celaverit, a nullo Fratre abſolvatur, niſi a Priore Generali, aut Provinciali, & niſi cum pœnitentia decem dierum in pane, & aqua, non obſtante quacumque gratia tali Fratri conceſſa, quod poſſit abſolvi ab omnibus caſibus, a quibus Prior Generalis, & Provincialis poſſunt abſolvere. Et bene caveant Viſitatores, & eorum ſocii, quod ſecreta audita extra Capitulum, nunquam publicent in ſcandalum cujuſcumque. Et etiam faciant tale præceptum omnibus, quod nihil, quod ſit magis tacendum, aut quod cedat in infamiam cujuſcunque, non præſumant manifeſtare: ſed ſolum in publico Capitulo, ut dictum eſt, revelent, quod mandat Viſitator, vel quod evidens ratio dictat, ſi ſint defectus, qui probari poſſint.

Quomodo Prior ſit corrigendus.

Frater interrogatus a Viſitatore ſi veritatem celaverit, a nullo abſolvatur, niſi, &c.

7. Et

7. Et ita debitis informationibus habitis, congregato Capitulo, ſecundum quod dicitur in capite de Capitulo Conventuali, moneat omnes, quod abſque contentione, cum omni manſuetudine unuſquiſque maneat in loco ſuo cum ſilentio, niſi ad præceptum Viſitatoris dicant culpas ſuas, aut accuſent alios Fratres, vel requiſiti perhibeant teſtimonium veritati pure, & ſinceriter. Et tunc Priori, & potioribus injungatur ſtrictiſſime, quod ſi contingat aliquem pro ſua conſcientia exoneranda eum de aliquo accuſare, quod propter hoc ſolitam humanitatem, & benignitatem, quam communiter ſolet habere erga Fratres in infirmitatibus, languoribus, licentiis &c. non ſubtrahat poſtmodum ab illo, qui eum accuſaverit, ex vindicta, nec ſignum vindictæ oſtendat. Et etiam omnibus Fratribus injungatur diſtricte, ne unquam proinde aliquam moleſtiam inferant iis, qui eos accuſabunt. Si autem aliqui parvi defectus venerint ad notitiam Viſitatoris, poterit illos per ſe proponere, & corrigere. Et primo, & ante omnia expediantur illi, qui non ſunt Capitulares, deinde vocetur Prior, in quo, ut dictum eſt, ſi ſit aliquis defectus non omnibus cognitus, vel majori parti, non publicetur faciliter; ſed ad partem in præſentia benevolorum ejus. Et Priore faciente culpam ſuam, quandiu erit proſtratus, totus Conventus pro ſui reverentia ſtet, donec ſurgat; & eo expedito, cæteri ſingulatim unus poſt alium procedant: & omnibus expeditis, conveniant omnes Fratres, & flexis genibus dicant: Confiteor Deo &c., & Viſitator det eis abſolutionem, qua non obſtante, nec etiam accuſationibus, & confeſſionibus factis, confiteantur ſinguli de publice in Capitulo confeſſis ſecrete in confeſſione Sacramentali. Poſtea ſi videatur expedire, faciat Viſitator conſulto prius tum Patre Priore, tum aliis PP. gravioribus, qui plene noverint ſtatum domus, aliqua ſtatuta rationabilia, quæ Fratres debeant ſervare, & dimittat ea in ſcripto, ſua manu ſignata, & ſigillata ſigillo &c., & copiam retineat, quam ſi fuerit Vicarius, mittat Prælato, cujus vices gerit. Et totum poſſe ſuum faciat Viſitator omnino, quod relinquat poſt ſe pacem in Conventibus viſitatis, eorum turbatores removendo, & ad alia loca tranſmittendo, aut alio modo convenienti

Viſitator admoneat Fratres, quod abſque contentione, &c.

Prior dum dicit culpam ſuam, totus Conventus pro ſui reverētia ſtet donec ſurgat.

Pro viribus agat Viſitator quod omnino poſt ſe pacem relinquat.

*Viſitatores de tribus examinabunt Sacerdotes. Vide par. 1. cap. x. n. 1.*

## CAPUT VII.

### *De ſolemni receptione Magiſtri Generalis Ordinis.*

1. FRatres omnes cum cappis albis (præcedente vexillo Crucis) bini, & bini incedentes proceſſionis more, exeant januam Eccleſiæ noſtræ. Sit cum eis Prior, vel alius Pater ætate gravis, Diaconus, & Subdiaconus induti ſericis: & Thuriferarius indutus alba, vel ſuperpelliceo cum Thuribulo. Pater vero, qui agit offi-

officium, manu ſua teneat Crucem, vel Pacem, vel Miſſale apertum in ea parte, quæ incipit: Te igitur clementiſſime Pater. Et porriget Crucem, vel Imaginem Crucifixi oſculandam Generaliſſimo Patri Ordinis. Qui flexis genibus adorabit Crucem dicens: Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemiſti mundum. Poſtea ſubjunget junctis manibus.

Adeſto nobis Domine Deus noſter: & quos Sanctæ Crucis lætari facis honore, ejus quoque perpetuis defende ſubſidiis. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Qua expleta, incipiet, qui agit officium, canere: Te Deum laudamus. Thuriferarius tunc Thure ſuffumigabit Rm̃um Generalem. Cum Pater Ordinis erit ad januam Eccleſiæ, in ejus manibus ponent aſperſorium: qui ſtatim aſperget, & diffundet aquam ſuper omnes, qui erunt in illius comitatu. Cum ipſe Pater Rm̃us pervenerit ad locum præparatum, flectet genua: tunc (Organo ceſſante) Fratres inchoent canere ℟. Cives Apoſtolorum. Quo finito, dicet Miniſter: Salvum fac ſervum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Pro Priore noſtro Generali. ℟. Dominus conſervet, & vivificet eum in pace. ℣. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum Priorem Generalem, & ſuper cunctas Congregationes tam virorum, quam mulierum illi commiſſas, Spiritum gratiæ ſalutaris; & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Chriſtum Dominum.

Tunc ponent Stolam ad collum R. Prioris Generalis, qui adibit Altare, flectendo genua ad deoſculandum; & accepto Thuribulo, more ſolito diriget incenſum in conſpectum Altaris. Poſtea cantando dicet. ℣. Oſtende nobis Domine &c. ℟. Et ſalutare &c. ℣. Salvos fac ſervos tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. ℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor meus &c. ℣. Dñus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Protege Dñe.

Oratio.

Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cæleſtis auxilii; ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, aſſequantur. Deus, qui corda fidelium &c. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

His dictis, ſtatim ſubjiciat, ℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum. ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum, & terram. Poſtea dicat: Oremus. Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. ℟. Amen. Hæc dicens Pater Ordinis tres Cruces faciat ſuper populum, illi benedicendo. Qua Oratione expleta, preſſa, & firma voce dicet pro defunctis Fratribus, Sanctimonialibus, & Benefactoribus Ordinis noſtri, Pſal. De profundis, cum Fratribus, in fine: Requiem æternam; & ſine Kyrie eleiſon, dicitur Pater noſter. ℣. A porta Inferi. ℣. Credo videre bona Domini. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Inclina Domine &c. Deus veniæ largitor &c. Fidelium &c. Requieſcant in pace. Amen.

Si libuerit ei, gratias aget illis, qui eum comitati fuerunt. Poſtremo ſedenti, omnes Religioſi Conventus (incipiendo a Priore) ſignum exhibebunt obedientiæ Priori G. illius manus reverenter exoſculantes.

Iſte modus recipiendi Rmum Gen. Ordinis antiquus eſt in Religione: quia tamen ille, qui habetur in Cæremoniali noſtro lib. 2. rubr. 52. gravior eſt, & conformior authoritati Rmi Patris; ideo ille, qui habetur in Cæremoniali, & non iſte debet obſervari.

## CAPUT VIII.

### *De officio Subprioris.*

1. STatuimus, quod in quolibet Conventu, ubi duodecim Fratres fuerint profeſſi, aut plures, Subprior per electionem habeatur: & ſi Conventus tertia vice concordare nequiverit, de Subpriore Prælatus præſens, prout ſibi placuerit, poterit providere. In Conventibus tamen majoribus, & ſtudiis generalibus per Capitulum Provinciale Subprior ordinetur, demptis reſervatis Priori Gen.: habeatur autem ratio, ut in Conventibus inſignioribus, & præſertim ubi ſunt ſtudia generalia, Subprior inſtituatur ætate, & moribus gravis. Et ejus locus ſit ſuper omnes Sacerdotes ſimplices cujuſcumque ætatis illi fuerint. Ubi & quomodo inſtituendi Subpriores. *V. App. n. 46.*

2. Omnis autem Subprior regat in Prioris abſentia, & corrigat, & alia exequatur, quæ ad regimen Conventus pertinere dignoſcuntur: & defectus quoſcumque infra Conventum in Prioris abſentia commiſſos corrigat in Conventu. Poterit in Capitulo, Refectorio, Choro, & Conventu Juvenes nondum ad Sacerdotium provectos corrigere, etiam præſente Priore, & vidente, exceptis Novitiis, qui a ſuo Magiſtro ſunt corrigendi. Si autem contingat Priorem, & Vicarium abſentari, & non conſtituerint aliquem ad licentiandum Fratres pro exeundo extra Conventum, nullus Subprior in abſentia Prioris regat, & corrigat.

Vica-

Vicarius a Conventu inſtituatur; ſed Subprior ſit Vicarius, habeatque facultatem licentiandi Fratres pro exeundo extra Conventum; quod ſi contigerit etiam Subpriorem abeſſe, volumus, quod habens primam vocem in domo habeat hujuſmodi auctoritatem concedendi licentiam; dum tamen neceſſitas hoc requirat: ſed quando eundum eſt ad Capitulum Provinciale, non poterit Prior conſtituere Vicarium, ſed Subprior præſidebit: & ſi eligeretur in ſocium Prioris, tunc Conventus habebit Vicarium eligere ad cuſtodiam Conventus: ſed tamen ſi Prior, aut Vicarius vadat ad Capitulum, ſive aliò, omnia faciat Subprior ſecundum Prioris diſpoſitionem, nec in aliquo uſque ad ſuum reditum poterit aliter ordinare. Subpriores debent frequenter, ſicut & Priores, Fratres admonere, quod ordinate ſe habeant in Choro, & extra, & inclinationes faciant reverenter, & quod Divinum Officium tractim, devote, & ſpatioſe faciant celebrari, & omnia ſecundum inſtitutum noſtrum diligenter obſervari.

Subprior debet callere novum Cæremoniale, Rub. &c.

3. Item opus eſt, ut Subprior Cæremoniale novum perfecte calleat, ſemperque invigilet in ejus obſervatione, quo alios ſuo exemplo reddat obſervatiores. Debet inſuper in Rubricis tum Breviarii, tum Miſſalis noſtri, maximopere verſatus eſſe, necnon muſicæ Gregorianæ perfectam cognitionem habere, ut canturiam ſuſtentare, moderari, regere, & ordinare valeat in Choro, juveneſque in eodem cantu inſtruere.

Subprior debet adnotare non intereſſentes Officio, &c.

4. Item debet omnes, qui non interfuerint horis canonicis, & Miſſæ majori ſingulis diebus adnotare, & ſi qui abſque legitima cauſa præſentes non extiterint, Priori, vel Præſidenti in publico Refectorio corrigendos denunciare, in quo ſi negligens fuerit, & minus fidelis, ab officio abſolvendus eſt.

Tabulam Officiorum ſingulis Sabbat. faciat Subprior.

5. Item ordinamus, quod de aſſenſu Prioris, Subprior ſingulis Sabbatis diſponat officia Conventus, ſecundum ordinem profeſſionum, & perſonarum qualitatem, & tabulam conficiat Miniſtrorum pro obſequiis Eccleſiæ; & eam publice legere faciat in communi Refectorio.

# CAPUT IX.

## *De Officio Sacriſtæ.*

Sacriſta de conſilio Prioris ordinet de rebus Eccleſiæ parandis, &c. *Alia vide in cap. 3. par. 1. n. 30. 31. & 32.*

1. IN quolibet Conventu, demptis Conventibus Curiæ Romanæ, Sacriſta per electionem Prioris, & Conventus habeatur: niſi per Capitulum Provinciale, aut Priorem Generalem proviſum fuerit de eodem. Sacriſta res Eccleſiaſticas munde, & honeſte cuſtodiat; & de conſilio Prioris ordinet, & diſponat de rebus Eccleſiæ parandis, & reparandis libris, veſtibus, Calicibus, & aliis

aliis rebus neceſſariis pro Sacriſtia. Videat diligenter, ne intra Eccleſiam aliqua inconvenientia, & indecentia inveniantur; & quod bona hora, & debita portæ Eccleſiæ mane, & veſpere, & de die, ſi ſit honeſtum, ſecundum diverſa loca, claudantur, & omnia faciat diligenter, quæ ad officium Sacriſtæ ſpectant.

2. Item ordinamus, quod non accommodentur apparamenta aurea, aut ſerica. Et inſuper nec Calices, nec Reliquiæ, nec Cruces, nec candelabra, nec vaſcula ulla argentea, ſeu aurea perſonis quibuſcunque, quæ noſtræ profeſſionis non fuerint, ſub pœna depoſitionis ab officio: & rebellionis tam Priori, quam Sacriſtæ, ipſo facto incurrenda: exceptis his, qui ſoliti eſſent accommodare & ſua Fratribus noſtris: & exceptis Ordinis noſtri benefactoribus: quibus etiam concedi nequeant ſine licentia totius Monaſterii. Non accommodentur paramenta.

3. Item Reliquias curet Sacriſta, quantum in ſe fuerit, decoris, & honeſtis vaſculis ſervari, quæ inſcriptæ debent eſſe, & in tabellam relatæ, cavereque debet, ne a Laicis contractentur, nec temere, vel ad quæſtum exponantur: ubi autem exponuntur, lumina accendantur, & thurificentur; non tamen e ſuis extrahantur loculis: fiat autem earum expoſitio ſolemnioribus tantum diebus, & expoſitis candelæ, & lampades præluceant. Quomodo Reliquiæ ſint cuſtodiendæ.

4. Item Sacriſta qualibet die omnes Sacerdotes celebrantes, ſub pœna depoſitionis ab officio fideliter deſcribat in ſchedula, quam Priori, vel Præſidenti in Refectorio legendam tradat, ut qui ceſſante impedimento non celebraverit, corrigatur, & puniatur. Sacriſta quotidie notet in ſchedula celebrantes. *V. App. n. 15.*

5. Si contingat Priorem, vel Provincialem, aut Clavarios cum illis velle res divinis obſequiis dicatas vendere, aut oppignerare, nullo modo obediat Sacriſta; quod ſi hac de cauſa voluerint eum removere, & (quod abſit) amoverint, vel punire tentaverint; tunc illos ſtatim eſſe privatos officiis ſuis definimus, & firmiter decernimus: ſi autem realiter deventum fuerit ad talium rerum alienationem extra caſum ſummæ neceſſitatis, præter excommunicationis latæ ſententiæ pœnam, per decem annos inhabiles declaramus ad omnia officia Ordinis, & quibuſcunque gradibus, necnon voce, & loco privatos, per ſolum Capitulum Generale reſtituendos. Res divinis obſequiis dicatæ nec vendendæ, nec oppignerãdæ.

6. Demum Sacriſta nullas ex ſuo capite, & cerebro faciat expenſas, ſed de eo, quod opus eſſe cognoverit, Priorem, & Clavarios admoneat, qui pro expenſis, quas in dies fieri contigerit pro Eccleſia, & Sacriſtia, pecunias ſubminiſtrabunt juxta Conventuum facultatem; videant tamen, ne in neceſſariis deficiant, nullam Conventus paupertatem allegantes. Quomodo ſint faciendæ expenſæ pro Eccleſia, & Sacriſtia.

# CAPUT X.

## *De Officio trium Clavariorum.*

In quolibet Conventu eligantur Clavarii.

1. IN omni Conventu eligantur tres, vel quatuor Fratres providi, & diſcreti, Conſiliarii, Cuſtodes, & Clavarii, qui cum Priore, aut Præſidente in Conventu bona Communitatis pariter cuſtodiant, recipienda recipiant, exponenda exponant, mutuanda mutuent, & ſolvenda ſolvant, & alia faciant, quæ ad regimen Conventus, & cuſtodiam bonorum communium dignoſcuntur pertinere.

Nullus poteſt eligi in Clavariũ, niſi, &c.

Prior nec aliquis alius aliquid communitatis recipiat, niſi, &c.

2. Nullus autem Frater poſſit eligi in Clavarium, ſeu Cuſtodem, niſi ſciat computare, vel computa intelligere, & niſi velit, & poſſit computis intereſſe: & ſi aliter factum fuerit, mandamus Prioribus, quatenus tales deponant; & ad electionem aliorum procedant. Inhibentes, ſub pœna proprietariorum infligenda, ne Prior, aut alius quicumque aliquid Communitatis recipiat infra ſepta Loci, niſi duo Cuſtodes conjungantur cum eo, vel Prior, aut Subprior aſſociato ſibi altero eorumdem. Et ſi nullus Cuſtodum tunc haberi poterit, accipiat alterum Fratrem de Conventu fide dignum. Quod ſi oppoſitum fecerit, niſi hoc infra biduum Cuſtodibus, vel Conventui manifeſtaverit; vel niſi aliquibus Fratribus fide dignis de Conventu id, quod receptum eſt, notum fecerit, ſubjacebit pœnæ ſupradictæ. Nec aliquid notabile ordinet Prior per ſe, vel expendat, aut alienet de ſupradictis, ſub pœna præfata.

Prior non poteſt eſſe Procurator, neque expenditor.

3. Item ordinamus, quod in nullo conventu excedente quinque voces, Prior Localis poſſit, aut valeat facere officium Procuratoris, ſeu expenditoris, ſub pœnis ſuperius expreſſis, niſi interveniret expreſſa neceſſitas. Eligatur autem, & deputetur in conventu quolibet per conventum ipſum Procurator, & expenditor qui ſit inſtructus, & ſufficiens ad procurandum: & in primis non ſit diſcolus, ſeu ſcandaloſus, ſed vir maturus, & bonæ famæ: ne, dum bonis temporalibus providetur, quicquam depereat de bono nomine, & honore Monaſterii, qui longe eſt pretioſior, & incomparabiliter quibuſcumque commodis, & temporalibus bonis. Poterit autem Prior in arduis, imo & debebit, coadjutorem ſe præſtare deputato Procuratori, prout ei videbitur expedire.

Habeatur liber, in quo ſcribantur decreta Patrum Monaſterii.

4. In quolibet conventu ſint libri, vel liber in quo ſcribantur Deciſiones, & Decreta Patrum Monaſterii: & poſtquam aliquid faciendum decreverint, in præordinato libro ſcribantur: quæ omnia, niſi ſcripta apparebunt, nullius erunt roboris: ſint etiam manibus Patrum munita.

5. Pro

5. Pro hujuſmodi deciſionibus faciendis utantur calculis reponendis in pyxide, ſeu vaſculo ſecrete: & majoris partis, ac ſanioris ſententia ſcribatur: & vim ſuam habeat; niſi caſus eſſet, quo conſulere oporteret Magiſtrum Generalem Ordinis.

*Deciſiones fiant per vota ſecreta.*

6. Cum aliqua erunt ſtatuenda, una die proponantur, & altera tractentur, & excutiantur; ne res Monaſterii (omiſſa conſideratione) demoliantur: neque volumus Religioſos noſtros rebus propoſitis improviſe reſpondere; at magis tempus habeant, quo ſatisfacere poſſint eorum conſcientiæ.

*Statuenda una die proponantur, & altera tractētur.*

7. Non tractetur, neque fiat aliquid pertinens ad communitatem conventus, niſi antea habeatur conſenſus gremii Capitularis. Et ſi aliquid factum fuerit, vel decretum, non recipiatur, neque probetur: quoniam illud nullius eſſe momenti decernimus.

*Nihil tractetur niſi habito primo conſenſu gremialiū.*

8. Si ſuboriantur controverſiæ, & diſcordiæ, vota explicabuntur in vaſe cooperto cum granis, ſeu calculis, vel diverſi coloris, vel diverſi generis, quorum unum aſſignabit affirmationem, aliud negationem.

*Modus accipiendi conſenſus gremialiū.*

9. Iſte modus ſervabitur in recipiendis Novitiis, in admittendis illis ad profeſſionem, in contractibus, in pertinentibus ad negotia Communitatis, & in electionibus, quæ faciendæ occurrunt in Monaſteriis. Si vero iſta videntur eis fieri chirographis, id permittitur, modo ſcriptiones ſint confictæ, ut ſemper nomina eligentium, vel ſuam conſcientiam explicantium ſint ſecreta: ut ſacrum Concilium in electionibus faciendis, inviolabiliter obſervari præcipit.

*Seſſ. 25. cap. 6. De Regularibus, & Monialibus.*

10. Item prohibemus, ſub pœna proprietariorum, ne Prior ponat bona Conventus in loco abſcondito in Conventu, vel extra ſine ſcitu ſaltem duorum Cuſtodum, vel aliorum duorum bonorum Fratrum Conventus, ſi periculum immineat.

11. Item prohibemus ſub eadem pœna proprietariorum Priori facere quietantias ſub ſigillo officii ſui, niſi in præſentia ad minus unius Cuſtodis, & alicujus alterius Fratris.

## CAPUT XI.

### *De communi cuſtodia bonorum.*

1. IN quolibet Conventu ſit arca, ſive theca trium clavium, quarum unam teneat Prior, reliquas duas duo Cuſtodes ſeniores, ſeu Conſiliarii de electis per Conventum. Item in arca ſit liber, vel papyrus, in quo in præſentia Prioris, & dictorum Fratrum ſcribantur ſummæ receptorum, & expenſarum Conventus ſeptimanatim, ad memoriam receptorum, & illorum, qui nobis contulerunt. Et in eodem libro ſeorſum ſcribantur nomina librorum ad Librariam pertinentium ſub certis deſignationibus eo-

*In quolibet Conventu ſit arca triū clavium, in qua ponatur liber. & in qualibet Prov. habeatur Archiviū commune, ut par. 2. cap. 3. n. 5.*

eorum, & omnia ad Sacriſtiam pertinentia: ſimiliter ad diſpenſam, & ad alios uſus communes notabilia. Et ſi hujuſmodi bona ſunt augmentata, vel diminuta, ſcribantur ſub quo Priore, vel diſpenſatore, aut Sacriſta tales augmentationes, vel diminutiones acciderunt, ſub pœna inobedientium.

Prior qualibet hebdomada computet de receptis in loco communi, &c.

2. Item mandamus omnibus Prioribus Localibus, & Cuſtodibus, ſub pœna depoſitionis ab officiis eorum, quod qualibet hebdomada computent de receptis, & expenſis Conventus, pulſato uno ictu campanellæ Capituli, & in loco communi, in quo omnes Fratres Conventus, qui voluerint intereſſe, poſſint præſentialiter adire. Et breviter Priores Locales, aut Cuſtodes Conventuum reddant rationem Priori Gen., ac Provincialibus, & eorum Vicariis de omnibus receptis, & expenſis: & etiam Procuratores, atque terminarii, & quæſtores Prioribus ſuis, & Cuſtodibus rationem reddant, cum fuerint requiſiti.

Prior Generalis in Capitulo Generali, & Provincialis in Capitulo Provinciali reddant rationem.

3. Similiter, & Prior G., aut ejus Vicarius, & Procurator G. in præſentia Capituli G. de receptis, & expenſis pro negotiis Ordinis exequendis, reddant rationem: quod & faciant Priores Provinciales in Capitulis Provincialibus. Similiter, & Procuratores Capituli G., & Fratres deputati ad recipiendum pro eodem Capitulo rationem reddant in præſentia Prioris Gen., & ſuorum Diffinitorum, ac aliquorum, quos ad hoc vocare voluerit. Ita etiam fieri in Capitulo Provinciali ordinamus.

Rationes redduntur non ſolum ſingulis hebdomadis, ſed etiã quater in anno.

*Cætera vid. §. xii. n. 74. & ſeq.*

4. Item ordinamus, quod non ſolum ſingulis hebdomadis fiant rationes, ſeu computationes per Clavarios, & Priorem, ac Patres Conventuum intereſſe volentes (ut moris eſt); ſed etiam quater in anno, ideſt ſingulis tribus menſibus ultima die Sabbati poſtremi menſis fiant rationes introituum, & expenſarum, ad quas audiendas vocentur omnes locum, & vocem habentes in Conventu, & venire cogantur. Et antequam calculationes approbentur a Præſidente, interrogentur omnes, & ſinguli, an velint aliquid dicere, ſeu in aliquo contradicere pro bono communi Conventus: quibus auditis, ſi quid dubii remanſerit, quod non potuerit decidi, & terminari a majore, & ſaniore parte cum Clavariis, & Præſidente, reſervetur cum debita nota, donec Superior judicium proferat.

## CAPUT XII.

### *De Libraria, & Cuſtodia Librorum.*

Pœna contra extrahentes libros, vel ſcripta e librariis Ordinis.

1. STatuimus, ne aliquis Frater cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtat ex noſtris Bibliothecis pro communi uſu Religioſorum inſtitutis, & inſtituendis, amovere, vel ſubtrahere præſumat libros, & monumenta, ſive impreſſa, ſive manu ſcripta ibi

ibi exiſtentia, ſub pœna privationis officii, gradus, & honoris, ultra excommunicationem majorem Pontifici reſervatam, impoſitam etiam contra ſæculares a Clem. VIII. in motu proprio pro conſervatione Bibliothecarum noſtri Ordinis (a), ipſo facto incurrendam. Volumus tamen, quod libri Conventus poſſint accommodari Religioſis, & perſonis honeſtis, ac viris magnis, & Fratribus in caſu neceſſitatis: habita tamen firma cautione, quod non poſſint amitti. Si tamen aliqui ſint libri, qui Fratrum uſui forent inutiles, aut quidam ex his eſſent duplicati; tales de expreſſa licentia Prioris G., vel Capituli Provincialis vendi poterunt: ita tamen, quod pretium venditorum plene, & abſque diminutione in alios libros convertatur; vel in aliis libris magis utilibus, aut neceſſariis debeat commutari, ſub pœna prædicta, ſcilicet privationis officii, gradus, honoris, ac vocis, & loci. Nullus etiam Frater vendat librum ſibi datum a quocumque, vel ab eo ſcriptum, aut qualitercumque aquiſitum extra Ordinem, vel aliquo modo alienet ſine ſui Superioris licentia; qui non concedat licentiam abſque cauſa neceſſaria, & rationabili, ſub pœna gravioris culpæ infligenda tam alienanti, quam incaute talem licentiam concedenti.

Libri inutiles, ſeu duplicati vendi poſſunt de licentia, &c.

2. Item in magnis Conventibus poterit ordinari Librarius, ſive Cuſtos Librariæ, qui ſolicitus ſit de clauſura Librariæ, & librorum: & frequenter videat, ne aliqui deperdantur. Nullus aliquam perſonam extraneam introducat in Librariam, ſine Prioris, aut Regentis, ſeu Cuſtodis Librariæ aſſenſu, ſub pœna gravioris culpæ per duos dies infligenda pro qualibet vice: & ipſi nullum extraneum introductum, ibi ſolum manere permittant, ſub eadem pœna. Habeat Cuſtos copiam Inventarii Librariæ, & procuret, quod libri ſint catenati ordinate, ſecundum varietatem facultatum; & quod ſint tabulæ, una generalis totius Librariæ, & aliæ particulares bancarum. Et etiam ſciat, quibus libri ſunt conceſſi, nec ſine ejus ſcitu concedantur. Et poterit de Prioris, & Cuſtodum aſſenſu habere penes ſe libros aliquos, antequam in Libraria reponantur, per Inventarium ſibi traditos, interdum communicandos Fratribus, a quibus cedulas recipiat. Et etiam ſecundum varietatem temporum aptos ad legendum in Refectorio; de quibus bis in anno, ſcilicet poſt octavas Paſchæ, & immediate poſt Natalia Feſta reddat Priori, & Cuſtodibus rationem.

In magnis Conventibus ordinetur cuſtos librariæ, qui &c.

(a) *Conſt.* Quæ ad tuenda. *Bull. Carm. tom.2. pag.267.*

# PARS TERTIA CONSTITUTIONUM.

## CAPUT I.

### *De apoſtatis, & vage diſcurrentibus.*

Frater exiens Monaſterium contra præceptum ſui Superioris pro apoſtata habeatur.

1. QUICUMQUE contra præceptum ſpecialiter directum ſui Superioris, contumaciter, etiam cum habitu, & ſocio, & ſine ſcandalo die, vel nocte extra Conventum, aut ſepta loci exiverit, licet redierit eadem die, vel nocte, apoſtata cenſeatur; niſi ex cauſa rationabili vadat ad Majorem ſuum directe; & quod a Majore, ſcilicet ab illo, qui fecit præceptum prædictum, in præſentia aliquorum petierit prius licentiam, licet non obtinuerit: quam cauſam fore rationabilem, aut minus ſufficientem, Prior G., aut Diffinitores Capituli Provincialis habeant declarare, antequam talis ad actus legitimos, ut puta ad electionem aliquam active, vel paſſive, ſeu ad curam animarum aliquo modo admittatur.

Subterfugientes ſuorũ Superiorum correctionẽ quomodo ſint puniendi.

2. Item, cum multi ſuorum Superiorum correctionem ſubterfugere volentes, licentia non petita, vel ſi petita non obtenta ad Priorem G., vel Provincialem accedant, aut ad eorum Vicarios, malitioſe ſuos palliantes defectus, ut minime corrigantur: ſtatuimus, & ordinamus inviolabiliter obſervandum, ut in caſu, quo eorum Superiores juſte contra eos, & debite proceſſiſſent, aut procedere voluiſſent ſecundum Ordinis inſtituta, aut forte nondum incœpiſſent procedere, aut punitionem dare; pœna quæcumque debita tali culpæ, juxta Ordinis ſtatuta, penſatis qualitate & quantitate querelæ, & querelantis, & correctionem fugientis multiplicetur, & aggravetur, vel ſaltem ad minus duplicetur: ſuper qua aggravatione, multiplicatione, aut ſaltem duplicatione, non poſſit diſpenſari ſine licentia Prioris G.

Quicunque exiverit ſepta loci, ut Apoſtata puniatur

3. Item quicumque de die, aut de nocte exiverit ſepta Monaſterii ſine ſui Superioris licentia, etiam ſi eodem die, vel eadem nocte reverſus fuerit; ſimiliterque de loco, & tempore aſſignatis extra Conventum ſuum vagatus fuerit ſolus, vel cum ſocio, cenſeatur tamquam apoſtata, & ut talis puniatur.

Nullus exeat ſolus Conventum niſi, &c.

4. Nec ſolus quocumque caſu quiſquam exire audebit ſub eadem pœna, niſi cum ſpeciali Superioris licentia. Clericus nullo modo

modo exeat ſolus, niſi ob urgentiſſimam neceſſitatem: quod quidem caſu rariſſimo fieri permittatur. Laicus vero exeat ex neceſſitate Conventus. Semifratres autem poterunt ſoli mitti, & exire: inſtructi tamen, ut ita ſoli Religionis honeſtatem præſeferant ubique.

5. Item declaramus, quod qui ſine licentia receſſerunt a Conventibus, vel Provincia, non ſunt proprie apoſtatæ; ſed profugi, diſcoli, errantes, & vagi: tamen eiſdem pœnis, ſicut veri apoſtatæ ſunt puniendi. Apoſtatas autem proprie intelligimus illos, qui temere dimiſſo, vel etiam retento habitu exeunt è Conventu cum animo recedendi a Religione, & ad illam non amplius redeundi, & hujuſmodi apoſtatæ ſunt ipſo facto, loco, & voce privati, & omnibus bonis, quorum uſum incertum videbantur habere: & ſi habitum dimiſerint, a jure ſunt ipſo facto excommunicati. Et per quemcumque Prælatum, aut Superiorem Ordinis, ſuæ vel alterius Provinciæ, ubi reperti fuerint, carceri mancipentur, ubi affligantur ſecundum ſua demerita, tam ratione apoſtaſiæ, quam ratione aliorum defectuum. Et caſus illorum cum debita informatione per talem Superiorem Priori Gen. intimetur citius, quam fieri poterit; qui de loco, & pœnitentia, vel expeditione ipſorum, juxta talium apoſtatarum demerita, abſque dilatione habeat ordinare. Nec Priores Provinciales, aut quicumque alii Præſidentes, apoſtatas Ordinis capientes, a dicto carcere valeant liberare ſine licentia Prioris G., ſub pœna uſurpantium officium ipſius. Si vero in captione talium negligentes fuerint, vel in expeditione ipſorum, officium Superiorum uſurpaverint, pœna gravioris culpæ per viginti dies volumus ſubjacere; & liberatum per eoſdem in carceres iterum recludi, ut modo debito puniendus liberetur.

Quinam ſint veri Apoſtatæ.

*V. App. n. 8.*

6. Item nullus Prior Provincialis poſſit ad miſericordiam Ordinis recipere verum apoſtatam, ſed ſolus Prior Generalis. Poterit tamen Provincialis, imo tenetur apoſtatam ipſum capere, vel capi facere, & carceri Ordinis mancipare; ac ejus captionem, & caſum P. G. ſignificare. Idem ſtatuimus de profugis, & vage diſcurrentibus alienæ Provinciæ: quos tamen volumus ab eorum Provincialibus, vel Capitulo Provinciali ad miſericordiam Ordinis recipi poſſe, injuncta eis pœnitentia, ut ſupradictum eſt de apoſtatis.

7. Et quia interdum Prælati quidam vagis Fratribus, vagas, & indeterminatas concedunt licentias, ſub quarum umbra ſe jungunt quæſtoribus; & verbum Dei adulterantes, non animarum ſalutem quærunt, ſed quæſtum: Ordinamus, quod ſi quis talium alicujus Prioris Localis licentia terminos ſui Conventus exiverit, vel cum licentia Provincialis metas alterius Provinciæ intraverit, ut apoſtata reputetur, & eo modo, voce, & loco careat; capiaturque,

Quæſtor metas alterius Provinciæ ingrediens apoſtata cenſetur

turque, ut præmiſſum eſt, & carceri mancipetur, ac omnia bona cum eo reperta Communitati Conventus, aut Provinciæ, in qua capietur, applicentur, etiam cujuſcumque gradus exiſtat. Nolentes, quod Fratres noſtri pro hujuſmodi cauſa diſcurrant, niſi eſſet pro Cruciata, & ex mandato Papæ

Apoſtata, qua pœna ſit plectendus.

8. Qui ab Ordine noſtro apoſtataverit, licet ſcandalum non commiſerit, etiam ſi eadem nocte, vel die, vel infra redierit, pœnam carceris per viginti dies ſuſtinebit. Si autem ultra tres dies moram fecerit, non poterit per alium, quam per Priorem Generalem a carcere liberari, donec ultra viginti dies, tantum ſteterit in carcere, quantum conſtiterit ipſum extra Ordinem ſtetiſſe: & ſi cum ſcandalo apoſtataverit, vel exiſtens in apoſtaſia Ordinem ſcandalizaverit, poſtquam etiam per ſe ad Ordinem redierit, aut per alios captus fuerit, non valeat per alium, quam per Priorem Generalem, aut Capitulum Generale liberari. Iiſdem pœnis ſubjacebunt profugi, præſertim ſi propter enorme crimen, aut fracto carcere ſepta Monaſterii exiverint, & fugerint: poterunt tamen a Capitulo Provinciali, vel a ſuis Provincialibus peracta ſupradicta pœnitentia liberari: dempta colligatione, rebellione, vel conſpiratione adverſus Magiſtratum Ordinis, vel Priorem Generalem: quorum abſolutio Capitulo Generali dumtaxat reſervatur.

9. Item ordinamus, quod quicumque a noſtro Ordine vere apoſtataverit, vel apoſtatavit ad Prioratus officium, vel Diffinitorem Capituli Generalis, vel Provincialis eligi non valeat, vel aſſumi; niſi cum ipſo per Generale Capitulum, vel per Priorem Generalem, aut per eum, cui vices ſuas in hoc caſu commiſerit, fuerit cum teſtimonio laudabilis converſationis ſuæ miſericorditer diſpenſatum. Declarantes, quod ſi talibus ſit locus, & vox reſtituta, indigent tamen diſpenſatione etiam in ſcriptis ad prædicta omnia, & ad promotionem alicujus ſtudii, & gradus ſcientiæ, & ad omnia officia per electionem inſtituenda. Et quicumque in apoſtaſia per annum fuerit, vel etiam qui non fuerit niſi per tres dies, ſi bis apoſtataverit, aut cum perpetratione criminis enormis, vel ſcandali manifeſti, ad ſtudium aliquod nullo modo admittatur, nec ad Lectoratum promoveatur; nec poterit ei vox, & locus reſtitui, niſi per Capitulum Generale, aut Priorem Generalem. Et licet reſtituatur locus ei, qui in apoſtaſia fuerit; tempus tamen, quo in ipſa apoſtaſia ſtetit, quo ad locum, & gradum inter Fratres habendum, nullatenus computetur, prout juſtum eſt, & rationabile.

Apoſtata ad Ordinem rediens, loco ſuo privatur.

10. Item ſtatuimus, & mandamus omnibus Prioribus Provincialibus, Localibus, & Vicariis Conventuum, ut omnes apoſtatas noſtri Ordinis vagantes cum Monachali habitu, non potentes legitime monſtrare ſui ſtatus translationem, capiant, & eos capi

procu-

procurent per juſtitiam Eccleſiaſticam, vel temporalem, & in carcere eos includant, a quo liberari non valeant, niſi a Priore Generali.

11 Statuimus, quod nullus profeſſus pro quocunque vitio ab Ordine noſtro expellatur, niſi literas dimiſſorias a Priore Generali obtinuerit. Et ſi quis acceptis literis dimiſſoriis Ordinem exiverit, & infra terminum ei datum redire voluerit, a nullo recipiatur, niſi ut Novitius, præterquam a Priore Generali: ita videlicet, ut vocem, & locum inter profeſſos non habeat, ſed cum Novitiis in Proceſſionibus, Choro, Capitulo, & Refectorio locum teneat: & per omnes ſextas ferias per annum integrum pœnam gravioris culpæ ſuſtineat: niſi forte Prior Generalis partem dictæ pœnæ miſericorditer voluerit relaxare. Si autem infra terminum ſibi conceſſum alium Ordinem non intraverit, nec ad noſtrum redierit: volumus, ut lapſo termino per quemcumque Superiorem capiatur celeriter, & carceri mancipetur, in eodem permanſurus, quouſque per Priorem G. miſericorditer liberetur. Qui autem extra Ordinem apoſtata exiſtens, literas dimiſſorias a Priore G. petierit, & obtinuerit, per nullum alium recipiatur, niſi ad carceres: qui peracta pœnitentia, locum teneat cum Novitiis in proceſſionibus, & in cæteris, quemadmodum jam dictum eſt, donec cum eo fuerit diſpenſatum.

Nullus profeſſus pro quocunque vitio a noſtro Ordine expellatur, niſi, &c.

*Quando, & quomodo ſit expellendus, vide par. 4. cap. 21. n. 13.*

# CAPUT II.

## *De inobedientibus, contumacibus, ſeu rebellibus, & uſurpantibus officia Majorum, & Prælatos, vel Principes contra Superiores excitantibus.*

1. Statuimus, & præcipimus, ut omnes Fratres ſuis Superioribus ſemper, & ubique reverentiam exhibeant, & eis in quibuſcumque licitis, & honeſtis humiliter obediant, & qui eorum mandato ſpeciali ſibi facto ſingulariter, vel ſibi, & aliis pluraliter ex propoſito noluerit parere, vel prætextu levis, & frivolæ excuſationis non obtemperaverit; ipſo facto ſit privatus loco, & voce, donec Superiori, cui extiterit inobediens, ſe humiliaverit, ab eoque ad vocem, & locum fuerit reſtitutus. Quod ſi ſuam inobedientiam malitioſe, & pertinaciter defenderit, & cum Superiore intus, vel foris proterve fuerit auſus contendere; ipſum nedum inobedientem, ac proinde privatum loco, & voce, ſed etiam contumacem, & rebellem, & ob id carceri mancipandum per menſem ad minus, & plus etiam ad arbi-

Inobedientes, & contumaces quomodo puniendi.

arbitrium Superioris, contra quem fuerit rebellis, judicamus, & decernimus.

Fratres dent adjutoriū Prælatis contra inobedientes.

2. Item præcipimus omnibus Fratribus, per obedientiam ſalutarem, quod Prælatis ſint in adjutorium contra inobedientes, contumaces, & rebelles ad eos capiendum, ligandum, incarcerandum, quandocumque eis injungetur per eoſdem. Quod ſi non fecerint voce, & loco ſint privati eo ipſo.

Quomodo puniendi ſint uſurpantes Officia Majorū, & excitantes Prælatos, vel Principes.

3. Item ſtatuimus, quod omnes, qui contra ſuos Superiores ſe erexerint, eorum officium uſurpando, vel quovis modo impediendo per ſe, vel per alios, ne ſuum officium effective exercere valeant, loco, & voce careant, & in carceres detrudantur, in eis permanſuri ad arbitrium Reverendiſſimi Patris: & ſi eo dementiæ, & temeritatis devenerint aliqui ex noſtris Religioſi, ut Eccleſiæ Prælatos, aut Principes, & Rectores excitare non formidaverint, quò per illos Ordinis Superiores moleſtentur, graventur, aut damnificentur in perſonis, vel a ſuis Officiis amoveantur; quive hujuſmodi ſe erigentibus conſilium, aut auxilium, ſeu favorem præbuerint, præter excommunicationis majoris ſententiam, quam ipſo facto incurrent, ſi talia contra Priorem ſuum, ſive Localem, ſive Provincialem, aut contra ejus Vicarium perpetrare præſumpſerint, in perpetuum loco, & voce privati exiſtant: ſi vero contra Priorem Generalem, vel ejus Vicarium hujuſmodi illicita fecerint, ultra perpetuam amiſſionem vocis, & loci, expoliandi ſunt omni officio, gradu, & dignitate Religionis, & carceribus mancipandi uſque ad Capitulum Generale; niſi poſt tres annos per ipſummet Priorem Generalem fuerit cum illis miſericorditer diſpenſatum.

Impedientes reformationē, ſententiā excommunicationis incurrunt.

4. Item ſtatuimus, quod nullus cujuſcumque gradus ſit, aut conditionis impediat correctionem alicujus, vel alleget contra Priorem, quod ex odio, vel favore procedat, criminoſos liberando, innocentes condemnando, quo minus ad correctionem procedatur, ſub tali pœna, quam reus ſubire deberet, eo ipſo infligenda. Item quicumque impediunt correctionem, vel inquiſitionem, perdant eo facto locum, & vocem. Item quicumque Prælatis, quovis quæſito colore impedimentum tribuunt, aut procurant, quo minus corrigere inſolentes, & reformare loca noſtra valeant, incurrunt ſententiam excommunicationis auctoritate Pii Papæ II., a qua, donec reſipiſcant, non valent abſolvi, niſi per Summum Pontificem.

CA-

# CAPUT III.

## *De appellationibus, & eis adhærentibus.*

1. APpellationes a correctione Regulari penitus inhibemus, cum non venerimus contendere, ſed propriæ voluntati abrenuntiare. Et quicumque hoc fecerit, ab omnibus legitimis actibus Ordinis perpetuo ſit eo facto excluſus; & uſu omnium bonorum, quorum uſum incertum habere videbatur, ſit privatus; & omni gradu, & promotione tempore perpetuo: & confeſtim ſine contradictione carceri mancipetur, in eodem permanſurus, donec per Capitulum Generale fuerit poſt tres annos cum eo miſericorditer diſpenſatum, niſi infra tres, aut quatuor dies a ſua appellatione deſiſtat, & abrenunciet. Et idem judicium per omnia fieri mandamus de his, qui appellantibus conſentiunt, adhærent, vel appellationes defendunt. Etſi appellantes, conſentientes, adhærentes, appellationes defendentes in aliquo officio exiſtunt, aut præſident, eo ipſo ſint privati: nec aliquis Frater tenetur eis in quocumque obedire: nec locum, aut vocem habeant in quacumque electione, donec per Capitulum Generale, fuerit cum eis diſpenſatum miſericorditer poſt tres annos.

Appellationes a correctione Regulari penitus inhibentur.

*V. Append. §. xiv. per totum.*

2. Mandamus, & præcipimus Prioribus Provincialibus omnibus, atque Localibus, per ſalutarem Obedientiam, & ſub pœna depoſitionis ab Officiis, quod præfatam Conſtitutionem de appellationibus, & appellationi adhærentibus, poſtquam ab appellatione ceciderint, faciant inviolabiliter obſervari, & idem faciant de ſe erigentibus contra Superiores. Erigentes, & appellantes cum adhærentibus, & eorum appellationibus in communibus papyris Provinciæ, in quibus deſcribuntur criminoſi, conſcribere non omittant. Non tamen prohibentur, quin, qui ſe prætenderint gravari a ſuis Prælatis, poſſint recurrere ad Patrem Generalem, Protectorem, & Papam, ut dicetur infra in hac parte cap. 5. num. 3.

Provinciales, & Priores faciant Conſtitutionem de appellationibus obſervari ſub pœna, &c.

# CAPUT IV.

## *De conſpirationibus, & colligationem facientibus.*

1. IN virtute Sanctæ Obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut nulli Fratres fraudulentam faciant colligationem, confœderationem, & conjurationem in perniciem, & damnum alicujus Religioſi, ſub pœna privationis loci, & vocis, necnon gravioris culpæ per viginti dies; & etiam ſuſpenſionis a divinis, ſi quid illicitum contra ſuum Superiorem moliti fuerint. Et ſi hujuſ-

Qua pœna puniendi ſint cõſpiratores.

hujuſmodi conſpiratio ad talem effectum devenerit, quod Religioſus, contra quem fuerit facta, damnum notabile ſit paſſus, conſpiratores carceri mancipabuntur per tres menſes: per integrum annum autem, ſi damnificatus fuerit aliquis Ordinis Superior, vel Conventus: & ſi adeo temerarii fuerint, quod dicto vel facto diviſionem Ordinis procuraverint, vel mutationem Magiſtri Ordinis, vel aliquod Monaſterium ab ejus obedientia eximere, ſint ipſo facto excommunicati, & tamquam Schiſmatici, & deſtructores Ordinis perpetuo carceri mancipabuntur, donec cum eis fuerit diſpenſatum per Capitulum Generale: quibus pœnis excommunicationis, & perpetui carceris ſubjacebit, etiam, qui ſolus talia machinatus fuerit.

Pœna contra facientes colligationem.

2. Item qui juramento, aut fide præſtita, colligationem, confœderationemque fecerint iniquam, quæ notam mali, & conſpirationis ſapiat, quod ſibi mutuo non deficient in ſuis defenſionibus, ſuſtentationibus, vel hujuſmodi; quive per alterum acclamaverit, culpam accuſati in Capitulo injuſte aggravando, vel diminuendo; ſeu aliter ibidem Fratres monuerit, & hortatus fuerit, ut culpam teſtificentur, vel timorem Fratribus incuſſerit, ne per eos culpa commiſſa probetur, ipſo facto ab omnibus Conſpirator reputetur, & per Præſidentem pœna Conſpiratoribus infligenda puniatur, privationis ſcilicet loci, & vocis, & gravioris pœnæ per viginti dies, ac etiam carceris ad tres menſes, ſecuto damno.

Si quis comminando dixerit, Si hoc non erit, &c. Conſpiratorũ pœna, &c.

3. Item ſi quis convictus fuerit, quod de Prælatis noſtri Ordinis dixerit comminando ſic: niſi ille, vel illi abſolvantur ab officiis: vel niſi ille, ſeu illi ad officium, vel officia eligantur: vel niſi ille, vel illi ad gradum, vel gradus Magiſterii, Baccalaureatus, Lectoratus promoti fuerint: vel, niſi ille, vel illi retardentur ab hujuſmodi promotionis gradu, pax non erit in Ordine, aut Provincia, vel Conventu, aut multi apoſtatabunt, vel morientur, aut hæc, vel illa evenient: ſi hæc, vel ſimilia verba comminando publicaverit, & dixerit ſeminando: volumus, quod talis ſine contradictione quacumque, conſpirantium contra ſuum Superiorem pœna puniatur.

## CAPUT V.

### *De recurrentibus ad Seculares pro ſua promotione, aut defectuum purgatione.*

Pœnæ, quas incurrunt procurantes favorem extraOrdiné pro Prælaturis gradibus, & officiis Religionis,

1. SI qui pro obtinendis Prælaturis, gradibus, dignitatibus, functionibus, & aliis Officiis Ordinis, directe, vel indirecte, recurrerint ad favorem Prælatorum, Principum, & aliarum quarumcumque perſonarum extra Ordinem, aut etiam ſponte oblato, & minime conquiſito uſi fuerint, ipſi illorumque complices, auꝺo-

cto-

ctoritate Clementis VIII. (*a*) inhabilitationem perpetuam ad quaſcumque Ordinis Prælaturas, gradus, honores, &c. incurrent; obtentiſque, ac etiam utraque voce eo ipſo privati erunt, nulla alia præcedente monitione, nullove deſuper habito proceſſu: & ad probandum, omninoque convincendum illos in dictas pœnas incidiſſe, ſolæ ipſarum perſonarum inſtantiæ, & preces oretenus porrectæ, plenam, indubiam, & ſufficientem facient fidem intra, vel extra judicium, abſque aliarum probationum adminiculo.

2. Item ſtatuimus, quod ſi quis pro quavis alia gratia, ut pro promotione, & continuatione ſtudii, pro mora in aliquo Conventu, pro defenſione, & impunitate culpæ, & ſimilibus contra voluntatem ſui Superioris preces, vel literas Prælatorum, aut Principum quorumcumque extra Ordinem obtinuerit; ſi propter hujuſmodi preces, aut literas oporteat, vel contingat quemcumque Majorem, vel Prælatum noſtri Ordinis, ne ipſe, aut Ordo damnum, aut indignationem, ſeu offenſam incurrant talium Dominorum, concedere ultra beneplacitum ſuum gratiam tali Fratri: quamvis, & talis Frater per ſe, vel per alium hujuſmodi literas, vel preces minime procuraverit: ſtatuimus, quod ſi Frater, pro quo hujuſmodi preces fuerint factæ, gratia ſibi taliter conceſſa utatur; vel niſi preces, aut literas ſic conceſſas, ſine indignatione Prælatorum, aut Principum hujuſmodi fecerit revocari; omnibus bonis, quorum uſum incertum videbatur habere, eo facto privetur, atque voce, & loco careat. Et ſi ex hoc offenſa, vel damnoſa indignatio Ordini, vel Prælato concitata fuerit, carceri mancipetur. Pœna contra procurantes favorem extra.

3. Item, quicumque ex noſtris Regularibus utriuſque ſexus, cujuſvis dignitatis, ſtatus, & conditionis extiterint, ad Tribunalia Secularia, quovis prætextu, aut quæſito colore appellare, vel ad illa confugere, aut quoquomodo adire auſi fuerint, vel præſumpſerint: auctoritate Clementis VIII. (*b*) incident in ſententiam excommunicationis Romano Pontifici præterquam in mortis articulo reſervatam, necnon in privationem perpetuam Officiorum per eos obtentorum, inhabilitatemque ad illa, & alia quæcumque Ordinis Officia exercenda, ac utriuſque vocis eo ipſo abſque ulla declaratione: quas pœnas eorum quomodolibet directe, vel indirecte fautores, & conſultores incurrent. Quod ſi ſe a Prælatis gravari prætenderint, ad Priorem Generalem ipſius Ordinis ſeu ad illius Protectorem (*c*), aut Viceprotectorem in Romana Adeuntes quoquomodo ad Tribunalia ſecularia excommunicantur, &c. Fratres gravati a minoribus Prælatis.



(a) *Conſtitut.* Quoniam nemo. *Bullar. Carmelit. tom.* 2. *pag.*266.

(b) *Conſt.* Quoniam noſtro. *Ibidem pag.* 325.

(c) *Non datur recurſus ad Protectorem. Innocent. XII. Conſtitut.* Chriſtifidelium. *Ibidem pag.* 653.

mana Curia, vel ad Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem Supremum in Eccleſia Dei Judicem, ſicut antiquitus ſemper facere conſueverant, recurſum habere poterunt. Statuimus quoque, quod quicumque Frater pro quocumque facto proprio, vel alieno, ſive pro defenſione cujuſcumque culpæ propriæ, vel alienæ requiſierit conſilia Advocatorum, ſive quarumcumque perſonarum extranearum ſine licentia Prælati ſui, loco, & voce privetur. Per hoc tamen non intendimus ſecludere, quin de culpis Fratrum, & ſcandalis poſſint Superiores Ordinis informari, & certificari per perſonas fide dignas, & conſilium petere ab eiſdem in agendis.

4. Quoniam uſque adeo crevit malitia, quod nullo modo aliqua fieri poteſt punitio intra Clauſtra Conventus, quæ non deveniat ad aures Secularium; volentes, quod Religio in ſua ſit libertate conſtituta: ordinamus, ac ſtatuimus, quod quoties aliquis pro demeritis, ſeu culpis incarceratus, ſive quoquomodo ſequeſtratus fuerit, nemo audeat quorumcumque Secularium favores procurare. Si quis autem deprehenſus fuerit, ſeu evidenter ſuſpectus, quod pro aliquo hujuſmodi extra Ordinem intercesſerit, ſeu procuraverit, aut adSeculares detulerit, loco, voce, & actibus legitimis privetur, & declaretur; & ad Provincialem mittatur, ut in alio Conventu, uſque ad Provinciale Capitulum proxime futurum ſit carceri mancipandus.

Sacerdotes non attingentes quadrageſimum annũ, de Conventu ad Conventũ tranſmutentur, niſi, &c.

5. Item quoniam totius corruptionis, & deformitatis in Ordine hæc in primis origo, & præcipue cauſa eſt, quod Fratres noſtri, vel ex eo ſibi diuturnam procurant in Conventibus permanentiam, nec ſe ab eiſdem ad alios tranſmitti patiuntur, quia jus ſe habere in eiſdem Conventibus diuturna permanentia arbitrantur, in quibus profeſſionem emiſerunt, & quorum filii eſſe dicuntur; idcirco volentes obviam ire corruptelis, & conſuetudinibus pravis: ordinamus, quod Fratres noſtri Ordinis (niſi fuerint in gradibus Baccalaureatus, & Doctoratus legitime conſtituti, qui pro literariis Exercitiis ſolent, & debent, prout opus fuerit, diſponi, & tranſmutari) uſque ad quadrageſimum ſuæ ætatis annum, tertio quoque triennio, tempore Provincialis Capituli, ſeu viſitationis Provincialis de Conventibus, in quibus per tres annos permanſerunt, ad alios Conventus tranſmutentur, & tranſmittantur; non obſtante, quod ſint aliquorum Conventuum filii; niſi forte cum aliquo foret per Priorem Generalem ob cauſas rationabiles rationabiliter diſpenſatum: præcipientes omnibus, & ſingulis cujuſcumque conditionis extiterint, ſub pœna rebellionis, & carceris per menſem, ut nullo modo obedientiæ ſibi datæ contraveniant, ſeu aliquo modo refragentur. Poſt annum vero quadrageſimum, in Conventibus, ut permanere valeant ſic permittantur, ut ſint Conventibus, exemplis, & vitæ hone-

honeſtate utiles : ſint autem arbitrio Provincialium, etiam diutius (ſi eorum diuturna permanentia expedire videbitur) relinquendi; & ſi ſecus amovendi.

# CAPUT VI.

## *De dantibus operam ſtudiis, artibus, & ludis prohibitis.*

1. OMni diligentia in primis elaborandum eſt, ut Carmelitæ noſtri non ſolum ab omni hæreſi, ſed & a quacumque illius ſuſpicione procul abſint, caveant, & abhorreant. Quare, mandamus omnibus Prioribus, Provincialibus, & Localibus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna depoſitionis ab eorum officiis, & crimine fautorum; ut improviſo, tam in ſuis ordinariis viſitationibus, quam extra illas, & quoties ſibi expedire viſum fuerit, viſitent cameras, & libros Fratrum evolvant, & ſi (quod abſit) libros (a) in Indice Romano prohibitos repererint, ſtatim Fratrem illum, qui eo utebatur libro, vel libris, in carceres detrudant; & admodum Reverendo Inquiſitori, ſive Reverendiſſimo Domino Epiſcopo denuncient. Et caveant Reverendi Provinciales, & Viſitatores noſtri, ne tempore ſuæ viſitationis prædictam Inquiſitionem diligentem; ſub prædicta pœna, prætermittant.

Provinciales, Priores improviſo libros Fratrũ evolvant.

2. Statuimus præterea, ut ſi quis ex noſtris aliquem ſuſpectum habuerit de fide, vel quod male locutus ſit de Eccleſia Catholica, & poteſtate Summi Pontificis, vel libros prohibitos tenuerit, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus abuſus fuerit; illum ſecundum juſtiſſimas Sacrorum Canonum ſanctiones, ſtatim denunciet Superiori ſuo, ſive Reverendis Inquiſitoribus, aut Reverendiſſimo Domino Epiſcopo, ad quos ſpectat. Unde Sacerdos negligens in ea denunciatione repertus, præter juſtas pœnas a Judice infligendas, voce careat activa, & paſſiva, per triennium: Clerici vero reliqui in carceribus detineantur ad arbitrium P. Generalis.

Suſpecti de fide, vel &c. ſubito denuncientur, &c.

3. Inſuper nullus alias hæreticus, vel qui temere cum ſcandalo hæreſim divulgaverit, etiam poſt publicam, vel privatam ſuæ hæreſis deteſtationem, abjurationem, vel retractationem, ſive poſt peractam, aut condonatam etiam in totum pœnitentiam, ad gradus, dignitates, ſive offisia Ordinis, incipiendo a Subprioratu, tamquam inferiore excluſive, in perpetuum reſtitui, vel promoveri valeat. Et qui aliquem ex prædictis ſcienter ad prædicta officia, vel dignitates eligere, aut inſtituere auderent, non ſolum

Nullus ad gradus, &c. promoveatur, qui alias hæreticus, etiam, &c.

(a) *Intellige Hæreticorum, vel de Aſtrologia judiciaria tractantes. Ex Sixt. V. & Urb. VIII. vid. Bullar. Carmelit. tom. 2.*

ſolum electio, & inſtitutio irrita ſit, & nulla; ſed ipſi eligentes, & inſtituentes pœnæ graviori per menſem ſubjaceant, ac propriis gradu, dignitate, officiove priventur.

Pœna divinatorum, &c.

4. Divinatores vero, Sacrilegi, Incantatores, Necromantici Mathematici, & quicumque alii de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſve caſibus, & iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, prædicentes, (contra quos habentur Regulæ in Indice Romano) carceri ſimiliter mancipentur: denuncientur ſimiliter Admod. Rev. Inquiſitori, ſeu Reverendiſſimo D. Epiſcopo, & illis cartulæ, libri, & inſtrumenta ad prædictas artes ſpectantia præſententur.

Pœna Alchimiſtarum,

5. Alchimiſtæ, pœna proprietariorum acriter puniendi, etiam carceribus macerentur ſecundum qualitatem, & quantitatem delicti.

Pœna ludentium.

6. Ludentes taxillis, vel aliorum ludorum genere, etiam conceſſorum, pro pecunia, libris, veſtibus, aut quacumqua alia re pretio æſtimabili, ſive cum extraneo ludus habeatur, ſive cum Fratre, & Familiari Ordinis, per quemcumque Superiorem ſuum cuſtodia, vel uſu bonorum, ſi quem incertum fortaſſe habere videbantur, ſtatim priventur: pariterque omni gradu, promotione, ac voce, & loco; carcerique etiam mancipentur, penſata qualitate, & quantitate offenſæ: & eiſdem pœnis volumus ſubjacere Superiores, qui ſcientes permiſerint ſuis ſubditis ludos contra præſentem prohibitionem.

Pœna Hiſtrionum.

7. Hiſtriones, Larvaticos, & conſimiles pro comœdiis turpibus, ac ſecularibus habendis inter impudicos connumeramus; & pœna plectendos declaramus, qua puniuntur ſuſpecti de illicitis, quæ habetur ſequenti Capitulo de lapſis in peccatum carnis. Sed ſi quis extra clauſtra talia exercere auſus fuerit, ea puniatur, qua puniendus eſſet, ſi domos lenonum ingreſſus fuiſſet, quæ etiam ibidem continetur.

Pœna contra illos, qui interſunt publicis prophanis ſpectaculis.

8. Item directe inhibemus noſtris Fratribus cujuſvis ſtatus, gradus, dignitatis, & conditionis extiterint, ne intereſſe præſumant comœdiis, tragœdiis, agitationibus Taurorum, & aliis ſimilibus publicis ſpectaculis prophanis, ſub pœna carceris ad menſem: quam pœnam Prælati etiam incurrent, ſi in ſuis ſubditis huic decreto inobedientibus puniendis negligentes fuerint: & ſi qui dixerint non eſſe ſcandalum Religioſos hiſce ſpectaculis adeſſe, minime illis credendum eſt.

CA-

# CAPUT VII.

## *De lapſis in peccatum carnis.*

Si quis in peccatum carnis lapſus fuerit quomodo ſit puniendus.

1. STatuimus, quod ſi quis in peccatum carnis lapſus fuerit, & confeſſus, vel convictus, aut violenter ſuſpectus (de qua ſuſpicione ſtatim dicetur) per dimidium annum carceri mancipetur, & cum hoc locum, & vocem amittat. Si autem notorium fuerit extraneis, per annum integrum incarceretur, ac locum, & vocem amittat quinque annis, niſi propter laudabilem ejus converſationem per Priorem G, vel per Capitulum Provinciale fuerit cum eo diſpenſatum. Si autem Religioſam, vel uxoratam, vel conſanguineam, ſeu affinem quis cognoverit, vel virginem defloraverit; tunc ſecundum qualitatem, & quantitatem delicti, pœna rigidius ei aggravetur.

Qualiter dicatur Fratrē aliquē de peccato carnis eſſe convictum.

2. Dicimus Fratrem convictum, vel ſuſpectum violenter de peccato carnis, ſi ſolus cum ſola muliere in cella ſua clauſo oſtio de die, aut de nocte repertus fuerit, vel auditus. Statuentes, quod Frater, in cujus cella, ſeu camera mulier inventa fuerit, tamquam ſuſpectus, atque convictus carceri mancipetur.

Quicumque mulierem oſculatus fuerit pœna gravioris, &c.

3. Item, quicumque Frater mulierem oſculatus fuerit, vel circa ipſam tactus, vel actus impudicos exercuerit; pro qualibet vice, pœna gravioris culpæ per viginti dies rigide puniatur. Et ſi talia, aut conſimilia facere duxerit in conſuetudinem, tamquam ſuſpectus de illicitis habeatur, & incarceretur. Item Frater quicumque domos, aut loca lenonum, aut diffamatarum mulierum intraverit, aut cum eis colloquium, vel converſationem habuerit; ipſum ſuſpectum de peccato carnis, ſi notorium fuerit, judicamus, & purgandum purgatione canonica ordinamus. Et dato, quod purgetur; propter tamen hujuſmodi ingreſſum, colloquium, notitiam, & familiaritatem frequentatam, quia ſcandalum aliis generat, & inducit, pœnam gravioris culpæ per quadraginta dies ſuſtinebit.

Pœna contra illos, qui capiuntur in domibus inhoneſtarum mulierum.

4. Et ſi quis in domo inhoneſtarum mulierum a Curiæ miniſtris captus fuerit, vel capiendus aufugerit, & de delicto perpetrato, vel tentato conſtiterit, indeque ſecutum fuerit ſcandalum, ad triremes condemnetur: ſi autem nullum obortum fuerit ſcandalum, carceri tradatur per ſex menſes, & per decennium ſit privatus loco, & voce.

Si quis in peccatum indicibile lapſus fuerit tempore perpetuo carceri mancipetur.

5. Si quis autem in peccatum indicibile (quod abſit) lapſus fuerit convictus, vel confeſſus, aut violenter ſuſpectus: quam violentam eſſe ſuſpicionem dicimus, ſi per duos pueros, vel plures publice hoc confiteatur, vel de hoc quereletur: vel ſi quis puerum in cella ſua, vel alio loco, clauſo oſtio ex omni parte de nocte

nocte habuerit, vel de die (niſi de licentia Superioris ſecum jaceret ut hoſpes, neceſſitate cogente): talis ſic violenter ſuſpectus introducatur in carcerem, ibi tempore perpetuo miſerabiliter affligendus; niſi forte cum eo fuerit aliquando per Capitulum Generale, vel Priorem Generalem diſpenſatum. Imo attenta Extravaganti Pii V. (a) hujuſmodi nefario ſcelere fœdatus, omni privilegio Clericali privatus, & degradatus per Judicem Eccleſiaſticum poteſtati ſæculari tradendus eſt.

Pii V. Bulla,

## CAPUT VIII.

### *De diffamantibus, & conviciosis.*

Si quis de Summo Pontifice verbum diffamatorium dixerit carcerari, &c.

1. CAveant ante omnia Fratres cujuſcumque gradus, aut officii exiſtant, quod Prælatis Eccleſiæ non detrahant malitioſe quoquomodo. Si quis convictus fuerit, quod de Domino noſtro Papa (quod abſit) detractorie locutus fuerit, aut verbum diffamatorium dixerit, induatur capucio linguarum, de quo infra, & carceri perpetuo mancipetur; niſi per Capitulum, vel Priorem G. fuerit cum eo miſericorditer diſpenſatum. Et idem volumus, ſi de Dominis Cardinalibus, Regibus, Reginis, & Priore Generali, in omnibus obſervari: & ita ſi de cæteris Prælatis, Principibus, & Superioribus Ordinis, penſata qualitate, & quantitate exceſſus. Et ſi aliquis adverſus Priorem ſuum, aut eo Superiorem, non malitioſe, ſed in veritate habuerit quicquam, quod omnino non deberet tolerari; primo inter ſe, & ipſum ſolum, eum humiliter admoneat: quam admonitionem ſi neglexerit, aut contempſerit, aliquem de ſenioribus, & diſcretioribus Fratribus ad eum monendum, & corrigendum adducat, vel ad hoc per ſeipſos faciendum inducat. Et ſi adhuc non ſe correxit, Superiori Prælato ſcribat, aut ſi ad viſitandum venerit, tunc ei veritatem inſinuet, & declaret; ut ſic per illum corrigatur, vel in Capitulo G., aut Provinciali finaliter corrigendus demandetur: quod & fieri poterit, etiam dicta monitione non præmiſſa, dum tamen illud fuerit diffamatum, & ſufficienter probari poſſit, & monſtrari: nec alio modo præſumant de ſuis Prælatis obloqui, ſub carceris pœna, penſata injuriæ qualitate, & quantitate, & ponderato gradu prælationis.

Caveant Fratres ſuos Superiores diffamare.

Pœna contra proferẽtes injurioſa verba.

2. Item nemo verba convicioſa, ſeu injurioſa, aut turpitudinem continentia, propriam, aut parentum, vel affinium, ſeu conſanguineorum, ſive naturalem, ſive aliunde prodeuntem, proferat contra quemcumque Religioſum, ſub pœna carceris ad menſem, & in fine unius diſciplinæ cum Pſalmo *Miſerere &c.* facta debita famæ, & honoris reſtitutione, humiliterque petita venia tam

(a) *Conſtitut.* Cum primum.

tam offenſo, quam Patribus. Si vero contra ſæcularem, ſecuto ſcandalo, pœna duplicabitur; & hoc ſi prolata verba vera fuerint: ſi vero falſa, præter dictam pœnam induatur capucio linguarum per tres vices in Refectorio.

3. Item nemo obmurmuret, aut objicere audeat alicui in dedecus, & ignominiam crimina præterita, de quibus fuit convictus, confeſſus, atque etiam regulariter correctus, ſub pœna carceris ad octo dies, & unius diſciplinæ cum Pſalmo *Miſerere &c.*, quod etiam de Prioribus intelligendum volumus.

Quomodo puniendi objicientes crimina emendata.

4. Nullus etiam audeat ſcribere Fratribus intra Ordinem, vel ſæcularibus, aut etiam aliis Eccleſiaſticis perſonis extra Religionem noſtram literas, quæ vertantur in infamiam, & opprobrium cujuſvis de noſtro Ordine, ſub pœna carceris ad quindecim dies. Excipiuntur autem Fratres charitative de alicujus Fratris Ordinis noſtri iniquitate Superiores, ad quos ſpectat, ſuorum inferiorum defectus, & turpitudines cognoſcere, & corrigere admonentes.

Scribentes literas diffamatorias quomodo plectendi. *Etiam anonymar. V. App. n. 646.*

5. Sed ne innocentes opprimendi, vel accuſandi detur occaſio; qui aliquem Fratrem cuilibet Superiori Ordinis detulerit, & non probaverit, atque ideo de calumnia conſtiterit, pœna talionis plectetur.

Pœna contra deficientes in probatione &c.

6. Item ordinamus, quod qui Fratris ſui delicta occultaverit, nec in viſitatione coram Superiore detulerit, vel infra menſem eumdem non admonuerit; mox vero illi Fratri dicta delicta objecerit, vel de illis apud ipſummet Superiorem accuſaverit; interimque convincatur illa delicta diſſimulaſſe, & ſubticuiſſe, cum revera ad ejus notitiam prius devenerint; uti calumniator puniatur, & exilio a tota Provincia per decennium plectatur. Superior tamen contra eum ex officio ſuo, ſervatis ſervandis procedat.

Denuntiantes delicta occultata in viſitatione quomodo puniendi.

7. Et ſtatuimus, quod ſi quis alicui Fratri objecerit crimen, de quo alias pœnitentiam egerit, & correptus fuerit, decem diebus pœna gravioris culpæ objiciens puniatur. Item quicumque, Fratrem aliquem, vel Conventum, aut totum Ordinem, ratione defenſionis ſuæ, apud quoſcumque extraneos diffamaverit, eo ipſo loco & voce ſit privatus; & non poſſit ei reſtitui, niſi per Capitulum Gen.

Quicumque totum Ordinem diffamaverit loco, & voce ſit privatus, &c.

8. Item ſtatuimus, quod ſi quis in gravibus infamationibus, vel purgatione ſui, aut alterius, ſive aliis quibuſcumque notabilibus cauſis falſum teſtimonium contra aliquem, vel aliquos dixiſſe convincatur, ſuam faciat pœnitentiam in terra comedendo coram toto Conventu, in pluribus Conventibus ſuæ Provinciæ ad hoc miſſus, per tot dies, quot Superiori videbitur expedire, ſedendo ſuper terram, indutus aliquo ſcapulari; ſuper quo duodecim linguæ, aut circiter, ante & retro de panno rubeo, vel albo conſutæ ſint hinc inde, modo vario; in ſignum, quod pro-

Forma ſcapularis linguarum.

pter magnum ſuæ linguæ vitium illo modo merito ſit puniendus; & poſtea carceri mancipetur: nec amplius ad aliquod teſtimonium admittatur.

# CAPUT IX.

## *De diviſionibus, & partialitatibus cavendis, & de purgationibus diffamatorum.*

Quicumque partialitatem in Cõventibus fecerit carceri mancipetur.

1. QUicumque de diviſione, aut partialitate in Conventibus, Provinciis, aut toto Ordine convicti, ſeu aliter probabiliter erunt ſuſpecti, niſi poſſint ſe legitime purgare, tam ipſi, quam eorum defenſores, aut præbentes eis auxilium, vel favorem, carceri mancipentur.

2. Item ſtatuimus, quod ſi quis apud bonas, & notabiles perſonas de crimine aliquo fuerit diffamatus; & etiam ſi quis de aliquo crimine ſuſpicione probabili ſit ſuſpectus, & per teſtimonium certum, vel per propriam confeſſionem convinci non poſſit; indicatur ſibi purgatio canonica, ut tandem convincatur, ſi in purgatione defecerit, vel recuperet bonam famam.

De violẽta ſuſpicione quilibet puniri poteſt, &c.

3. Declarantes, quod de probabili ſuſpicione, purgatio canonica indicatur: de violenta autem ſuſpicione, unuſquiſque puniri poſſit, ac ſi confeſſus fuerit, vel convictus: quam vero ſuſpicionem fore probabilem, aut violentam, Præſidens in Capitulo cum quatuor, vel quinque Fratribus Conventus habeat judicare, ut dicitur in capite de Capitulo Conventuali. Et generaliter ubicumque Conſtitutiones noſtræ eſſent diminutæ, vel defectuoſæ, omnia fiant ſecundum juſtitiam, & conſcientiam bonam.

Purgatio canonica quomodo ſit facienda in Capitulo.

4. Purgatio canonica ſic erit in Capitulo facienda, & etiam indicenda. Cum Frater ſuſpectus probabiliter de aliquo crimine, ne in crimine, aut ſuſpicione remaneat inculpatus, ad præceptum ſui Majoris cum tribus, aut quinque, vel ſex bonis Fratribus, aut pluribus, vel paucioribus, ſicut placuerit Præſidenti, (ſi tamen purgandus plures allegare voluerit, admittantur) qui quidem Fratres purgatores ſint bonæ famæ, & a longo tempore ejus converſationem noverint, ſecum etiam converſantes, & eoſdem Sacros Ordines, ſicut purgandus habentes; & quod fuerint de dicta ſuſpicione, ſuſpicionis cauſa informati plenarie. Primo in illorum præſentia coram Præſidente, & cæteris Fratribus ſupra S. Dei Evang. ſolemniter juret, quod ipſe nunquam perpetravit illud crimen, vel illas criminoſas res, aut ſceleratas, de quo vel quibus eſt infamatus: quo juramento ab eo ſic facto, ſtatim illi purgatores ibidem, etiam coram Præſidente, & Fratribus ſtantes, ſingulatim jurabunt, quod ipſi credunt ipſum vera juraſſe, & dixiſſe: & ſic ſe reddat dictus ſuſpectus, & infamatus a crimi-

crimine expurgatum. Qui ſi ſic fuerit debite purgatus; debet continuo per Præſidentem in bona ſua fama, & innocentia reſtitui, & reponi. Si vero ſe purgare nequiverit, tamquam reus, & convictus ſecundum criminis gravitatem puniatur.

5. Et notandum, quod purgatio canonica indicitur, quando aliqui apud bonas, & graves perſonas, ſive per ſuos inimicos, ſive per alios infamatur: non autem indicitur hujuſmodi purgatio, quando quis apud viles perſonas, quacumque præſumptione fuerit infamatus: & ſi Frater infamatus non poteſt convinci, tenetur ſe per juramentum purgare, & ad purgationem cogendus eſt: ita quod in voluntate ſua non conſiſtat, ſed in arbitrio Præſidentis. Quid autem faciendum ſit ei, vel purgatoribus, ſi perjuraſſe convincantur, dictum eſt in fine capitis præcedentis. Purgatio quãdo facienda ſit.

## CAPUT X.

### *De minantibus, percutientibus, & arma tenentibus.*

1. SI quis minatur animo irato ad percutiendum, etiam ſi non percuſſerit, pœnæ gravioris culpæ tribus diebus ſubjaceat: ſi vero lapidem, vel baculum, aut quæcunque arma, ſeu munimenta levaverit ad percutiendum, licet non percuſſerit, prædicta pœna ei duplicetur: ſi autem contra Priorem prædicta arma levaverit, per quadraginta dies eamdem pœnam ſuſtineat: ſi autem contra Priorem G. aut Provincialem arma ad percutiendum levaverit, carceri mancipetur ad arbitrium P. G. Pœna levantium arma.

2. Si quis animo irato, & diabolo ſuadente, quemlibet alium Fratrem leviter percuſſerit, pœnam gravioris culpæ luet per viginti dies: quod ſi ſuum Priorem Localem offenderit, carceri mancipabitur ad ſex menſes; & ad annum, ſi ſuum Provincialem: & ſi (quod abſit) Reverendiſs. Patrem, uſque ad Capitulum Generale, & inſuper locum, atque vocem perpetuo amittet. Qui vero aliquem Fratrem enormiter læſerit, carceri per annum tradetur: & per duos, ſi ſuum Priorem Localem: & ſi Provincialem, uſque ad Capitulum Generale; itaut nec a Priore G. poſſit, niſi poſt tres annos liberari: quod ſi auſus fuerit ipſum G. (quod Deus avertat) graviter percutere, tradetur carceri perpetuo abſque ulla ſpe diſpenſationis. Qua pœna puniẽdi ſint percutientes.

3. Item quia omnes, qui ſuadente diabolo manus violentas injiciunt in aliquem Fratrem, etiam Novitium, incidunt ipſo facto in excommunicationem Canonis: ſtatuimus quoad forum fori, ut qui quovis modo aliquem ſuum Superiorem percuſſerit, a ſolo Priore Generali poſſit abſolvi; & ſimiliter, qui graviter quemcumque alium Fratrem offenderit: quod ſi læſio fuerit levis, A quo ſint abſolvendi incidentes in ſententiam Canonis.

vis, abſolvi poterit a ſuo Provinciali. Quoad forum autem interius unuſquiſque Prælatus utetur jure ſuo.

4. Ut autem ſciatur, quæ levis injectio, vel injuria levis ſit, quæ gravis, & enormis, ſeu atrox, earumdemque differentiam; ut errare non valeant, qui de manuum injectione abſolvendi aliquem habent poteſtatem, declarationem per Extravagantem quamdam, quam recte refert D. Navarrus in Manuali, capitulo 27. num 91. hoc in loco libuit ad unguem recenſere.

Declaratio quæ ſit levis, & gravis injuria.

PErlectis &c. Reſpondemus, percuſſionem levem eſſe pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam, neque ſigillationem carnium relinquit, neque abſcindit membrum, ſine effractione dentium, ſine avulſione multorum capillorum, ſine effuſione multi ſanguinis. Nolumus tamen dicere, quod hujuſmodi levis percuſſio, ut pugni, aut unguis, fiat atrox ob multi ſanguinis effuſionem. Ad judicandum tamen, quæ læſio ſit levis, mediocris, aut enormis, volumus diligenter perpendi non ſolum factum, ſed etiam qualitatem ejus, & modum percutiendi, & lædendi cum omnibus ſuis circumſtantiis, loci, perſonæ, & aliis. Perſonæ, ſi eſt Magiſter, Judex Prælatus, Pater, Patronus, aut dignitas, percuſſus injuſte a ſubdito, aut ab alio ſe viliori: quia ex hoc interdum cenſetur graves injuriæ, quæ ex ſe ſunt leves, aut mediocres. Et quia conditio negotii non patitur integram determinationem hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares, quæ ſit levis, & quæ enormis injuria: admonentes, ut potius declares in dubio eſſe percuſſionem gravem, & ab ea non poſſe abſolvere; quam declarando levem eſſe, occaſionem præbeas lædendi ſtatum Eccleſiaſticum. Hucuſque ſunt verba Extravagantis.

Si Frater Clericum ſæcularem percuſſerit, a quo ſit abſolvendus.

5. Nullus etiam famulum Fratrum percutiat, vel quemcumque ſæcularem, etiam Laicum ſub pœna gravioris culpæ, vel etiam carceris, ſecundum qualitatem, & quantitatem delicti graviter infligenda. Si autem Frater Clericum ſæcularem percuſſerit, abſolvatur a Diœceſano ipſius Clerici percuſſi a ſententia excommunicationis, quam incurrit: & ſi percuſſerit quemquam alterius Religionis, abſolvendus eſt a Prælato ſuo proprio, & ejus quem percuſſit, & pœna taxata de percuſſione Fratrum noſtrorum aggravetur. Si percuſſerit quemcumque extraneum, etiam ſatisfactione facta tam læſo, quam ſuo Prælato, carceri Ordinis emancipetur, ſi injuria hæc requiſierit. Volumus etiam, quod ſecundum qualitatem, & quantitatem exceſſuum, tam iſtæ pœnæ, quam aliæ taxatæ in Conſtitutionibus aggraventur, penſatis gradu, & dignitate patientis injuriam.

Fratres noſtri arma non habeant neque

6. Item ſtatuimus, quod Fratres noſtri arma non habeant, neque teneant, neque portent; ſed nec cuſtodiant, nec haberi, portari,

tari, aut cuſtodiri ab aliis faciant ad ſuos proprios uſus intra Conventum vel extra, vel in Capitulis, aut Congregationibus quibuſcumque, vel in viis, ſub pœna privationis vocis, & loci; niſi forte de licentia ſui Superioris in caſu neceſſario, ſi contigerit. Quod ſi in aliqua Provincia, vel Regione decretum extet Pontificium, per quod ſtrictius inhibeatur armorum detentio intra clauſtra Regularia, ut in Ducatu Mediolanenſi, illud omnino obſervandum eſt. Nec habeant noſtri Fratres cultellos punctatos, vel acutos, etiam ad ſcindendum panem, nec etiam quæcumque alia periculoſa portent, vel nociva, præter parvum temperatorium ad pennas aptandum, nec cultelli habeant ferrum ultra longitudinem manus ex tranſverſo, ſub pœna gravis culpæ per tres dies infligenda.

*teneant ſub pœna &c. V. App. n.147.*

*Forma gladii.*

# CAPUT XI.

## *De Proprietariis.*

1. CUM proprietatis abdicatio ſit de eſſentia noſtræ profeſſionis, nec aliquis Frater quicquam ſibi proprium dicere debeat: ſtatuimus, quod nullus pecuniam, vel quodcumque munus ſibi datum, vel oblatum, ſeu aliquod depoſitum teneat, libros, veſtes, aut alia quæcumque bona, quantumcumque modica, niſi de Prioris ſui licentia ſpeciali, & aſſenſu, dummodo ſibi noteſcendi tempus habere potuerit opportunum; ſub pœna proprietariorum, de qua in fine hujus capitis dicetur, graviter infligenda.

*Nullus Frater aliquid teneat ſine ſcitu ſui Prioris.*

2. Item prohibemus, ne aliquis audeat pecuniam dare alicui mutuo; nec aliqua deponantur, a quocumque donentur; in cuſtodia, vel manibus ſæcularium perſonarum, vel Religioſorum extra Conventum per modum depoſiti, vel quovis alio modo, niſi de ſcitu, & aſſenſu Prioris, & trium Clavariorum, & aliquarum perſonarum ſæcularium, quæ ſint in ſæculo fide dignæ, ſub præfata pœna.

3. Item ordinamus, quod in arca communi concludatur quantum pecuniæ Fratres noſtri, vel Lectionibus, vel prædicationibus acquiſiverint, vel eis quovis modo donatum fuerit: & habeatur ratio eorum, qui vel dignitatibus, vel doctrinis, vel aliquo decore præfulgent. Ubi enim hominum habetur ratio promiſcua perit ordo, & exurgit confuſio. Et qui virtutibus non ſunt pares, paribus etiam præmiis afficiendi non veniunt; ut qui eas acquiſiverunt, in ſuis neceſſitatibus non defraudentur. Et omnes, qui pecunias non revelaverint, inter proprietarios reponimus: quorum abſolutionem nobis reſervamus, præterquam in articulo mortis: & niſi aliter auctoritate Apoſtolica circa eorum abſolutionem fieri contigerit.

*Pecunia acquiſita a Fratribus in arca communi concludatur. V. App. n.103. & 104.*

*Qui non revelant pecunias pœna proprietariorum plectuntur.*

4. Item

Nullus teneat bona ſtabilia.

4. Item diſtricte præcipitur RR. Provincialibus, & Prioribus, ne permittant quempiam ex Regularibus ſui Conventus, vel Provinciæ, retinere bona ſtabilia, ſcilicet fundos, prædia, vineas, domos locatitias, & illis ſimilia in commendam, non in adminiſtrationem non ad uſum, neque ad uſumfructum: imo in ſuis viſitationibus omnem adhibeant conatum, ut omnia redigantur in commune. Et ſi ſcripturæ, ſeu contractus, vel reſtipulationum formulæ (quod abſit) nomina unius vel alterius Religioſi contineant, dilutis, & obliteratis eorum nominibus, conficiantur nomine Univerſitatis Conventuum.

*Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 2.*

Uſus bonorum mobilium licentia Superiorum permittitur &c.

5. Bonorum autem mobilium uſus poterit a Superioribus permitti hoc modo: ut ſcilicet in Regularium ſupellectili nihil ſit ſuperfluum, nihilque quod ſit neceſſarium, denegetur. Noverint Religioſi noſtri dictam ſupellectilem non eſſe illis propriam, ſed tantum eorum uſui conceſſam ex bonis Communitatis.

Fiant inventaria rerum omnium ad uſum conceſſarum & ſingulis annis renovetur.

6. Faciant Fratres noſtri Inventarium omnium rerum ad eorum uſum incertum conceſſarum: deinde reponatur in arca trium clavium, & ſingulis annis renovetur inter Feſtum Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Feſtum Aſcenſionis; vel ad minus ad Feſtum Pentecoſtes.

Mercationes Fratribus penitus inhibentur.

7. Item mercationes Fratribus noſtris directe, vel indirecte, diſtrictiſſime, & ſub omni pœna inhibemus. Qui autem bona, & res Communitatis furtive, vel alio modo indebite alienaverit, ut puta, oblationes, eleemoſynas, procurationes, legata, libros, utenſilia, lectiſternia, pecunias, jocalia, & quæcumque alia ad Eccleſiam, vel Sacriſtiam, aut alias ad Conventum ſpectantia; ſi de his, & ſimilibus alienatis convictus fuerit, retenta reſtituat, & dicta proprietariorum pœna inferius declaranda, rigide puniatur.

Quæſtores teneantur quæſtus integre Prioribus præſentare.

8. Item ſtatuimus, quod Fratres terminarii viſitantes terminos, & facientes quæſtus, tenentur integre revelare, & præſentare Prioribus ſuis, & tribus Cuſtodibus Conventus ea, quæ de quæſtubus ſuis, ſeu procurationibus in terminis acquiſierunt, & nomina dantium eleemoſynas notabiles, ſub pœna proprietariorum.

Bona proprietariorum &c. Communitati applicentur.

9. Item ordinamus, quod bona, apud proprietarios, apoſtatas, appellantes a correctione regulari, fures, latrones, & alios criminoſos ſceleratos inventa, per Priores Locales capiantur, & in uſus Communitatis Conventuum de ſcitu trium Cuſtodum convertantur, vel per Priorem Provincialem in uſus Communitatis Provinciarum, vel per Priorem Generalem in uſus communes totius Ordinis applicentur. Et ipſi, qui dictos defectus commiſerunt, carceri mancipentur, prout in locis ſuis eſt ſignatum.

Quando aliqua per mo-

10. Item ordinamus, quod quando aliqua per modum depoſiti,

ſiti a quocumque extraneo Seculari, vel Religioſo in cuſtodia traduntur reſervanda, non recipiantur a quocumque, vel teneantur, niſi a Priore, & tribus Fratribus Cuſtodibus ad hoc electis, in communi cuſtodia reponantur, & numerabilia numerentur, & ponderabilia ponderentur, & menſurabilia menſurentur; nec aliquid de ſic commiſſis amoveatur, vel mutuo recipiatur, niſi de licentia extranei reponentis, vel ſupradictorum, ſi fuerit Regularis, ſub pœna carceris tranſgreſſoribus infligenda: qui autem quicquam de depoſitis amovere præſumpſerit, tamquam furtum ab omnibus reputetur.

*dum depoſiti in cuſtodia traduntur, non recipiantur, niſi &c.*

11. Si quis autem proprietarius convictus fuerit, aut confeſſus ſufficienter, a quocumque ſuo Judice, data ſententia, carceri detrudatur; nec poſſit liberari, niſi per Priorem Generalem. Et ſi inventus fuerit proprietarius in morte, & ſic obierit, extra Cœmeterium Fratrum, puta in horto, vel alibi, abſque divino Officio ſit ſepultus; niſi forſan ex tali ſepultura ſcandalum Secularibus generaretur.

*Pœna proprietariorum.*

# CAPUT XII.

## *De Monialibus.*

1. ORdinamus, quod nulla Virgo coacta, vel ſeducta recipiatur ad Clauſtra Monaſterii; neque habitu induatur abſque licentia Prioris Generalis; & niſi de tribus partibus vocum Monialium habeatur per ſuffragia ſecreta conſenſus plurium, quam duarum; ſitque major duodecim annis; non illegitima, ſed ex laudabili progenie orta, Sacroque Chriſmate peruncta: & in ejus receptione excepto victu, & veſtitu, nihil a Parentibus, vel ab aliis recipiatur.

*Nulla Virgo ſeducta &c. recipiatur, &c.*

*Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 16. 17. 18.*

2. Non multiplicentur Novitiæ ultra numerum, qui vel ex reditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari: & quando veſtiendæ erunt Virgines habitu Sacræ Religionis, ad evitandum tumultum in interiori Eccleſia induantur abſque aliqua ſeculari pompa. Advertendum tamen, quod ſi interior Eccleſia fuerit intra Clauſuram, itaut ad illam minime pateat aditus Secularibus, non licebit Prælato pro veſtienda Virgine habitu Religionis illam ingredi.

*Non multiplicetur numerus Monialiũ, &c.*

3. Sanctimoniales ante decimum ſextum annum expletum Profeſſionem ſolemnem non emittant; & niſi per annum poſt receptionem habitus in probatione ſteterint: & antequam Profeſſionem emittant, teneatur Præfecta Monaſterii, de hoc Epiſcopum ante menſem certiorem facere, ſub pœna privationis ab officio: & ad Profeſſionem admittendam non cogantur Novitiæ, ſed tantum libera earum voluntas, & devotio conſpiciatur. Quod ſi,

*Moniales non emittant profeſſionem ante decimum ſextum annũ, &c.*

*Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 15. & 17.*

*Novitiæ Infirmæ ad mortē non completo anno probationis poſſunt emittere Profeſſionem.*

ſi, aliqua Novitia, probationis anno nondum expleto, ob infirmitatem Medici judicio ab hoc Seculo migratura conſpiciatur; & ipſa pro conſolatione Animæ ſuæ ad Profeſſionem Regularem ante tempus requiſitum (quatenus tamen in ætate legitima conſtituta ſit) admitti deſideraverit, ad illam emittendam in manibus Prioriſſæ, vel alterius Superioris Novitiarum ipſius Monaſterii, vel Domus admitti poterit: & Novitia dictam Profeſſionem libere, & licite ex indulto Pii V. valebit emittere, & ſic Profeſſa decedens potiri indulgentia, & aliis gratiis, quas aliæ Moniales vere Profeſſæ decedentes conſequerentur: quo indulto frui poſſunt etiam Fratres Novitii.

*Poſt Profeſſionem non exeat, &c. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 5.*

4. Nulli Moniali liceat poſt emiſſam Profeſſionem exire a Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, præterquam in cauſa perurgentis neceſſitatis examinanda, & approbanda in ſcriptis non ſolum per Superiores Ordinis, ſed etiam per Reverendiſſimos Ordinarios. Sciendum autem Gregorium XIII. declaraſſe, nullas Moniales habere poſſe oſtium, per quod ex Clauſtro ſit aditus in ipſarum Monialium Eccleſiam exteriorem, in quam Secularibus ad Miſſas, & divina Officia patere ſolet acceſſus, ſed omnino muro obſtruendum: neque itidem licere Monialibus, etiam Tertiariis egredi januam Monaſterii, quæ eſt Clauſura ipſius Monaſterii, etiam ad claudendum aliam ulteriorem januam, per quam patere ſolet aditus Secularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, ſeu loca colloquii deſtinata, vel ad pulſandam ipſam januam clauſuræ: quæ loca cum ſaltem pro cauſis prædictis patere ſoleant Secularibus; ideo extra Clauſuram cenſeri debent, etiam quo tempore clauſa ſunt.

*Nulli detur velum conſecrationis, niſi, &c.*

5. Velum nigrum, ſeu conſecrationis nulli Monialium detur, niſi ſteterit in Religione per quinque annos ad minus profeſſa: & niſi diſtincte, & recte ſciverit legere, & dicere horas Canonicas. Et cum dare velum ſit munus Epiſcopi: ordinamus, quod a ſolo Priore Generali, vel ejus Commiſſario, Monialis conſecrationis velum accipiat.

*Singulis diebus per horā orent &c. ſub pœna, &c.*

6. Singulis diebus ſaltem per horam Moniales noſtræ omnes, & ſingulæ conveniant in Eccleſia interiori ad orandum, in æſtate poſt Nonam, & in hyeme poſt Matutinum immediate, ſub pœna gravis culpæ; & Prioriſſæ, ſub pœna depoſitionis ab officio, ſi ſuper hoc negligens fuerit.

*Modus eligēdi Prioriſſam. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 6.*

7. In electione Prioriſſarum, aliarumque Officialium ad feneſtellam vota eligentium accipiantur, earum nominibus omnino ſuppreſſis, & non publicatis, ſed tantum electarum explicabuntur: & qui ex Regularibus noſtris præerit electioni, caveat, ne ſuffragium aliquod ferat: alioquin electiones ſint irritæ, & nullæ. Et in electionibus faciendis nulla Monialis habeat vocem acti-

activam, neque paſſivam, niſi per duos annos ſaltem ſteterit Profeſſa in Monaſterio.

8. Prioriſſa eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt emiſſam Profeſſionem laudabiliter vixerit: quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio noſtri Ordinis eligi poſſit: ſi hoc etiam incommodum ei, qui electioni præeſt, videatur, ex his quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerit, & quinque ſaltem annos poſt Profeſſionem recte vixerit, eligatur. *Prioriſſa eligatur non minor annis quadraginta, &c.* *Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 7.*

9. Nulla Monialis pro electione Prioriſſæ practicam facere audeat, dicendo: Talis eſſet bona pro Prioriſſa, ſeu talis non eſſet; aut bonum eſſet facere talem, vel non facere; ſeu, da vocem tali, & hujuſmodi, &c. ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ per triennium. Verum Moniales illæ, quæ hos ſermones inſimul, non ambitionis, ſed bonæ intentionis cauſa habebunt, loquentes de idoneitate, vel inſufficientia eligendarum, ſupradictam pœnam non incurrent. *Nõ fiant practicæ pro electione Prioriſſæ ſub pœna, &c.*

10. Nulla Prioriſſa ultra biennium in officio Prioratus perſeverare poterit; nec ad eam dignitatem, & officium iterum aſſumatur, niſi per quadriennium integrum vacaverit: ubi tamen inolevit conſuetudo, quod officium Prioratus Monialium ſit triennale, ea ſervanda eſt; & ibi nulla ad eamdem dignitatem reaſſumenda, niſi per ſexennium integrum vacaverit: nullaque Monialis immediate ſuccedere poterit in hujuſmodi officio alteri ſorori germanæ. *Nulla ultra biennium in officio Prioratus maneat, &c.*

11. Confeſſores Monialium eligantur a Priore Generali, vel de ipſius aſſenſu in Comitiis Provincialibus, qui ſint viri graves, bonæ famæ, & provectæ ætatis: & nullus ex eis audeat ingredi earum Monaſteria, niſi perurgente neceſſitate: & nunquam ſoli, ſed cum ſocio, viro probo, & maturæ ætatis, qui ab eorum latere non recedat: immo pro amborum cuſtodia hæc omnia fiant, ut ſemper alter ab altero videatur; nec ingrediantur pro adminiſtrandis Sacramentis, niſi cum Cappa alba, & Stola ſuper ipſam: caveantque eorum Socii, ne aliquam Monialem alloquantur, niſi de licentia Confeſſoris, ſub pœna carceris, penſata qualitate, & quantitate delicti. *Confeſſores eligantur a P. G. &c. Nec ingrediantur Monaſteria, niſi, &c.* *Non confirmentur ultra triennium. V. App. n. 106.*

12. Confiteantur ſæpè Moniales peccata ſua Confeſſario in Eccleſia: & communicent non ſolum tredecies in anno juxta formam harum Conſtitutionum noſtrarum, ſed etiam ſemel in menſe, & ad feneſtellam, ad hoc dumtaxat deputatam. *Confiteantur & communicent ſæpè Moniales, &c.*

13. Curabit Prior Generalis, aut ejus Commiſſarius, vel Provincialis, ut exhibeatur ipſis Monialibus quotannis extraordinarius Confeſſarius bis, aut ter, qui omnium confeſſiones audire debeat. *Quotannis extraordinarius Confeſſarius exhibeatur bis, aut, &c.*

*Confeſſarii Monialium in ſpiritualibus curam habeāt puellarū, &c. Non recipiātur Puellæ ad educandū in Monaſteriis, &c. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 5*

14. Confeſſarii Monialium inſuper confeſſiones Puellarum Secularium audiant, quæ in earum Monaſteriis reperiuntur ad educationem, & eas communicent: ipſarumque in ſpiritualibus curam habeant: quæ non recipiantur a Prioriſſa, ut educentur in Monaſterio; niſi de licentia Prioris Generalis, vel ejus Viceſgerentis, ſervatis tamen ordinationibus Illuſtriſſimæ Congregationis a Reformatione, & Diplomatibus Pontificiis. Quoad ingreſſum vero aliarum perſonarum Laicarum utriuſque ſexus, obſerventur, quæ in Diplomate, Datum Idibus Junii 1575. Grægorius XIII. præcipit.

*Caveant Moniales vitio proprietatis, &c.*

15. Moniales noſtræ vitam communem ſervent, omni vitio proprietatis penitus abdicato, juxta formam præſcriptam in Capitulo de Proprietariis: & ad evitandum hujuſmodi proprietatis vitium, aliaque multa inconvenientia, ſtricte præcipimus, quod nulla Monialis audeat aliquid donare, præſertim Fratribus noſtris, neque Fratres noſtri Monialibus, ſub pœna carceris ad arbitrium Superioris, penſata qualitate, & quantitate delicti.

*Bona defunctarum communitati applicentur, &c.*

16. Bona cujuſcumque generis Monialium defunctarum, abſque ulla dilatione poſt earum obitum applicentur Communitati Monaſteriorum: in ſupellectilibus vero habeatur ratio earum Monialium, quæ ipſis defunctis in earum infirmitatibus charitative ab obſequiis fuerunt, & etiam conſanguinearum (ſi quas habent) quibus, juxta diſpoſitionem Prioriſſæ, & Clavariarum poterit talium bonorum uſus vagus, & incertus permitti.

*Moniales non ſcribant literas excepto*

17. Moniales ſcribentes, vel literas mittentes, aut nuncia cuilibet Fratrum noſtrorum, pro qualibet vice comedant in terra in communi Refectorio in pane, & aqua, & genuflexæ maneant ad portam Refectorii, tranſeuntibus cæteris Monialibus, cum corrigia ad collum: Fratres vero ipſis Monialibus ſcribentes, carceri mancipentur, & ſevere puniantur, penſata qualitate literarum. Excipiuntur tamen eorum Superiores, & Conſanguinei uſque ad tertium gradum, quibus Conſanguineis non audebunt literas mittere, abſque licentia Superiorum.

*Non utantur velis ſericis, neque cantēt in organis, niſi, &c.*

18. Non utantur Moniales noſtræ velis ſericis, aut criſpatis bavariis: non teneant catulos, non feles, ſeu cattos, non libros profanos, & Indice Romano prohibitos; nec præſumant cantare in organis, niſi de licentia ſui Prælati; neque permittantur Magiſtri Laici, aut Eccleſiaſtici, aut alius quiſquam accedere ad earum Monaſteria, ut ipſas Moniales doceat ſonum, aut cantum: neque in earum Eccleſiis permittant Miſſas celebrare, præter Capellanos a ſuo Superiore eis deputatos.

*Quomodo viſitandæ ſint Moniales.*

19. Viſitatio Monialium noſtræ Sacræ Religionis, fiat ſecundum formam præſcriptam in his Conſtitutionibus, de modo, & forma viſitandi: & caveant Viſitatores, quantum poſſibile eſt, ingreſſum Monaſteriorum; & id perurgente neceſſitate, cum omni mode-

modeſtia, gravitate, & ſobrietate faciant: ut non ſolum verbo, ſed etiam facto ædificent Moniales viſitatas, & ſtudeant primo, ut earum clauſuræ inviolabiliter ſerventur. *Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 5.*

20. Non adducant Viſitatores ſecum in ſocios, niſi Viros ætate graves, ſanctitateque pollentes, qui nulla ratione alloquentur Moniales, niſi de licentia R. Viſitatoris. Cum autem ordinaverit Greg. XIII. Superiores ingredientes in caſibus neceſſariis Monaſteria Monialium debere parvum Comitatum habere: Statuimus, ut Viſitatores noſtrarum Monialium ingredientes earum clauſuram ſecum adducant tantum duos, (a) vel ad ſummum tres ſocios habentes qualitates requiſitas a Sanctiſſimo, ſub pœna privationis officii, necnon loci, & vocis; niſi aliquis occurrat caſus, qui majorem Comitatum neceſſario expoſtulet: & caveant Viſitatores, ne ingreſſi clauſuram intra eam plus ſe detineant, quam exiget neceſſitas, propter quam ingreſſi fuerint, alioquin graviter peccabunt.

Nõ adducant ſecum Viſitatores in ſocios niſi viros graves.

Viſitatores nõ plus juſto ſe detineant intra Clauſurã Monialium.

21. Viſitatores, cum munus viſitationis exercuerint, non audeant accipere dona, ſeu munuſcula aliqua ab ipſis Monialibus, nec a Prioriſſis; ne ſecundum diſpoſitionem Sac. Canonum, ſuſpenſionem a Divinis incurrant: qui ſi in earum Monialium viſitationibus aliquid notabile invenerint, Priori G. vel ejus Viceſgerenti ſtatim referant, ut debita reviſio, opportunumque medicamentum adhiberi poſſit.

Viſitatores nõ accipiant dona a Monialibus.

22. Viſitatores Monialium viſitando, non comedant in Monaſterio, non in Eccleſia, non in Sacriſtia; ſed cito ſe expediant, & revertantur ad Monaſterium noſtrum: & caveant, ne viſitando fiant impenſæ, ſed ſumptibus Conventuum Fratrum vivant.

Viſitatores nõ comedant in Monaſterio, ſed &c.

23. Sanctimoniales, certum eſt, quod ſine ullo medio ſubjiciuntur Priori G. Ordinis: tamen ob locorum diſtantiam, earum regimen permittitur RR. Provincialibus, qui tamquam ipſius Commiſſarii, cum neceſſe fuerit, poterunt earum Monaſteria adire, & providere, ut fuerit decens, juxta formam harum Conſtitutionum noſtrarum: quod ſi ſecus fecerint, ſint privati officio, loco, & voce.

Moniales immediate ſubjiciuntur P. G.

24. Quoniam ex Decreto Cong. Regularium facto de ſpeciali mandato Sixti V. Regulares etiam deſtinati a ſuis Superioribus ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas Miſſas in Monialium Eccleſiis, vel Oratoriis, nullo modo poſſunt alloqui Moniales ipſas, nec alias perſonas intra clauſuram degentes, ſub pœna privationis officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda; huic pœnæ ſubjacebit quicumque ex noſtris Fratribus acceſſerit ad alloquendas noſtras Moniales (Confeſſoribus, & Commiſſa-

Pœna contrã accedẽtes ad alloquendum Moniales, niſi ſint Confeſſarii, &c.



(a) *Si viſitat Generalis in Italia ſocii ſint duo; ſi alius, ſit unus. Alex. VII. Conſt.* Felici, 10. *Oct.* 1664.

miſſariis Generalis, atque illis inſervientibus exceptis) & inſuper expellendus erit a Conventu. Si fuerit hoſpes, cujuſcumque conditionis, gradus, & dignitatis, detrudetur in carceres compedibus aſtrictus ad unum menſem; & ſit privatus loco, & voce ad duos annos. Si vero pertinax fuerit, adſtringatur ad carceres, donec per Priorem G. ab eis fuerit liberatus.

Priores poterunt adire Monaſteria, &c.

25. Poterunt tamen Priores accedere ad Monaſteria Sanctimonialium noſtri Ordinis, ſi a R. Prioriſſa vocati fuerint, ut earum neceſſitatibus remedium aliquod adhiberi poſſit.

Lectio continua habeatur in menſa. *Concil. Tolet. c. 7.*

26. In communi menſa prima, & ſecunda habeatur continua lectio de S. Scriptura, vel de Homiliis, vel de Vitis Sanctorum PP. vernaculo ſermone conſcriptis die Dominica, feria ſecunda, tertia, & quinta: quarta vero feria, ſexta, & Sabbato ſit lectio vel de Regula, vel de Conſtitutionibus Ordinis. Nam æquum eſt, ut dum Moniales noſtræ corporali cibo reficiuntur, ſpirituali etiam veſcantur: & ſic in cibis quoque honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum D. N.

Moniales tenentur ad obſerv. Regulæ, & Conſtitutionum.

27. Sciant Moniales noſtræ, teneri ad obſervantiam Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum, quatenus earum ſexui, & ſtatui, vel arctioribus legibus, & conſuetudinibus non repugnant.

# PARS QUARTA CONSTITUTIONUM.

## CAPUT I.

### *De Capitulo Generali, & ejus Præſidente, & qui poſſunt intereſſe.*

1. GENERALE Capitulum de ſexennio in ſexennium celebretur, niſi forte propter mortem, & aſſumptionem Prioris G. ipſum oporteat accelerari; vel niſi ex cauſis rationabilibus præcedens Capitulum Generale diffiniſſet, tempus eſſe prolongandum; aut Prior G. iiſdem de cauſis in aliud tempus prorogandum eſſe judicaverit, aſſenſu RR. Diffinitorum Capituli Generalis. Et debet tantummodo congregari de Prioribus Provincialibus, aut Vicariis Provincialibus electis, cum duobus ſociis: de Vicario etiam G. Congregationis Mantuanæ, ſimiliter cum duobus ſociis: de Provincialibus Titularibus ſine ſociis: de Vicario G. Sardiniæ, & de Prioribus Tranſpontinæ, Pariſiorum, & Neapolis. Qui omnes ſunt gremiales cum Priore G., & duobus ejus ſociis electis ad nutum, & arbitratum ipſius Prioris G.: qui etiam, eo defuncto, vel aſſumpto, aut alio modo ab officio amoto, ſunt admittendi in Capitulo proximo, cum Procuratore G. Ordinis in Curia, ſi venerit perſonaliter. Statuentes, & mandantes omnibus Prioribus Provincialibus, & electis Vicariis per Capitulum Provinciale, vacante officio Provincialatus, ut veniant ad Capitulum G. quilibet cum duobus ſociis canonice electis in Capitulo Provinciali rite celebrato, qui Fratrum omnium vocem, & auctoritatem habeant ad eligendum, conſtituendum, ordinandum, & faciendum omnia illa, quæ in Capitulo G. ſunt facienda, tamquam ſi omnes Fratres ſuæ Provinciæ perſonaliter intereſſent: nec aliquis Provincialis, aut Vicarius a Capitulo G., quacumque ſimulatione, audeat ſe abſentare, niſi infirmitate, aut debilitate contigerit detineri; vel niſi licentiam a Priore G. petitam obtinuiſſet.

*Qui ſunt illi, qui habent locum & vocem in Capitulo generali.*

*De ſociorum Provincialiũ auctoritate.*

2. Unus autem trium prædictorum ſit in Provinciali Capitulo electus in Diffinitorem Capituli G.: & ſi illum abeſſe contigerit dicto Capitulo, ſecundus ſit Diffinitor: & ſi duo defuerint, tertius præſens pro Diffinitore habeatur, non obſtante, quod fuiſſet Diffi-

*Qui poteſt eſſe Diffinitor in Cap. G.*

Diffinitor in Capitulo præcedente. Et ſi in eodem Capitulo contigerit aliquem Diffinitorem in Priorem G. eligi, ſecundus, aut tertius ſuæ Provinciæ pro Diffinitore habeatur. Et deferant hujuſmodi Diffinitor, & ſocii electi literas teſtimoniales de ſua electione expreſſas, ſub forma poſita in capite de Cap. Provinciali. Statuentes, quod Provincialis abſolutus, qui ante ſuam abſolutionem, aut reſignationem fuiſſet electus in Diffinitorem Capituli G, ſit Diffinitor, niſi fuerit inhabilis factus, aut niſi poſt eius abſolutionem, facta fuiſſet electio novi Provincialis, aut Vicarii: quia tunc in iſto caſu volumus, quod fiat electio de omnibus, quæ ſpectant ad Capitulum Generale. Quod autem dictum eſt de Provincialibus electis, & eorum ſociis, quod unus ex illis ſit Diffinitor in Capitulo G., debet intelligi etiam de Vicario G. Cong. Mantuanæ. Item de gremio Diffinitorii erunt Provinciales Titulares, Vicarius G. Sardiniæ, & Priores Tranſpontinæ, Neapolis, & Pariſiorum, & denique Procurator Generalis de novo electus, & etiam qui officium ſuum terminaverit.

*Ad le Priorem Drepani.*

De proviſione facienda per Provinciam Provinciali, & ſociis euntibus ad Cap. Gen.

3. Prioribus Provincialibus, & prædictis ſociis provideatur rationabiliter in expenſis a tota Provincia per Diffinitores Capituli Provincialis pro eundo, & redeundo, juxta quantitatem viæ, aut Regionum qualitates. Ordinantes, quod hujuſmodi expenſæ tempeſtive ſolvantur; itaut primo provideatur Diffinitori, quam cuiquam alteri. Volumus tamen, quod ſi contingeret Provincialem, aut alterum ſociorum quocumque caſu remanere, peculiam pro eo taxatam non recipiat: & ſi recepiſſet, reſtituat ſub pœna proprietariorum.

Quid debent facere Provinciales euntes ad Cap G. pro Capitulo G.

4. Item ordinamus, quod Provincialis veniens ad Generale Capitulum portet ſecum in ſcriptis numerum Fratrum vivorum, & quot defuncti fuerint citra ultimum Capitulum, & quot recepti.

5. Item mandamus omnibus Provincialibus, ut apud Reges, & Principes, & Dominos ſuarum Provinciarum eleemoſynam procurent pro G. Capitulo diligenter, & eam ſecum portent, ſub pœna depoſitionis ab eorum officiis.

6. Nullus intret Capitulum G. niſi ſex annos compleverit in Ordine, includendo annum probationis, & niſi triginta annos habeat in ætate. Item niſi fuerit Prior, qui ſciat loqui latine, vel ſit Lector, Baccalaureus, aut Magiſter.

*Cætera vide in §. xvi.*

7. Item nullus ad locum Capituli G., vel Provincialis veniat, ante vigiliam vigiliæ, quando in craſtinum eſt Capitulum inchoandum, ſub pœna privationis vocis, & loci ipſo facto, niſi a Præſidente licentiam obtinuerit ſpecialem.

CA-

# CAPUT II.

## *Quid agendum ſit, abſente Priore Generali.*

> Si Prior G. non poſſit intereſſe Capitulo, quid faciendum ſit.

SI Prior Generalis ad Capitulum G. venire non poſſit infirmitate, vel alia juſta cauſa forſan impeditus, mittat ſuos ſocios, ſigillum, atque papyrum, vel librum Ordinis ſigillo Generalium Comitiorum munitum per ejus Vicarium, aut Diffinitorem, vel Provincialem illius Provinciæ, in qua reſidet. Et ſi Vicarium mittat, præſidebit uſque ad ſcrutinium factum, & tunc terminetur ejus auctoritas. Et Provincialis antiquior ſecundum ordinem Provinciarum præſidebit, donec Prior G. fuerit in officio confirmatus: qui etiam ab initio præſidebit uſque ad confirmationem Generalis, ſi non miſerit Vicarium. Et Priore Generali abſente, & confirmato, eligatur unus de Diffinitoribus in Præſidentem a toto Capitulo, in qua electione præſideat etiam dictus Provincialis antiquior: nec hujuſmodi electio reiteretur, ſed qui plures voces habuerit, ſit Vicarius. Et ſi plures in vocibus ſint æquales, ille præficiatur de eiſdem, qui antiquioris Provinciæ erit Diffinitor: & tempore, quo ipſe præſidebit, utatur ſigillo Capituli G., quod quidem ſigillum includatur, Capitulo celebrato, cum libro Ordinis.

# CAPUT III.

## *Quid agendum ſit, mortuo Priore Generali, aſſumpto, vel amoto.*

> *Quid agendũ ſit in caſu V. App. n. 62. & 63.*
>
> Quis debet eſſe Vicarius generalis, mortuo vel aſſumpto G. &c.

1. VAcante Officio Generalatus quocumque modo, Prior Provincialis illius Provinciæ, in qua Capitulum Generale erat aſſignatum, aut ſi Provincialatus vacaverit per mortem, aut aſſumptionem Provincialis, & fuerit Vicarius electus in ea, Vicarius talis ſit Vicarius totius Ordinis: & fungatur auctoritate plenaria Prioris Generalis, ac vocet Capitulum Generale, & præſideat, donec Prior Generalis ſit electus, & confirmatus, niſi aliter a Sede Apoſtolica de Vicario Generali proviſum fuerit. Qui intra annum a vacatione Generalatus convocet Capitulum pro Priore Generali eligendo. Quod ſi terminum ordinatum plus diſtrahere oporteret, quam per annum, quia forte Generalatus Officium tali vacaret tempore, quod propter diſconvenientiam temporis, non poſſet intra annum convocari convenienter celebrandum, tunc poterit prolongari ad quatuor, aut ſex menſes, & non ultra. Et ſi tunc illa Provincia, nec Provincialem, nec Vicarium haberet electum, primus Diffinitor Capituli Provincialis præ-

præcedentis, ſi fuerit Magiſter: & ſi non fuerit, antiquior Magiſter; vel ſi non habeatur aliquis Magiſter, Prior Localis, aut Vicarius electus Conventus, in quo proximum Capitulum Provinciale in dicta Provincia erat celebrandum; vel primam vocem habens in illo Conventu, ſi Priorem, aut Vicarium non habuerit electum, citiſſime habet Capitulum Provinciale convocare: in quo, juxta formam poſitam de Capitulo Provinciali, eligatur Prior Provincialis, vel Vicarius: & eo ipſo, quo rite eſt electus, ſit Vicarius totius Ordinis. Et antequam Capitulum Provinciale præfatum terminetur, eligantur Socii, & Diffinitor pro Capitulo Generali: & per dictum Vicarium Ordinis, Capitulum Generale convocetur celeriter, ut dictum eſt. Si vero Vicarius ille mortuus, vel aſſumptus, aut ab executione Officii legitime impeditus fuerit, Prior Localis Conventus, aut Vicarius per Conventum electus, in quo Capitulum Generale eſt celebrandum, ſi fuerit Magiſter, & ſi non fuerit, antiquior Magiſter, fungatur prædicta auctoritate uſque ad Capitulum congregatum, & ex tunc ſenior Provincialis, ſecundum antiquitatem Provinciarum præſideat uſque ad electionem Prioris Generalis, quem etiam habeat confirmare.

2. Statuimus, quotieſcumque Officium Generalatus vacaverit, ut ſemper in proximo Capitulo Generali electio alterius celebretur, antequam aliquid diffiniatur, ſcilicet immediate facto ſcrutinio de culpis Provincialium.

Si eligatur in Generalem unus abſens quis debet præſidere.

3. Item ſtatuimus, quod ſi eligatur in Priore Generali unus abſens, ſtatim unus de Diffinitoribus eligatur ad præſidendum, modo prædicto.

4. Item ordinamus, quod Prior Provincialis, in cujus Provincia Prior Generalis obierit, vel aſſumptus ad altiorem dignitatem fuerit, accipiat Sigillum Officii Generalatus, & illud deferat ad Capitulum Generale, vel ad Vicarium Generale ſi per Sedem Apoſtolicam fuerit inſtitutum.

## CAPUT IV.

### *De modo celebrandi Generale Capitulum.*

Ordo dum Capitulum Generale incipit celebrari.

1. CUM dies aſſignata advenerit, non obſtante cujuſcumque abſentia, Generale Capitulum incipiatur celebrari in vigilia diei aſſignatæ: & primo, ſummo mane dicatur ſolemniter Miſſa de Spiritu Sancto; deinde fiat ſermo: poſt ſermonem fiat commemoratio Fratrum noſtrorum, Familiarium, Patronorum, Benefactorum, & literas Confraternitatis habentium, Defunctorum ex ſingulis Provinciis Ordinis, citra Generale Capitulum ultimo celebratum. Et in fine dicatur Pſalm. De profundis. Kyrie

rie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. A porta inferi. ℣. Credo videre bona Domini. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

ABſolve quæſumus, Domine, Animas famulorum, famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum: ut in reſurrectionis gloria inter Sanctos, & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Et ſtatim incipiat Præſidens Hymnum.

Veni Creator Spiritus &c. require cap. de induitione Novitiorum: quem Hymnum proſequatur Capitulum altiſone: in fine dicat Præſidens: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terræ. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Quibus dictis, & excluſis omnibus, qui non ſunt de gremio Capituli, videantur literæ Diffinitorum, & Sociorum, & fiat diligenter ſcrutinium, ſi rite, & canonice venerunt, & fuerunt electi. Et ſi quis aliter venerit, non debet intereſſe Capitulo. Si autem contingat aliquem electum Diffinitorem venire poſt ſcrutinium factum poſtquam aliquis de ſua Provincia fuiſſet admiſſus, non admittatur ad Diffinitionem.

2. Deinde ſi Prior Generalis non habeatur, quia mortuus eſt, vel aſſumptus ad altiorem dignitatem: tunc audiantur culpæ Provincialium, & reſponſiones eorum: & ſi aliqui amiſerint vocem, & locum, ipſo facto excludantur: & nulla pœnitentia alia eis tunc injungatur, donec per Priorem Generalem (poſt ejus electionem), & Diffinitores fuerint diſcuſſæ culpæ eorum. Si autem Prior Generalis habeatur, dicetur poſt in capite ſequenti, quando Provinciales facient culpas ſuas.

*Si quis Provincialium amittit locum, & vocē, aliud ſibi non injungatur donec, &c.*

## CAPUT V.

### *Quid agendum ſit, præſente Priore Generali.*

1. SI Prior Generalis habeatur, & fuerit præſens, facto ſcrutinio, ponat Sigillum Officii cum papyro, vel libro Ordinis, & reddat Diffinitoribus humiliter, & devote: vel ſi abſens fuerit, ponant hi Sigillum, per quos miſerit. Deinde Præſidente Diffinitore illius Provinciæ, in qua Capitulum celebratur, diligenter audiant Diffinitores culpas Prioris Generalis, quibus audi-

*Quando Gen. debet depunere ſigillum Capit.*

*Exceſſus propter quos P.G. ab ejus officio eſt abſolvendus.*

tis, determinent, an in officio ſit permittendus, vel ab eo abſolvendus: declarantes, quod exceſſus, propter quos Generalis eſt abſolvendus, ſunt quatuor: videlicet pro hæreſi, pro incorrigibilitate, pro peccato notorio, quod ſine ſcandalo Ordinis non poſſit tolerari; ultimo ſi omnino ſit inutilis. Si Prior Generalis pro culpis debeat abſolvi, pœnitentia ei pro modo culparum injungatur. Ipſi quoque Diffinitores, ſuper exceſſus præfatos Prioris Generalis, & non aliter, de eo corrigendo, & penitus amovendo, plenariam habent poteſtatem, ſi unanimem habuerint aſſenſum: quorum ſententia, ab omnibus eſt obſervanda; ita quod nemini liceat ab eorum juſta ſententia appellare: & ſi appellatum fuerit, pro nulla appellatio habeatur, cum appellatio a correctione Regulari ſit frivola, & in noſtro Sacro Ordine per Sanctam Obedientiam, ſub magnis pœnis, inhibita, par. 3. Conſt. cap. 3.

2. Si autem abſolvatur, ſtatim eo amoto, audiantur culpæ Provincialium. Et ſi tales ſint, quod eo facto, vocem, & locum amiſerint, ejiciantur de Capitulo: nec alia eis injungatur pœnitentia, donec eorum culpæ diſcutiantur in Diffinitorio, ut dictum eſt.

# CAPUT VI.

## *De electione Prioris Generalis.*

1. AUditis culpis Provincialium, ſtatim, & ante omnia ad electionem Prioris Generalis procedatur, ſi Officium vacaverit.

Qui non poteſt eligi in Priorem Gen.

2. Non poteſt eligi aliquis in Priorem Generalem, qui non compleverit in noſtro Ordine annos quindecim, & qui aliquando ab Ordine apoſtataverit. Caveant omnes, ſub Animarum ſuarum gravi periculo, quod fideliter eligant unum Fratrem Ordinis, quem ad tantum Officium exiſtimaverint digniorem.

Quomodo debeat fieri electio P. Gen.

*Seſſ. 25. c. 6. & 7.*

3. Electio autem Prioris Generalis nullo modo fiat per abſentium, ſed præſentium dumtaxat vota, legitime habentium locum, & vocem in Capitulo Generali: quæ adhuc per ſecreta ſuffragia fiat, non publicatis nominibus eligentium, juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini hoc modo, videlicet: unuſquiſque propria manu ſcribat votum ſuum, nomine tantum electi expreſſo, hoc modo: Eligitur, R. M. N. in Priorem Generalem noſtri Ordinis, nullo alio addito verbo: alioquin illius ſuffragium erit nullum, & nullius valoris; ſcripto autem ſuo voto, eligens ſchedulam propriis manibus complicet, eamque reponat in Pyxide: & omnium ſuffragiis abſolutis, unus de præcipuis gremialibus ad nutum Præſidentis ſingulatim dictas ſchedas extrahat, & evolvat; & alius, audiente toto gremio, vota ſingulorum eligentium legat, & pronunciet. Et tunc ille, in quem pars major,

jor, & ſanior convenerit omnium eligentium, ita videlicet, ut pars ſua partes alias ſimul junctas excedat, ille Prior Generalis habeatur ab omnibus: quod ſi non excedat, reiteretur electio uſque tertio; & ille tunc, in quem major, & ſanior pars convenerit, Prior Generalis habeatur: & publicatione votorum facta, ſuppreſſis nominibus eligentium, ſtatim habens primam vocem, dicat: Ego N. auctoritate mihi commiſſa, & nomine omnium eligentium, denuntio N. eſſe Priorem Generalem Ordinis noſtri, & pronuncio eum, virtute privilegii Ordini noſtro indulti a Sixto IV. in Mari magno Bulla 53. num. 16. fore Priorem Generalem legitime confirmatum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Si tamen electioni conſenſerit ipſe electus. Deinde in continenti comburenda ſunt Vota coram toto gremio.

Quomodo cõfirmatur P.G.

4. Ipſo autem ſic confirmato, ducant eum Fratres ad Eccleſiam cantantes: Te Deum laudamus. Ubi ante Altare, tapetis reverenter appoſitis, ſe proſternat, donec percantetur. Quo terminato, dicitur: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et dicat, qui præerat ejus electioni, vel qui confirmavit: Et ne nos. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terræ. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in eo. ℣. Salvum fac ſervum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Ora pro eo Sancta Dei Genitrix. ℟. Ut dignus efficiatur promiſſionibus Chriſti. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da ei in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Oratio.

PRætende, Domine, famulo tuo dexteram cæleſtis auxilii: ut te toto corde perquirat, & quæ digne poſtulat, aſſequatur.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum, & ſuper cunctam Congregationem illi commiſſam, Spiritum gratiæ ſalutaris: & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Oratio.

PRotege, Domine, famulum tuum ſubſidiis pacis, & B. Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentem, a cunctis hoſtibus redde ſecurum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde ſurgat, & oſculetur Altare reverenter, & præſentetur ei aſperſorium, quo ſe primo, deinde alios aſpergat. Tunc ſedeat in loco ſibi ante Altare parato reverenter, & Fratres ſinguli

guli ad eum accedentes, genibus flexis, manus ejus oſculentur humiliter, & devote: & ipſe de cætero ſit diligens, & intentus cum Dei timore ad Regimen Ordinis, & reformationem morum.

# CAPUT VII.

## *De Diffinitorio ipſius Capituli Generalis.*

De poteſtate Diffinitorū in Conſtitutione Provincialiū.

V. App n. 111. 117. & 119.

1. HAbito ergo Priore Generali, in Officioque confirmato, ipſe, ſi præſens ſit, vel Vicarius electus in ejus abſentia, cum Diffinitoribus, de inſtituendis, & mutandis Prioribus Provincialibus plenariam habeant poteſtatem, prout eis videbitur: & de aliis diffiniendis in dicto Capitulo: non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium; & qui decreto Capituli Generalis ſe oppoſuerit pœnas rebellium incurret. Et ſi Prior Generalis, vel Vicarius, & Diffinitores in aliquo diſcordarent, & in partes inæquales ſe diviſerint, ſententia plurium prævalebit, quibus Prior Generalis, vel Vicarius concordabit.

Priores, qui non poſſint niſi per P. G. abſolvi.

2. Ordinantes, quod in Conventibus Romanæ Curiæ, & aliis Priori Generali immediate ſubjectis, Priores inſtituantur, qui non poſſint abſolvi, niſi per Priorem Generalem: alii vero omnes ſubdantur Provincialibus ſuis. Similiter ordinetur per eos de Procuratore in Romana Curia, & de Lectoribus in Univerſitatibus, & etiam de Regentibus, ſi neceſſe fuerit; & cum bona diſcretione diſcutiant culpas Provincialium, & ordinent de illis, & de cæteris pacifice.

P. G. in præſentia Capituli reddat rationem, &c.

3. Prior Generalis, vel Vicarius ejus, & Procurator Ordinis in præſentia Capituli reddant rationem de expenſis factis pro negotiis Ordinis exequendis; ſimiliter, & Procuratores Generalis Capituli, & Fratres ordinati ad recipiendum, & exponendum, Priori Generali coram Diffinitoribus, & aliis Fratribus, quos vocare voluerit.

# CAPUT VIII.

## *De publicatione, & literis, ac ſigillationibus actorum Capituli Generalis.*

De modo publicandi acta Capituli Gen.

1. VOlumus autem, quod cum publicanda fuerint acta Capituli Generalis, pulſata nola Capitulari, & Congregatis Fratribus, ſtatim Priores Provinciales, & etiam Locales Romanæ Curiæ &c. ab Officiis ſuis abſolvantur, & ſtatim ſigilla cum literis Officiorum ſuorum, reddere non omittant Præſidenti, & Diffinitoribus. Unde ſtatuimus, quod ſi contingeret Provinciales remane-

manere cauſa infirmitatis, vel alia legitima, habeant per Socios ſuos Sigilla cum literis mittere, ſub pœna arbitraria Diffinitorum: quibus redditis, omnia acta & diffinita legantur, pœnitentiæ denuncientur: ſimiliter, & gratiæ pœnarum relaxativæ, & cæteræ ſententiæ promulgentur. Quibus peractis Præſidens vocet inſtituendos Provinciales propriis nominibus, & prædictos Priores Locales ſigillatim: qui vocati coram ipſo, genua flectentes, & ipſe ſingulis tradendo ſigillum Provincialatus dicat: Auctoritate noſtra, & de unanimi aſſenſu Diffinitorum præſentis Capituli, facimus, ordinamus te N. Priorem Provincialem noſtræ Provinciæ N. dantes tibi curam animarum omnium Fratrum dictæ Provinciæ, & adminiſtrationem omnium bonorum in ſpiritualibus, & temporalibus, ſecundum noſtri Ordinis inſtituta. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Et ille cum humilitate, & reverentia ſigillum recipiat, manum Præſidentis oſculando, & dicendo; Deo gratias. Et ſi ille fuerit abſens, dicatur in tertia perſona: Nos facimus, & ordinamus talem Fratrem Priorem Provincialem, vel Priorem noſtri Conventus N. &c. De inſtitutione Provincial

2. Quibus omnibus inſtitutis, detur eis literæ teſtimoniales, munitæ ſigillis Præſidentis, & Communitatis Ordinis pendentibus, de injunctis ſibi Officiis. Et ſtatuimus, quod nulla litera ſigillo Communitatis Ordinis, aut cujuſcumque Provinciæ, vel Conventus ſigilletur, niſi coram toto Capitulo, cujus eſt ſigillum, & attente legatur; & niſi etiam a majori, & ſaniori parte concedatur, ſub pœna falſariorum infligenda, demptis literis de promotionibus & Officiis, lectis, & actis in Capitulis, & in libro communi redactis, aut redigendis. De ſigillo Cõmunitatis totius Ordinis, & etiam Cõmunitatis ſingularum Provinciarum.

3. Item ſtatuimus, quod Sigillum commune Capituli Generalis, celebrato Capitulo, & literis ſigillatis in præſentia totius Capituli, ſignatum ſigillo Prioris Generalis, & Provincialis, in cujus Provincia fuerit celebratum Capitulum, ac Prioris illius Conventus, cum papyro ſimiliter ſignato, tradatur Provinciali, in cujus Provincia futurum Capitulum erit aſſignatum, & ponatur in Conventu illo, ſub communi cuſtodia diligenter conſervandum: niſi aliter diſpoſitum fuerit per Capitulum Generale. Suo modo Sigillum commune cujuslibet Provinciæ, una cum papyro communi, coram toto Capitulo Provinciali concludatur, ſub Sigillo Præſidentis, & Prioris Loci, in quo Capitulum fuit celebratum, & tradatur Priori Conventus, in quo ſequens Capitulum Provinciale erit aſſignatum, ibi reſervandum in Arca communi: niſi aliter diſpoſitum fuerit per Capitulum Provinciale.

4. Item ſtatuimus, quod Socii Prioris Generalis jurent in Capitulo, quod erunt ei, & Officio ſuo Fideles: & quod nullam literam gratiæ, aut juſtitiæ, obedientiæ, vel licentiæ ſigillabunt, quæ non ſit ſcripta, aut ſignata manu ejus in aliqua parte Socii P. G. jurent in Cap. quod erūt fideles ei, &c.

parte ſui: nec ſigillari facient, aut permittent, niſi teneant ſigillum, aut fuerint præſentes, & videntes. Idem volumus de Sociis Provincialium, & eorum literis ſuo modo fieri per omnia, & obſervari.

Pro ſigillatione literarum nihil recipiatur.

5. Item nullus Socius Prioris Generalis, & Provincialis, aut cujuſcumque Vicarii, vel Prioris Localis, ab aliquo Fratre, pro ſigillatione qualicumque, recipiat aliquod munus, ſub pœna gravioris culpæ per quinque dies infligenda.

*Falſariorum pœna.*

6. Item ordinamus, quod omnis falſarius literarum Prælatorum, aut Communitatum Ordinis, ſi convictus, aut confeſſus fuerit, carceri mancipetur, quamdiu Priori Generali videbitur expedire.

# CAPUT IX.

## *De terminatione ipſius Generalis Capituli.*

Quid agendú in terminatione ipſius C. G.

1. FInaliter poſt prædictas inſtitutiones, fiat commemoratio Fratrum, Familiarium, Patronorum, Benefactorum, aut literas Confraternitatis habentium vivorum, per ſingulas Provincias: & ſpecialiter illorum, qui G. Capitulum notabili eleemoſyna viſitaverint. Et illis commendatis, dicatur Pſal. Ad te levavi. Gloria Patri &c. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. ℣. Salvos fac ſervos tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Eſto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiet inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Ora pro eis Sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiantur promiſſionibus Chriſti. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

PRætende, Domine, famulis, & famulabus tuis dexteram cæleſtis auxilii: ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, aſſequantur.

Oratio.

DEUS, qui charitatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudiſti; da famulis, & famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, ſalutem mentis, & corporis: ut te tota virtute diligant, & quæ tibi placita ſunt, tota dilectione perficiant.

Oratio.

PRotege Domine, famulos tuos ſubſidiis pacis: & Beatæ Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentes, a cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per Chriſtum Dominum.

Quibus finitis, Præſidens incipiat alta voce: Te Deum laudamus.

damus. Et vadant Fratres ad Chorum cantando. Quo facto dicatur Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter Deinde dicat Præſidens. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terræ. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in eis. ℣. Salvos fac ſervos tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. ℣. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere: & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulos tuos, & ſuper cunctas Congregationes illis commiſſas, Spiritum gratiæ ſalutaris: & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Oratio.

PRætende, Domine, ſuper famulos tuos dexteram cæleſtis auxilii: ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, aſſequantur.

Oratio.

DEUS virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum; inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis; & præſta in nobis Religionis augmentum: ut quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita cuſtodias.

Oratio.

ADéſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: ut inter viæ, & vitæ hujus varietates, tuo ſemper protegantur auxilio.

Oratio. Protege, Domine, famulos tuos &c.

Quibus completis, omnes coram Præſidente proſtrati dicant.

Confiteor Deo &c. Et ipſe ſubjungat, Miſereatur veſtri &c. Indulgentiam. Et fiat generalis abſolutio ſuper Fratres, prout in Breviario habetur. Et in fine dicat: Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

CA-

# CAPUT X.

## *Quando, & de quibus Capitulum Provinciale eſt celebrandum.*

Quando celebrandum ſit Cap. Provinc.

1. CApitulum Provinciale, ad levanda Religionis gravamina, crebraſque concurſationes evitandas, de triennio in triennium celebretur Dominica tertia poſt Paſcha Reſurrectionis Domini noſtri, niſi aliter per Priorem G. fuerit diſpenſatum, (quod tamen non faciet, niſi raro ex juſta, & rationabili cauſa,) ſub pœna uſurpantium officium Majorum, Provincialibus, & Diffinitoribus aliter ordinantibus, infligenda.

De quibus celebrandum eſt Cap. Provinc.

V. App. n.130.

2. Celebrandum eſt Capitulum Provinciale de Prioribus, & Vicariis Conventuum electis, vel legitime inſtitutis, & quolibet eorum cum uno ſocio rite a Conventu electo: cum Provinciali, & ejus ſocio, necnon cum Præſidente, & ſocio, qui unus tantum eſſe poteſt, etiam ſi fuerit Præſes a Reverendiſſimo Patre Generali inſtitutus. Poterunt etiam Vicarii novorum Locorum, in quibus degent Fratres cum voce, & loco numerum quaternarium excedentes, cum ſocio rite electo intereſſe.

Quæ ſit auctoritas Sociorum in Capit. Provinc.

De Prioribus non habentibus locum, & vocem in Capit. Provinc.

3. Socii habeant auctoritatem ad omnia, quæ in Capitulo erunt facienda, ac ſi omnes Fratres Conventus perſonaliter intereſſent. Declarantes, quod ſi in aliquibus domibus noſtris ſint aliqui ſub nomine Prioris conſtituti, qui præfatum numerum quaternarium excedentes Fratres non habeant, tales non habent vocem & locum in Capitulis Provincialibus, ſicut nec locorum novorum Vicarii: neque Provincialis (conſentientibus etiam gremialibus omnibus) poterit eis vocem, & locum dare, ſub pœna prædicta: non obſtante quacumque conſuetudine aliquarum Provinciarum.

De Conventibus qui caſu aliquo nõ habent ſufficientem numerũ pro eligendo Socio.

4. Cæterum, ſi evenerit caſus, quod Conventus, in quo regulariter degere ſolent Fratres vocales numerum quaternarium excedentes, ob aliquod infortunium non valeat ſuſtentare tot Vocales, qui pro electione ſocii Prioris ituri ad Capitulum ſufficiant; nihilominus ſi Prior Provincialis ante ſex menſes immediate futuram ſocii electionem præcedentes in eo ſufficientem Vocalium numerum collocaverit, ab illo poterit Socius eligi, & cum eo rite electo Prior Capitulo Provinciali intereſſe.

Provinciales non poſſunt novos Priores, & Socios pro abſentibus creare.

5. Item ſub eadem pœna, non præſumant Provinciales in Capitulis ſuis Priores novos, aut Socios creare pro aliorum abſentia: cum non poſſint Priores abſolvi, niſi in Diffinitorio. Socii vero canonice electi in Conventibus, de ſua electione facere debent fidem per literas ſub ſigillo communi Conventus: aliter Capitulo non poſſunt intereſſe.

6. Item

Qui Magiſt. habent locum in Capitulo Provinc.

6. Item poterunt Magiſtri in Theologia, qui promotionem tenuerunt per ordinem ſibi factam, complendo curſus ſuos in Univerſitatibus juxta Ordinis ſtatuta, in Provincia, in qua collocati erunt de familia, intereſſe. Cæteri vero, qui gradum aliter ſibi procuraverunt, nullatenus admittantur; niſi eſſent Priores, vel eorum ſocii, aut Vicarii rite etiam electi, ſub pœna prædicta admittentibus infligenda.

Qui non poſſunt eſſe gremiales in Capit. Provinc.

7. Item nullus ſit gremialis in Capitulo Provinciali, niſi a ſua profeſſione compleverit tres annos in Ordine: nec aliquis ſocius Prioris, aut Vicarii, qui ante receſſum ſui Majoris a Conventu, per dies octo, aut plures, fuerit electus, ſi abſque evidenti damno Conventus Fratres infra octo dies ante receſſum poſſint intereſſe electioni.

Nullus Frater mutatus poſt elect. ſoc. habeat vocem in electione &c.

8. Item nullus Frater ab illo Conventu, poſtquam electus fuerit ſocius ad Capitulum, mutatus, habet vocem in electione ſocii in Conventu, ad quem mutatur; etiam ſi in ejus obedientia habeatur, quod ſibi datur vox, & locus.

Socii electi ad G. C. habent vocem in ſeq. C. P.

9. Item in Capitulo ſequenti Generale Capitulum habeant vocem, & locum ſocii, qui fuerunt in præcedente electi ad Generale Capitulum, dato etiam quod non interſuiſſent Generali Capitulo, ſi feciſſent, quod in ſe fuit, ut accederent: & oſtendere habent, quo legitimo impedimento occurrente non valuerunt intereſſe, ut puta infirmitate, deprædatione, violentave detentione &c. quod quidem diſcernere habeat Capitulum Provinciale.

Prior P. abſolutus in C. G. & Vic. elect. in cuſtodiam Provinciæ habent vocem in Cap. Prov.

10. Prior Provincialis, aut Vicarius Provincialis abſolutus in Generali Capitulo, etiam Vicarius electus in Cuſtodem Provinciæ, dato etiam, quod Provincialis cuſtodiſſet Provinciam, & non acceſſiſſet ad Generale Capitulum, erunt gremiales ſi interſint; & valeant omnes præfati eligere, & eligi, niſi aliud impedimentum legitimum obſtaret. Et volumus hoc intelligi, non de Capitulo, quod celebratur cum Capitulo Generali, ſicut communiter fit in eadem Provincia; ſed de Capitulo, quod celebrabitur poſt illud.

Nullus vocalis accedat ad locum Cap. ante vigiliam vig. V. App. n. 147.

11. Item, ſub pœna privationis vocis, & loci ipſo facto, in dicto Capitulo, nullus de Vocalibus accedat ad Capitulum ante vigiliam vigiliæ, ſcilicet dum in craſtinum eſt Capitulum inchoandum, ſine expreſſa licentia Provincialis, ſeu Præſidentis.

## CAPUT XI.

### *De forma celebrandi Capitulum Provinciale.*

Quomodo ſit publicandus Præſid. Cap. Provin.

1. CUM venerit vigilia vigiliæ, de mandato Provincialis officium depoſituri, vel alterius, qui congregaverit Capitulum (ſi nondum conſtiterit de Præſide inſtituto a Priore Generali) ſtatim

ſtatim poſt decantatas Veſperas, ad ſonum campanellæ ter pulſatæ fiat ſignum congregandi Capitulum, quo audito omnes gremiales feſtinanter conveniant ad Capitulum, vel alio, ubi decenter adeſſe poſſint, ſicut ipſi Provinciali videbitur expedire: quibus conſedentibus, Provincialis verbum habebit opportunum; quo expleto præſentabuntur, & publicabuntur literæ R. P. Ordinis, ſi quæ extiterint, virtute quarum aliquis fuerit illius Capituli Inſtitutus Præſidens; qui pro tali ab omnibus habebitur, illique debita præſtabitur obedientia, primo a Priore Provinciali, deinde ab aliis ſucceſſive. Qui Præſidens deinceps fungetur officio ſuo. Quod ſi nullæ fuerint literæ Patris Ordinis præſentatæ, Prior Provincialis declarabit, & pronunciabit Præſidentem illius Capituli, primum Diffinitorem præcedentis Capituli, vel antiquiorem Magiſtrum in Provincia, juxta ea, quæ ſtatuta ſunt in 2. p. cap. 2. de officio Provincialis §.16.

*Quid agendũ Cap. Provinciale initiatur*

2. Die vero Sabbati aſſignata, ſcilicet vigilia feſti, non obſtante cujuſcumque abſentia, inchoetur, & celebretur eodem modo ſicut Capitulum Generale. Primo dicatur Miſſa, fiat ſermo, commendentur Fratres defuncti ſingulorum Conventuum, & reliqua uſque ad ſcrutinium completum: & examinatis literis ſociorum, omnes gremiales a Præſidente interrogentur, ſi in aliquo ſociorum, aut Magiſtrorum ſciant aliquod impedimentum, propter quod non deberent habere locum. Quod ſi reperiatur, confeſſum, aut ſufficienter probatum ſtatim ejiciatur, antequam ultra procedatur. Facto autem prædicto ſcrutinio, immediate culpæ Priorum audiantur: & accuſationes Conventuum recipiantur: & depoſitiones teſtium recitentur in omnium præſentia, ſine expreſſione nominum teſtificantium, niſi evidens neceſſitas hoc requirat. Et ſi tales ſint culpæ, propter quas ſecundum Statuta Ordinis amiſiſſent vocem, & locum, ipſo facto excludantur a Capitulo: nec Provincialis poſſit in hoc diſpenſare, niſi in fine Capituli de conſenſu Diffinitorum, ſi ſtatuta in caſu illo eis remittant: & nulla alia pœnitentia eis injungatur, donec in Diffinitorio fuerint eorum culpæ pertractatæ.

*Quæ teneantur deferre Priores ad Capitulum Prov.*

3. Statuimus autem, quod quilibet Prior Conventualis portet ſecum ſub ſigillo Conventus, ſciente ſocio, ſtatum domus, ſcilicet rerum Sacriſtiæ, Librariæ, comeſtibilium, potabilium, omnium proviſionum quantitatem, & numerum, & breviter omnium rerum notabilium Conventus. Et ſi quæ citra Capitulum Provinciale fuerint perditæ, venditæ, vel alienatæ quovis modo: & debita omnia, tam activa, quam paſſiva in culpa ſua præſentet Præſidenti, ſub pœna privationis vocis, & loci eo facto, quo negligenter omiſerit dictum ſcriptum in Diffinitorio aperiendum, & diſcutiendum in præſentia Diſcreti Conventus. Et faciant Præſidens, & Diffinitores omnia illa inventaria ſimul ſcribi, & Pro-

vin-

vincialis illa ſecum deferat in viſitatione, & Prioribus quibuslibet reſtituat ſcriptum ſuum.

## CAPUT XII.

### *Quid agendum ſit, Provinciali abſente, mortuo, vel aſſumpto.*

CUM Provinciale Capitulum ſit celebrandum de triennio in triennium Dominica tertia poſt Paſcha, ſi contigerit Provincialatus officium alio tempore vacare, ut occurramus incommodis, quæ ex intempeſtiva Capituli Provincialis celebratione oriuntur: decernimus, ut primus Diffinitor, ſi fuerit Magiſter, alioquin antiquior Magiſter in Provincia: & ſi non fuerint Magiſtri in Provincia, primus Diffinitor etiam non Magiſter, Provinciæ regimen ſuſcipiat, donec per eum feſtinanter certior factus Rm̃us Pater Vicarium Provincialem inſtituat, duraturum uſque ad ſequentem proximam tertiam Dominicam poſt Paſcha, qui tamen pro eo tempore nihil grave, quodve in futuræ electionis præjudicium cedat, inconſulto Rm̃o Patre, in Provincia decernere, aut mutare poſſit. Quis debeat gubernare Provinciam officio Provincialatus vacante.

## CAPUT XIII.

### *De electione Diffinitorum.*

1. AUditis culpis (ut dictum eſt) Priorum Localium; & ejectis ejiciendis, procedatur ante omnia ad electionem Diffinitorum citiſſime: in qua electione quilibet gremialium eligat per ſuffragia ſecreta (ut in Capitulo de Clavariis dictum eſt) quatuor Fratres etiam gremiales, qui non fuerint in ultimo Capitulo Diffinitores, eos nominando ſingulatim. De electione Diffinitorum.

2. In hac electione Prior Generalis (ſi ibi præſideat) vel ejus Vicarius in ſui abſentia, & Provincialis, & eorum ſocii habeant vota: & in eodem loco, antequam diſcedant ab invicem, electionem publicent: & qui plura vota in electione habuerit, erit primus Diſſinitor: qui vero plura poſt illum, erit ſecundus: & ſic de aliis. Si autem plures æqualia vota habuerint, teneant ordinem ſuæ profeſſionis, ſeu dignitatis. Publicentur etiam tam illi Patres, qui pauciora habuerint vota, quam illi, qui remanſerunt Diffinitores electi, & adnotentur in libro Provinciæ per ordinem ſecundum numerum majorem ſuffragiorum, ut ex illis poſſit ſuppleri numerus Diffinitorum, ſi caſus emerſerit, prout inferius dicetur cap.20. n.2. Quis habet vocem in electione Diffinitorum. *Qui non habet vocem in hac electione vide infra cap.24, n.7.*

3. Nullus tamen poteſt eligi in Diffinitorem, niſi fuerit Sacerdos, Quis non poteſt eligi in

Diffinitorem. V. App. n. 131. 132. & 138.

cerdos, & niſi habeat quinque annos expletos profeſſionis; & ſi ſit Magiſter, qui compleverit curſum ſuum ſecundum Statuta Ordinis. Sint etiam Diffinitores in ætate triginta annorum conſtituti. Videatur etiam diligenter caput de electionibus in communi, ne aliquis error in ſpeciali contingere poſſit.

# CAPUT XIV.

## *De culpa Prioris Provincialis facienda.*

Quomodo ſit agendum cum Provinciali, qui compertus fuerit reus.

1. ELectis Diffinitoribus, Provincialis coram Præſidente, & toto gremio dicat culpas ſuas, & humiliter, manſueteque audiat accuſationes Conventuum: & ſi compertus fuerit, vel per ejus confeſſionem, vel per ſufficientem probationem reus talis culpæ, propter quam ſecundum Statuta Ordinis vocem amiſerit, ipſo facto expellendus erit: nulla autem ei injungenda pœnitentia, donec fuerint ejus culpæ in Diffinitorio viſæ, & diligenter diſcuſſæ.

Provincialis non poteſt ſine licentia officium ſuum renuntiare.

2. Item nullus Provincialis poteſt ante completum ſuum triennium ſponte abrenunciare officio ſuo, abſque Prioris G. licentia: & ſi illa obtenta ſponte abrenunciaverit, poterit eſſe de gremio Capituli, non tamen de Diffinitorio, niſi eligatur.

# CAPUT XV.

## *De electione Provincialis.*

1. MOrtuo Priore Provinciali aſſumpto, vel amoto, Præſidente primo Diffinitore, ſi Prior Generalis non fuerit præſens, aut ejus Vicarius, vel aliquis Præſidens ſpecialiter ab ipſo Priore Generali deputatus, Gremiales procedant, antequam aliud diffiniatur, ad electionem Prioris Provincialis.

Quis non poteſt eligi in Provincialem. V. App. n. 136.

2. Nullus poteſt eligi in Provincialem, niſi fuerit nominatus, & præſentatus gremialibus Capituli a Priore Generali, vel ejus Vicario de ipſius aſſenſu; & niſi fuerit Doctor, aut præſentatus, aut ſaltem habilis ad docendum; & ſimul ſit probatæ vitæ. Cæterum ne contingat Reverendiſs. Patrem in hujuſmodi nominatione digniores omittendo, minus dignos, ob non habitam debitam eorum notitiam, cum Religionis detrimento gremialibus proponere; debet omnem adhibere diligentiam, ut veram, & certam habeat cognitionem omnium, & ſingulorum Magiſtrorum, aliorumque graviorum Patrum cujuſcumque Provinciæ, ut ex eis valeat ſecundum rectum dictamen conſcientiæ, conſideratis omnibus conſiderandis, magis benemeritos, & idoneos nominare. Si tamen contingeret Provinciam aliquam eſſe Magiſtrorum expertem, eligatur

*Ad Tim. 1. c. 3.*

gatur aliquis Magiſter alienæ Provinciæ: nam Apoſtolus docuit, Epiſcopum oportere Doctorem eſſe: & hoc etiam Provincialibus congruere eſt æquum, & honeſtum.

3. Provincialis, abſoluto triennio ſui Provincialatus, non religatur, neque aſſumatur ad eam dignitatem, & officium in eadem Provincia, niſi per ſexennium integrum vacaverit. Poterit tamen Prior Generalis ſuper hoc, juxta locorum, & temporum varietates, & rerum, occaſionumque neceſſitates diſpenſare, & aliter ordinare. Item ad viam ambitus omnino præcludendam, & plurima alia inconvenientia impedienda, quæ docuit experientia, quandoque in Provincialis electione Præſidentium poteſtate, cauſari, prohibetur, ne Præſidens Capituli Provincialis in Provincialem poſſit eligi.

*Provincialis niſi per ſexennium vacaverit, non poteſt reeligi.*

4. Electio autem Provincialis fiat per vota ſecreta, eo modo & forma, quibus electio Prioris Generalis fit, & obſerventur omnia illa, quæ ibi ponuntur, excepto, quod Provincialis eſt per Priorem Generalem confirmandus: quem etiam prædictus Prior G. confirmare tenebitur, niſi in ipſo, vel Electoribus, aut electione error evidens appareret: quem errorem ab ipſo Priore G. judicandum determinamus. Electus autem Provincialis, in literis Capituli dandis, non ſe Provincialem ſimpliciter nominet, ſed electum in Provincialem.

*G. tenetur Provincialem confirmare, niſi fuerit error in ipſo, vel electoribus, aut electione.*

5. Si autem contingerit unum de Diffinitoribus in Provincialem eligi, vel in Vicarium Provinciæ: tunc ſtatim poſt electi pronunciationem, alius eligatur Diffinitor, loco ejus; & ſi abſentem contingat aliquem eligi in Provincialem, vel Vicarium Provincialem: ordinamus, quod per literas ſigillo communi Provinciæ ſigillatas, ejus electio a Præſidente, & Diffinitoribus ei inſinuetur, & modus, & forma electionis, nomina eligentium penitus ſubticendo.

*Si aliquis Diffinitor eligatur in Provincialem, vel Vic. alius loco ejus eligatur Diffinitor &c.*

6. Si contingat in eodem anno occurrere Capitulum Generale, & Provinciale; ad tollendas expenſas, & multa alia incommoda vitanda: Statuimus, quod ſi Capitulum Generale fuerit celebrandum in Italia, in Provinciis extra Italiam Capitulum Provinciale, & Provincialis officium prorogetur ad ſequentem annum in tertia Dominica poſt Paſcha, niſi Capitulum Generale de novo Provinciali providerit, & idem fiet in Provinciis extra Galliam, ſi in Gallia celebrabitur Capitulum G. & in Provinciis extra Hiſpaniam, ſi in Hiſpania, & ſic de reliquis.

*Si Cap. G. celebrandum ſit in Italia eodem anno, quo etiam Capit. Provinciale, iſtud in Provinciis extra Italiam prorogatur ad quartum annum.*

*V. App. n. 141.*

CA-

# CAPUT XVI.

## *De electione Sociorum Provincialis ituri ad Generale Capitulum, & Diffinitoris.*

1. NOvo Provinciali electo, abſque mora etiam ſi nihil ſit certum de Capitulo Generali celebrando infra proximum triennium, eligantur ei duo Socii: in qua electione neque Prior Generalis, nec Provincialis vocem habent.

Qui poſſunt eligi in Socios Prov. ituri ad Cap. G.

V. *App.* n. 131. 134. 135. & 137.

2. Ordinamus, quod non poſſit eligi in Socium hujuſmodi, niſi fuerit Magiſter, Baccalaureus, aut Lector in Theologia: vel niſi fuerit alias Prior, & ſciat loqui Latine, & etiam niſi habeat triginta annos in ætate: nec poteſt aliquis exiſtens Prior, aut Lector, aut Conventualis in aliqua Provincia eligi in altera; ſed ſolum in ipſa, in qua ipſe eſt conſtitutus Prior, Lector, aut Conventualis: nulluſque etiam, qui fuerit electus Socius pro Capitulo Generali immediate præcedenti, licet non acceſſerit. Studentes vero, & Graduati in Univerſitatibus, aut ſtudiis generalibus non actu legentes, poterunt eligi in ſuis Provinciis.

Qui non habet vocem in electione ſociorum.

3. Nullus quoque mutatus de Provincia ſua ad aliam Provinciam, poſtquam Socii ſunt electi in Provincia, a qua mutatur, vocem habere poſſit in Provincia, ad quam mutatus eſt. Inſpiciatur etiam caput de electionibus in communi.

Qualiter procedendum ſit in electione ſociorum Provincialis ituri ad Cap. G. &c.

4. In electione horum Sociorum, idem ſervetur quod in aliis electionibus, de quibus ſupra: & illi, qui plura vota habuerint, quam omnes alii ſimul juncti, ex hoc ipſo Socii habeantur. Et ſi contingat tales Electores non concordare tertia vice, illi, qui plura vota habuerint, quam aliqui alii, ſint Socii. Et ſi æqualia vota duo vel plures habuerint, illi præponantur, qui primum locum tenent in Ordine, attenta tamen antiquitate, aut gradu: & in libro Provinciæ deſcribantur omnes, qui in hujuſmodi electionibus aliquas habuerint voces, ut ex illis poſſit ſuppleri numerus Sociorum, ſi evenerit caſus, de quo infra *in illo eodem* capite.

Electio Diffinitoris.

5. Quibus electis, ſtatim de Provinciali, *& illis duobus Sociis*, unus eligatur in Diffinitorem Capituli Generalis, qui non fuerit electus Diffinitor in Capitulo Generali immediate præcedenti. Prædictis autem Sociis, & Diffinitori dentur literæ teſtimoniales de electionibus ſuis, & ſuper conſtituendis, invocandis, & agendis in Capitulo Generali habeant poteſtatem, ac ſi omnes Fratres Provinciæ adeſſent præſentes.

Quid faciendum, ſi ſocii electi nequeant accedere ad C. G.

6. Si evenerit caſus, quod aliquis ex Sociis, vel eorum uterque nequeant morte præventus, vel ob aliquod aliud legitimum impedimentum accedere ad Capitulum Generale, minime congreganda

ganda eſt Provincia pro nova Sociorum electione; ſed ille erit Socius, qui in proxima præcedenti, poſt illos, qui remanſerunt electi, legitime plura habuerit vota: & ſi duo fuerint pares in votis, ille erit Socius qui gradu, vel profeſſione major extiterit. Fient autem literæ Sociorum ad Capitulum Generale in ſequenti forma.

## CAPUT XVII.

### *Literæ Sociorum iturorum ad Capitulum Generale.*

1. Reverendis in Chriſto Patribus, Priori Generali, vel Vicario Generali, & Diffinitoribus Capituli Generalis anno N. & die N. in feſto N. in Conventu N. celebrandi, Ordinis Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli: ſui humiles filii, & ſubjecti Diffinitores, & cæteri Fratres de gremio Capituli Provincialis Provinciæ N. in Conventu N ejuſdem Ordinis, in feſto N. anno N. & die N. celebrati: Obedientiam debitam, & Sancti Spiritus conſilium in agendis. Venerandæ diſcretioni veſtræ pateat evidenter: quod nos in dicto loco, & tempore, pro præfato Capitulo noſtro celebrando, cum ad electionem Sociorum noſtri Prioris Provincialis ituri ad Capitulum Generale ſupradictum, & Diffinitoris Capituli prædicti, procederemus & eſſemus. oo. eligentes, nemine indebite excluſo, vel admiſſo, Frater N. pro primo Socio habuit vota. oo. & Frater N. oo. pro ſecundo, de numero eligentium prædictorum. In ſecunda vero electione, pro Diffinitore eligendo Prior Provincialis, vel Frater N. a oo. eligentibus in Diffinitorem fuit electus. Quibus ſic electis, damus licentiam, & auctoritatem noſtram atque poſſe eligendi, conſtituendi, amovendi, diffiniendi, ac omnia alia agendi pro nobis in dicto Capitulo Generali, quæ facere poſſemus, ſi omnes præſentes eſſemus: ratum, & gratum habentes, quidquid factum fuerit per eoſdem. Datum, & actum, loco, & tempore, quibus ſupra. In quorum teſtimonium, ſigillum noſtræ Provinciæ præſentibus eſt a tergo impreſſum.

2. Et quoniam ubi non eſt ordo, omnia tumultuarie fiunt, diſſenſioneſque, & odia quamplurima ſuboriuntur: ordinamus, quod in Capitulo Provinciali, Socii Provincialium habeant locum poſt Priores Locales, niſi fuerint Magiſtri: in Capitulo Generali omnes Socii Provincialium immediate habebunt locum poſt Provinciales omnibus in locis, tametſi adeſſent antiquiores Magiſtri. Socii vero Prioris Generalis præcedent Socios Provincialium: & dum viſitaverit, ejus Socii teneant locum, juxta conſuetudinem antiquam Ordinis.

Locus ſociorum tam Generalis quam Provincialis.

*V. App n 45.*

3. Ordinamus autem, quod Prior Provincialis poſſit ad nutum

Provincialis poteſt ad nu-

tum ſibi ſociũ eligere non tamen electum mutare.

tum ſuum ſibi unum eligere Socium, qui ſit probatæ, & laudabilis vitæ, ſed tantum in Capitulo Provinciali (cum in eo debeat illi Socius fidelitatem jurare, ut dictum eſt in hac quarta parte cap. 8. num. 4.). Et ita non poteſt alium eligere, niſi ex hac vita decedat, vel ob infirmitatem reddatur inhabilis, vel probetur contra eum aliqua notabilis culpa, puta infidelitatis, vel alterius generis, propter quam voce ſit privandus: in quo tamen caſu, eo negante, Provincialis ſolum poterit eum a Sociatu ſuſpendere uſque ad proximum Capitulum Provinciale, vel ad Congregationem Diffinitorum, in qua terminabitur cauſa; interim tamen eliget Provincialis alium Socium ſibi bene viſum.

# CAPUT XVIII.

## *De electione Vicarii, & ejus poteſtate.*

Vicarius Provincialis eligatur a tota Provincia.

1. Electis Sociis, & Diffinitoribus pro Capitulo Generali ſtatim eligatur Vicarius ad cuſtodiam Provinciæ, tempore quo Provincialis iverit ad Capitulum Generale, per ſuffragia ſecreta, ut ſupra dictum eſt: in qua electione, & Prior Generalis, & Provincialis habent vota: & qui plura vota habuerit, quam omnes ſimul, ſit eo ipſo Vicarius & Cuſtos Provinciæ.

Provincialis eligat alterũ Vicarium pro caſu fortuito.

2. Electo Vicario ad Cuſtodiam Provinciæ, Prior Provincialis pro caſu fortuito auctoritate ſua alium ſubſtituat, qui primi per mortem, aut alias deficientis, vel a Provincia abſentis, vices ſuppleat, & auctoritatem habeat ad quæcumque. Declarantes, quod ſi dictus Vicarius electus, non fuerit mortuus, aut infirmitate invalidus, vel a Provincia abſens, Vicarius per Provincialem inſtitutus nulla fungatur auctoritate in adminiſtratione, aut regimine ſupradicto.

Vicarii in caſu neceſſitatis poterunt aliũ Vicarium ad viſitandũ inſtituere.

3. Item ordinamus, quod in caſu, quo quilibet Vicariorum prædictorum, pro tempore, quo ſua vigebit auctoritas, non ſolum propter infirmitatem, ſed etiam propter aliam legitimam cauſam, & neceſſariam non poſſet Conventum, in quo erit, dimittere: poſſit alium Vicarium ſubſtituere loco ſui, ad viſitandum aliquem Conventum, vel aliquos Conventus, ſi neceſſitas hoc requirat, & ſit vocatus per Priorem, aut meliores Conventus.

Nullus Vicarius aliquid faciat contra ordinationem Provincialis.

4. Item ſtatuimus, quod nullus Vicarius de prædictis aliquid ordinet, aut faciat contra ordinationem Provincialis: nec aliquid immutet de ſtatu Provinciæ abſque magna neceſſitate, & conſilio Patrum Diffinitorum uſque ad regreſſum Provincialis a Capitulo, quo tunc ceſſat ejus auctoritas, ſub pœna gravioris culpæ ſecundum qualitatem delicti.

Provincialis, aut Vic. Pro.

5. Si autem Priorem Provincialem, aut Vicarium Provincialem

lem contingeret in ſua Provincia remanere; ipſe per ſe Provinciam cuſtodiat, & cuſtodiri faciat, retinens ſibi ſigillum Vicarii, & eo utatur in agendis: & ſigillum Provinciæ mittat per Socios ad Capitulum Generale, ſigillatum ſigillo Communitatis Provinciæ publice coram Fratribus Capituli Loci, in quo reſervatur, & ſub ſigillo Conventus, in quo ipſum remanere contingeret. Nec volumus, quod Vicarius aliquis, quantumcumque ſit electus, habeat ſe intromittere de Regimine Provinciæ, Provinciali remanente.

vin. remanentes in Provincia per ſe cuſtodiant Provinciam.

6. Item, ſi contingat Provincialem mori, vel aſſumi, poſt electionem Sociorum, atque Vicarii pro tempore Capituli Generalis: volumus, quod non obſtante convocatione Provinciæ pro electione novi Provincialis facienda, omnia ante acta in Capitulo Provinciali proximo præcedente, quo ad prædictas electiones, in vigore maneant: niſi eo caſu, quo contingeret aliquem electorum prædictorum eligi in Priorem Provincialem, quia alius eſſet eligendus loco ejus; aut niſi Provincialis amotus, fuiſſet Diffinitor Capituli Generalis, quia tunc electo Provinciali, eſſet Diffinitor eligendus.

Quid agendū, ſi Provincialis deficiat tēpore Capituli G.

7. Item, non obſtante electione Vicarii facta pro Provincia cuſtodienda tempore Capituli Generalis, Provinciali mortuo, vel aſſumpto, primus Diffinitor Capituli Provincialis præcedentis, ſi fuerit Magiſter: & ſi non fuerit, ſenior Magiſter: vel ſi non habeatur, primus Diffinitor, licet non fuerit Magiſter, ſumat tamquam Vicarius Provincialis Regimen Provinciæ quouſque eundum ſit ad Capitulum Generale: caſu quo, propter illius propinquitatem, nequeat in Provincia celebrari Capitulum ad Provincialis electionem. Sed illo tempore, quo Socii erunt extra, Vicarius electus habeat Regimen Provinciæ, quouſque per Generale Capitulum ſit diſpoſitum de Provinciali.

Provinciali mortuo quis ejus auctoritate fungi debeat.

8. Si autem Generale Capitulum remitteret Provinciæ electionem Provincialis, dum hæc primo innotuerit, ceſſabit auctoritas Vicarii, & præfatus primus Diffinitor, ſi fuerit Magiſter, & ſi non fuerit, ſenior Magiſter, vel prædictus Prior, qui habebat Capitulum Provinciale recipere, fungatur plenaria auctoritate: & celeriter convocet Capitulum, & præſideat uſque ad electionem Diffinitorum incluſive, niſi Generale Capitulum, vel Prior Generalis aliter ordinaſſet eſſe faciendum.

In caſu, quis habet exercere officium Vicariatus.

# CAPUT XIX.

## *De Proceſſu Capituli Provincialis, & terminatione ejuſdem.*

*Quid Præſidens, & Diffinitores facere in Capit. Provinc. poſſint.*

1. SIC igitur factis electionibus, Præſidens Capituli una cum Diffinitoribus procedat in nomine Domini ad ordinandum de Regimine Provinciæ: & volumus, quod Præſidens cum aliis Diffinitorii Patribus plenam, & omnimodam habeat authoritatem, poteſtatem abſolvendi, & inſtituendi omnes Priores Locales, & cæteros Officiales, ſervato illæſo indulto Apoſtolico Calliſti III. in favorem Obſervantiæ dato, quod ſcilicet Fratribus in Obſervantia efficaciter vivere ſtudentibus, non poſſit alius dari Prior ab eo quem elegerit, & exceptis etiam Primariis illis Conventibus, qui, ut ſtatutum eſt in ſecunda parte cap. 2. num. 4. poſſint ſibi eligere Priorem; nam electum ab illis, aliquo non obſtante legitimo impedimento, tenetur Diffinitorium confirmare: vel niſi etiam Reverendiſſimus Pater Ordinis, aut ejus Vicarius de ipſius aſſenſu alium præſentaverit. Prior tamen a præfatis Conventibus electus, & confirmandus ut ſupra, non poterit accedere ad Capitulum Provinciale expenſis Conventus, ſed ille qui depoſiturus eſt Officium.

*V. App. n. 121. & 122.*

*Patres Diffinitorii debent jurare, quod eligent meliores.*

2. Quoniam autem Patres Diffinitorii præcipuam debent adhibere diligentiam in eligendis Prioribus, quibus ex Officio incumbit Animarum cura, quæ eſt ars artium, & ſcientia ſcientiarum; & nihil eſt, quod magis officiat Religioni, quam ad regimen animarum indignos, vel minus idoneos aſſumi: in primis ſtatuimus, ut antequam procedant ad electionem Priorum, ſinguli jurent ſe electuros ſecundum veritatem cujuſcumque conſcientiæ probiores, & magis idoneos: & præſertim advertant ſe non poſſe eligere ad Officium Prioris illos, qui regulariter Chorum diu noctuque & vitam communem Refectorii non ſequuntur, imo tales ſi fuiſſent electi, eſſent deponendi.

*Quæ tractantur in Diffinitorio non ſunt revelanda ſine licentia ſub pœna, &c.*

3. Item præcipiet Pater Præſidens omnibus de Diffinitorio ſub pœna amiſſionis utriuſque vocis ad ſexennium, ut tam ea, quæ in Diffinitorio proponi, tractari, decidi, ac fieri contigerit, quam ea, quæ ſuper hujuſmodi a quovis in ipſo Diffinitorio exiſtente prolata fuerint, nullo modo, quis abſque totius Diffinitorii licentia ſpeciali alicui extraneo revelet, durante tempore celebrationis Capituli, nec etiam poſt Capitulum ullo alio tempore, audeat evomere illa, quæ poſſunt in detrimentum, ſeu in infamiam alicujus vergere, vel diſcordias inter Fratres ſeminare: quod obſervare jurabunt omnes, & primus omnium P. Præſidens.

4. Item

4. Item ſtatuimus, quod Priores Locales inſtituantur de triennio in triennium, illæſa tamen manente Capituli auctoritate: & ſi contingat ob aliquam juſtam cauſam electionem novi Provincialis prorogari ad quartum annum, volumus, ut tertia Dominica poſt Paſcha, in qua celebrandum erat Capitulum Provinciale, expiret Officium omnium Priorum, qui tunc expleverint ſuum triennium, & in eadem Dominica habeatur Congregatio Provincialis, cum ſuo Socio, & Diffinitorum, (de qua infra in ſequenti capite) cum auctoritate providendi ſingulis Monaſteriis ſuo capite deſtitutis; inſtituendo pro illorum Regimine non Priores, ſed Vicarios uſque ad proximum Capitulum, qui tamen in eo vocem, & locum tamquam Priores habebant. Capitulum vero, vel illos Vicarios, vel alios pro ſuo beneplacito poterit Priores ad triennium inſtituere. Excipimus tamen Conventus in obſervantia efficaciter viventes, vel Primarios; nam omnes iſti poſſunt ſibi Vicarium eligere confirmandum a Provinciali uſque ad Capitulum, quo appropinquante, facta Socii Prioris electione, poterunt eligere Priorem confirmandum a Capitulo Provinciali.

Priores Locales tantū per tres annos durant in officio licet Provincialis prorogetur ad quartum.

*V. App. n. 122.*

5. Item ordinamus, ut nullus Prior expleto triennio ſui Officii valeat reeligi Prior ejuſdem Conventus, niſi poſt tranſactum aliud triennium, exceptis Conventibus, qui ædificabuntur de novo, vel in quibus inchoata fuerit aliqua notabilis fabrica, & conſtiterit evidenter pro illius abſolutione neceſſariam eſſe diligentiam, & ſolicitudinem Prioris jam exiſtentis; tunc enim idem poterit reeligi ad aliud triennium: quod multo magis fieri poterit de illis, qui verbo, & exemplo vere, & efficaciter cœperint collapſam obſervantiam Regularem reparare (*a*).

Prior expleto triennio non poteſt reeligi in eodem loco niſi poſt aliud triennium, exceptis, &c.

*V. App. n. 140.*

6. Item decernimus, quod Priores inſtituti in Capitulo Provinciali poſſint a Provincialibus in eorum viſitationibus ad alios Prioratus tranſmitti, pro bono Regimine Provinciæ, ſi expediens fuerit; non autem abſolvi, niſi pro culpis confeſſis: & idem volumus fieri de aliis Officialibus, & Fratribus quibuſcumque. In ſuis viſitationibus Provinciales poterunt omnia facere, quæ ſpectant ad reformationem morum, & obſervantiam Regularis diſciplinæ, intra limites tamen ſuæ poteſtatis.

Priores inſtituti a Capit. Provinc. poſſunt in viſitationibus a Provinciali in alios Conventus trāſmitti.

7. Item ordinamus, quod Prior pro ſuis demeritis notabilibus, & potiſſime pro ſcandalo ab Officio abſolutus, a quocumque Viſitatore, vel in Capitulo Provinciali, in eodem Capitulo, vel ſequenti non poſſit, etiam alibi, Prior inſtitui. Vide infra cap. 22. num. 4.

Prior pro demeritis abſolutus non poteſt, &c.

8. Item nullus, qui non valet miniſtrare in Sacris, promoveatur ad curam Animarum. Debent etiam per Provincialem, & Diffinitores negotia Provinciæ pertractari, corrigi, & ordinari.

Qui non valet miniſtrare in ſacris, nō &c.

*V. App. n. 138. & 139.*



(a) *Vide deciſionem S. Congr. ſuper hoc in Bul. Carm. tom. 2. pag. 690.*

Poterunt Provinciales, & Diffinitores aliqua ſtatuere

9. Item poterunt aliqua ſtatuere, pro Regimine Provinciæ, quæ tamen Regulam, & Statuta Capituli Generalis non lædant: duratura ad minus de Capitulo ad Capitulum ſequens; & omnia per eos diffinita, debent in fine Capituli promulgari.

Maleficia a Fratrib. cõmiſſa in communi libro Provinciæ ſcribãtur.

10. Item quilibet Provincialis, aut Viſitator, habeat rationem reddere de culpis inventis in viſitatione ſua, ut diſponatur de pœnitentiis injungendis, aut relaxandis pro eiſdem. Et quæcumque notabilia furta, perjuria, rebelliones aut alia ſcandaloſa, quæ fuerint commiſſa, in communi libro Provinciæ ſcribantur, & ipſorum perpetrantium nomina: ut poſtmodum facilius videantur electiones, quando erunt a ſaniori parte, aut rite factæ: & quando poterunt Diffinitores in pœnis diſpenſare, & quomodo. Et hoc habeant Provinciales facere ſub pœna depoſitionis ab officio, & Diffinitores ſub pœna inhabilitationis ad diffiniendum poſtmodum.

Provinciales poterunt reſtituere vocẽ, & locum, &c.

11. Poterit Prior Provincialis de aſſenſu Diffinitorum in Capitulo ſolum reſtituere vocem, & locum carentibus ſuæ Provinciæ, qui ſine ſcandalo Secularium perdiderunt: non poterit tamen inhabiles ad Officia quæcumque habilitare ſine Prioris Generalis, aut Capituli Generalis licentia: illorum videlicet, quorum diſpenſatio in Statutis, eorum auctoritati reſervatur.

Provinciales reddãt rationem de receptis, & expenſis pro negotiis Provinciæ

12. Item Provinciales habeant reddere rationem Capitulo Provinciali de receptis, & expenſis, & de negotiis Provinciæ. Et etiam ipſe cum Diffinitoribus recipiat rationem bonorum Fratrum defunctorum; & de illis ordinet, quid agendum ſit, ſecundum Ordinis inſtituta.

In Diffinitorio examinandæ, & terminãdæ ſunt culpæ Provincialis, qui depoſuit officium.

13. Item debet P. Præſidens cum Diffinitoribus examinare, culpas Provincialis abſoluti, quæ fuerint propoſitæ contra eum in Capitulo ante electionem, & tunc non terminatæ; & etiam audire alios Fratres, ſi voluerint contra eumdem aliquos non diſſimulandos exceſſus proponere, modo habuerint paratas ſufficientes probationes: & ſi repererint eum culpabilem, ſtatim puniet juxta Statuta Ordinis. Cæterum ſi aliqua cauſa longiorem indaginem exiget, diſcutienda, & terminanda relinquetur novo Provinciali.

Acta Capituli ſcribantur in libro Provinciæ.
*V. App. n. 125. & 126.*

14. Et omnibus diſpoſitis per Diffinitorium, finaliter acta Capituli conſcribantur in libro Provinciæ: & vocatis Fratribus, ad pulſum Nolæ Capitularis, abſolutiſque auctoritate Præſidentis, & Diffinitorum omnibus Prioribus, & Officialibus, ſuo modo fiat in ſingulis, inſtar terminationis Capituli Generalis cap. 8. hujus partis.

CA-

# CAPUT XX.

## *De Congregatione inter unum, & alterum Capitulum Provinciale celebranda.*

1. ORdinamus, & præcipimus, ut in poſterum in qualibet Provincia noſtri Ordinis Patres Diffinitores electi in Capitulo Provinciali permaneant, & perſeverent uſque ad alterum immediate ſequens, ad hoc, ut cum illis teneatur Provincialis, ſtatuto tempore, graviora negotia communicare, & de eorum conſenſu, ac voto deciſivo expedire.

Diffinitores durabunt uſque ad ſequẽs Capit. Prov.

2. Quamobrem ſtatuimus, ut inter unum, & alterum Capitulum Provinciale, in unaquaque Provincia ſingulis annis Dominica tertia poſt Paſcha, in aliquo Conventu commodo per Provincialem aſſignando, fiat Congregatio: ad quam convenire debeant Provincialis cum ſuo Socio, & quatuor Diffinitores, quorum numerus, caſu, quo aliquis eorum ex quavis cauſa defecerit, perfici, & ſuppleri poterit ex illis, qui in præcedenti capitulo poſt ipſos Diffinitores plura habuerint ſuffragia: & ſi aliqui reperti fuerint cum æqualibus ſuffragiis, præferendus erit major gradu, vel antiquitate Ordinis. Quod ſi abfuerit a Provincia Provincialis cauſa Capituli Generalis Cuſtos Provinciæ convocabit ad Congregationem, & loco Provincialis ad eam cum Socio ejuſdem Provincialis accedat.

Quo tempore facienda ſit Congregatio Prov., & Diffinitorum, & quomodo ſupplendus eorũ numerus.

*V. App. n.71.*

3. Et quia cavendum eſt, ne cauſa dictæ Congregationis ſuperfluis expenſis graventur Provinciæ, nullus alius, etiam cum licentia Provincialis, poterit ſe ad illam conferre, nec ad Conventum, in quo celebrabitur, ſub pæna privationis utriuſque vocis ad triennium, tum ipſis accedentibus, tum Provinciali danti licentiam, vel acceſſum permittenti, ſeu diſſimulanti: & ſub eadem pœna Diffinitores non poterunt ſecum adducere ſinguli, niſi unum famulum, quem procurare debent, ut ſit Laicus, nec ad locum Congregationis ante vigiliam vigiliæ accedere.

Solum Prov. cum Socio, & Diffinitores poſſunt accedere ad Congregotionem.

Diffinitores non accedant ad Congregationem ante vigiliam vigiliæ.

4. In vigilia autem, die ſcilicet Sabbati, vel Prior Provincialis, vel unus ex Diffinitoribus Miſſam cantabit de Spiritu Sancto cum duabus Collectis, una de Beata Virgine, & altera de Sanctis Religionis, & ſimiliter reliqui Patres de Congregatione privatim celebrabunt de Spiritu Sancto cum eiſdem Collectis: deinde implorato ſic divino auxilio, ad negotia Provinciæ expedienda diligenter, & mature procedent. Habebit autem hæc Congregatio eamdem auctoritatem, quam Capitulum Provinciale, niſi quod minime poterit facere Decreta, & Statuta pro tota Provincia,

Quanta ſit auctoritas Congregationis.

cia, nec Priores ante triennium ſine culpis confeſſis, vel legitime probatis ab Officio deponere, nec ullas pœnas remittere.

Auctoritas Congregationi expirat feria ſecunda.

5. Et ne nimis in longum cum Provinciæ diſpendio protrahatur: volumus, ut ſolummodo duret per totam Dominicam tertiam, & feriam ſecundam; itaut feria tertia excluſive omnis ejus auctoritas expiret, & eadem feria tertia Patres recedant a loco Congregationis, directeque ad ſuos Conventus revertantur, ſicut ab illis debent directe ad locum Congregationis accedere: alioquin non tenebitur Provincia de expenſis providere. Ante tamen illorum receſſum Acta Congregationis conſcribenda ſunt in libro Provinciæ.

V. App. n. 227.

Quid faciendum, ſi vacaverit aliquis Prioratus poſt ultimam Congregationem. V. App. n. 122.

6. Quod ſi poſt ultimam Congregationem in aliquo Conventu ante Capitulum Provinciale, vel propter obitum, vel propter aliam cauſam Prioratus aliquis vacaverit, Provincialis illi providebit de Vicario duraturo uſque ad Capitulum Provinciale, in quo talis Vicarius vocem, & locum habebit ſicut Priores; niſi Conventus fuerit de perfecte obſervantibus, vel de Primariis, quia tunc poterit eligere ſibi Vicarium, quem Provincialis confirmabit ſimiliter uſque ad Capitulum Provinciale.

# CAPUT XXI.

## *De Capitulo Conventuali.*

Cap. Conventuale celebretur jejuno ſtomacho, &c.

1. Capitulum Conventuale in qualibet ſeptimana per Priorem, aut Subpriorem, aut Vicarium ad minus ſemel celebretur, ubi exceſſus Fratrum, & culpæ cum diligentia inquirantur, & corrigantur: & jejuno ſtomacho ſemper celebretur. Pulſato ante ſigno, omnes Fratres conveniant ad Capitulum ſine mora: quibus congregatis, ille qui præeſt Capitulo, injungat alicui Fratri legere lectionem ex Conſtitutionibus, & lecturus dicat: Jube, Domne, benedicere: & Præſidens ſubjungat: Regularibus diſciplinis nos inſtruere dignetur Magiſter cæleſtis. ℟. Amen. Tunc legat uſque ad ſignum Præſidentis: quo facto, dicat legens: Tu autem Domine miſerere noſtri. ℟. Deo gratias. Deinde dicat Præſidens: Benedicite: & illi, Dominus, reſpondeant.

Modus celebrandi Capit. Conventuale.

Poſtea, ſi ſint Novitii, primo ſe proſternant, terram deoſculando: deinde genibus flexis dicant culpas ſuas ab antiquioribus incipientes, & moneantur proficere in moribus, & ſcientia & vitare otium, & eorum negligentiæ eis oſtendantur. Quibus egreſſis, Laici profeſſi, & Semifratres dicant culpas ſuas, ſicut Novitii, & charitative moneantur, atque hortentur perſeverare in devotione, labore, &c. Quibus recedentibus, & pœnitentiatis pro culpis, Fratres Clerici, ſi qui ſint, voce, & loco carentes, & Profeſſi etiam in Sacris conſtituti faciant culpas ſuas ut ſupra.

pra.

pra. Quibus omnibus expeditis, & exeuntibus, omnes, & cæteri Patres cujuſcumque gradus, aut conditionis exiſtant, tam Conventuales, quam Hoſpites, ſi vocati fuerint, ſimiliter ſe proſternant, habitum deoſculando, & humiliter veniam de commiſſis, & omiſſis petentes, & ſtatim ſurgant. Deinde incipiendo a Senioribus ſucceſſive, ſuas culpas dicant ſtantes coram Præſidente, capite diſcooperto, cæteris ſedentibus: quas cum dixerint, humili voce dicant: quod ſi in aliis, aliquis Frater noſcat eos defectuoſos, charitative dicat; quod libenter audient, atque ſtudebunt emendari. Tunc Præſidens dicat: Vult aliquis Fratrem iſtum inculpare? Quod ſi aliquis voluerit illum inculpare, aut monere, non exaggeret verba, ſed ſimpliciter proponat in hunc modum: Frater noſter fecit, vel neglexit hoc, aut illud, vel eſt aſſuetus ſic delinquere, nominando culpam. Accuſatus vero humiliter ſuſcipiens, dicat: Mea culpa: & ſi ſe culpabilem non cognoſcat, dicat breviter: Pater, non recordor me hoc feciſſe, vel dixiſſe, aut omiſiſſe, quod dicit Frater: & tunc non replicet accuſans, niſi a Præſidente ulterius interrogetur.

2. Sed ſi alius Frater dictam culpam cognoverit eſſe veram, quæ negatur, licet ei teſtimonium perhibere in loco ſuo, etiam non interrogatus, ſimpliciter dicendo: Frater noſter, me vidente, aut audiente &c. reus eſt, in quo accuſabatur. Poſtea pro modo culpæ & qualitate perſonæ moderetur pœna ſatisfactiva: ita quod ſi culpa digna fuerit diſciplina, præparet ſe reus humiliter ad recipiendum eam, ita quod, nudatis ſcapulis, flexis genibus, dicat Pſalmum, quem ſibi injunxerit Præſidens, & confeſſionem faciat generalem, dicendo. Confiteor &c. diſciplinam cum virgis a Præſidente, aut ab eo, cui injunxerit, patienter, & devote recepturus. Et licet Priores, & Præſidentes in culpis poſſint per ſe libere pœnitentias ſcriptas injungere; tamen propter ſuam, & omnium Fratrum pacem, cum pœna gravis culpæ fuerit injungenda, aut gravior, tunc in abſentia Fratris, de quo agitur, ſi ille confeſſus fuerit crimen ſibi objectum, aut ſufficienter convictus, declarent culpam Conventui dicti Fratris, & pœnam correſpondentem dictæ culpæ: deinde Fratre illo vocato, pœnam per Conſtitutionem taxatam ſibi injungat, ſine contradictione cujuſcumque.

*Quando licet in Cap. teſtimoniũ perhibere.*

*Priores poſſũt pro ſe libere pœnas ſcriptas injungere tamen, &c.*

3. Et ſiquis de culpa fuerit notabili convictus, de qua in Conſtitutionibus nulla pœnitentia determinetur, Præſidens Capitulo, aſſumptis duobus, aut tribus Diſcretioribus Fratribus Conventus, quos ſua diſcretio duxerit aſſumendos, illorum conſilio, Fratri convicto pœnitentiam condignam imponat.

*Prior de conſilio duorum, &c. poteſt imponere pœnitentiam de culpis, &c.*

4. Si quis autem cum accuſatur vel reprehenditur, impatienter nimis, aut furibunde reſpondeat, tunc gravius puniatur, aut ſecundum Præſidentis diſcretionem, gravior pœna ad tempus ſedatæ paſſionis differatur.

*Si quis furibunde reſpondeat, tũc gravius puniatur.*

5. Nul-

Nullus acclamet culpam Fratris jam confeſſi.

5. Nullus Frater acclamet culpam Fratris, quam jam confeſſus fuerit: & nullus Frater accuſatus reſpondeat, niſi juſſus, & humiliter; ſed nec illo die, ſic accuſantem reprehendat, ſed ſe totum ad emendationem diſponat: & accuſans aliquem, uno contextu omnia, de quibus accuſare intendit, proponat.

Nullus uno die amplius quam de tribus culpis in eodem, &c.

6. Item uno die, nullus amplius, quam de tribus culpis, in eodem Capitulo aliquem accuſet. Similiter plures tribus, aut quatuor Fratribus non accuſent eumdem Fratrem pro diverſis culpis, etiam de una: ſed bene unus Frater pro eadem culpa poterit plures accuſare, & tunc omnes accuſati nominatim ſimul ſurgant ad petendum veniam.

Nullus culpā ſuam pertinaciter defēdat.

7. Item nullus præſumat culpam ſuam, aut alterius in Capitulo, vel alibi pertinaciter defendere, ſub pœna gravioris culpæ per diem. Et eſt in Capitulo obſervandum diligenter, ne Fratres ad verba facile prorumpant, niſi ſe, aut alios manſuete accuſando, vel niſi forte juſſi, aut interrogati a Præſidente: nec ad invicem loqui præſumant, ſed ſolum Præſidenti; quod ſi quis aliter loquatur, pœnæ graviori ſubjaceat. Et niſi poſt primam monitionem, ſilentio ſibi impoſito ſiluerit, expellatur de Capitulo pro illo die, nec habeat locum ibi, nec vocem.

Accuſans audiatur dummodo ſe obliget ad pœnā talionis.

8. Quicumque vero alium accuſare voluerit, parem, vel Superiorem, audiatur patienter: dummodo ſe obliget ad pœnam talionis, ſi defecerit in probando, & de eo fiat juſtitiæ complementum. Ita quod ſimilem pœnam ſuſtineat accuſans, ſi in probatione defecerit, qualem deberet portare accuſatus, ſi convinceretur.

Nullus aliquē accuſet ex ſola ſuſpicione, vel denunciet aliquē nominādo ſub pœna talionis.

9. Caveant quoque Fratres, quod nullum accuſent ex ſola ſuſpicione: & ne ſub modo denunciationis nominent aliquem Fratrem expreſſe in Capitulo, vel in Conventu: quia ſi hæc fecerint, erunt obligati ad pœnam talionis: nec dicant: Ego credo illum feciſſe hoc, vel aliud, aut conſenſiſſe facientibus: quia talis inſinuatio perſonarum expreſſiva, actio reputetur, & obligat ad talionem. Poterunt tamen in generali manifeſtare exceſſus factos, & requirere Majorem, ut inquirat de reis.

Superior poteſt aſtringere omnes ad juramentum præſtandum.

10. Item laborante fama alicujus ſcandali, Superior quilibet, ad cujus notitiam venerit, habeat veritatem inquirere, eo modo, quo videbitur expedire; cogendo etiam ad juramentum præſtandum, ad quod omnes Fratres volumus aſtringi, aut alio modo in præſentia duorum, vel trium proborum Fratrum, non obſtante abſentia diffamati: ſed nullo modo procedatur ad punitionem, uſquequo appareat ſi talis diffamatus ſe poterit excuſare legitime coram illo Superiore, vel altero, cui vices ſuas commiſerit ſuper hæc.

Religioſi poſſunt torqueri, & quando.

11. Quoniam interdum in graviſſimis delictis cognoſcendæ veritatis neceſſitas compellit Superiorem, ut quam ſponte non poteſt habe-

habere confeſſionem, diverſis cruciatibus e latebris eruere contendat; & ob id licitum ſit nonnumquam Sacerdotem, etiam Regularem, torturæ ſubjicere. Statuimus, ut ſi quis ex noſtris Religioſis præſumpſerit committere aliquod crimen, quod in ſæcularibus judiciis ultimo ſupplicio, aut graviſſima alia pœna corporali ſoleat puniri; licet alia pœna imponenda ſit in Eccleſiaſtico foro, poſſit a Præſidente in Ordine in præſentia duorum Fratrum ex antiquioribus, & de eorum aſſenſu torqueri per Fratres, ac per Miniſtros etiam ſæcularis poteſtatis, ſi Fratres non fuerint periti in arte quæſtionandi; dummodo tamen contra illum probata ſint in plenario judicio indicia, quæ magis quam ſemiplene probent delictum, & ea ipſe non deleverit, neque purgaverit.

12. Item quia nonnulli Fratres, ita inſtigante humano hoſte, adeo facinoroſe vivunt, ut non erubeſcant ſe tam enormibus immiſcere delictis, quod neceſſe ſit ad exemplum, & timorem aliorum, & ad ſatisfaciendum publico ſcandalo ex eorum perditis moribus exorto, eis acerbam triremium pœnam infligere: ſtatuimus, ut juſte damnati, & deducti ad triremes, perpetuo arceantur ab Altari, & Sacris Miniſteriis, Officiis præterea omnibus, & dignitatibus ac gradibus, locoque, & voce careant; itaut R.P.Ord. non poſſit ſuper præmiſſis cum illis gratioſe diſpenſare: poterit tamen ſi quis injuſte condemnatus, & eò deductus fuerit, innocentem declarare, & de jure abſolvere.

*Juſte cōdemnatus, & ductus ad triremes in perpetuum arcētus a ſacris miniſteriis nec poteſt Gen. diſpenſare.*

13. Item quia nonnulli etiam, omni diſciplina Regulari rejecta, tanto ſunt dedecori, & detrimento Religioni noſtræ, ut ſoleant tamquam incorrigibiles nonnumquam expelli ab Ordine: de mandato Sacræ Congregat. Conc. ex ſpeciali facultate S.D.N. Urbani VIII. facto nullus in poſterum ejiciendus eſt, qui non fuerit vere ſecundum juris communis diſpoſitionem incorrigibilis, & inſuper unius anni ſpatio (a) in jejunio, & pœnitentia probatus in carceribus (& ob id unaquæque Provincia debet habere aliquem privatum carcerem) elapſo autem anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pervicacia perſeveraverit; ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, & membrum putre poterit ejici, ſed a ſolo G. Ordinis de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis Generalibus, inſtructo tamen ſecundum ſtylum, & Conſtitutiones Ordinis proceſſu, & plene probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum. Et illico debet G. ſententiam expulſionis notificare Ordinario loci, cujus juriſdictioni, & obedientiæ ejectus habitu Clericali indutus, erit ſubjectus.

*Solus G. cum conſiliu, & aſſenſu ſex Patrum, qui ſint electi a Capit. G, poteſt ejicere incorrigibiles, nonnullis ſervatis*

*V. Append. num. ult.*

S 14. Item

(a) *Vide alia Decreta Sac. Congr. Conc. ſub Innoc. XII. in Bullar. Carm. tom.2. pag.661.*

*Capitulú G. dedit facultatem Generali aſſumendi ſibi ſex patres quoties continget caſus expulſionis.*

14. Item cum P. G. non ſemper habeat firmam, & permanentem ſedem in eodem loco, ſed viſitationis cauſa cogatur modo unam, modo aliam Provinciam peragrare, & non valeat ſecum adducere ſex Patres, qui electi ſint a Capitulo G., ut de eorum conſilio, & aſſenſu oblata occaſione poſſit expellere incorrigibiles; & quia etiam ubi electi ſunt a Capitulo G. poſſunt, vel omnes, vel aliqui ante alterius Capituli Generalis celebrationem ex hac vita decedere; Diffinitorium Capituli G. proximi præteriti conceſſit ipſi Generali, ut ubicumque fuerit, & caſus expulſionis acciderit, ſex Patres ſibi bene viſos ad hunc effectum aſſumere, & eligere valeat.

*Si quis ſecreta capituli Secularibus revelaverit, ipſo facto, &c.*

15. Si quis ſecreta Capituli cujuſcumque, illa ſcilicet, quæ Prælatus celanda commiſerit ſæcularibus, aut aliis Religioſis revelaverit, ipſo facto ſit excommunicatus, careat voce, & loco; & penſato ſcandalo, ſive damno inde contingente, pœna gravioris culpæ rigide puniatur.

*Omnes Fratres corrigātur de culpis in Choro quotidie, &c.*

16. Fratres Clerici, & Sacerdotes quotidie in Capitulo de culpis in Choro perpetratis petant veniam, & pœnitentiam ſibi injunctam humiliter faciant; niſi in Feſtis duplicibus, & majoribus forſitan dimittatur. Et non obſtante confeſſione facta in Capitulo, & pœnitentia ſuſcepta, confiteantur non minus ſacramentaliter Sacerdoti ad hoc conſtituto, & pœnitentiam ſuſcipiant.

*De fine Capituli Conventualis.*

17. In fine cujuslibet Capituli fiat recommendatio benefactorum Ordinis vivorum, & mortuorum, cum Pſal. Deus miſereatur noſtri &c. ut conſuetum eſt.

# CAPUT XXII.

## *Mortuo Priore Locali, de ejus electione quid faciendum.*

*Subprior tenetur Provinciali, mortem Prioris ſtatim ſignificare.*

1. Statim Prioris Localis mors, Priori Provinciali, ſi fuerit abſens, ſignificetur per Subpriorem, qui Conventum habet regere, donec aliter ſit proviſum: ſed ſi Conventus Subpriorem non habuerit, habens primam vocem in Conventu, præſideat in electione Vicarii qui per Conventum eligatur ad regimen ejus: & ille mortem Prioris denunciet indilate Provinciali, qui providebit de Vicario uſque ad Congregationem, vel confirmando electum a Conventu, vel alium, prout ſibi videbitur, inſtituendo; & hæc ſi conventus fuerit de minoribus: nam ſi de Majoribus, ſeu Primariis, vel etiam de efficaciter obſervantibus, mortuo Priore, Præſidente Subpriore, vel in ejus defectu habente primam vocem, eligatur a Conventu Prior, quem tenebitur Provincialis confirmare: & interim Subprior, vel habens primam vocem gubernabit Conventum: quod ſi Provincialis fuerit præſens, ipſe in electione Prioris præſidebit. *V. App. n.123.*

2. Nullus

2. Nullus Vicarius miſſus ad viſitandum aliquos Conventus, & ad præſidendum electioni Prioris, poſſit in Priorem eligi, niſi ſit de illo Conventu; etiam ſi ſit de eadem Provincia, ſine expreſſa licentia Prioris G., aut Provincialis. Præſidens electioni Prioris non poteſt eligi in Priorem, niſi, &c.

3. Item nullus qui ab officio Prioratus propter ſua demerita fuit depoſitus in illo, vel in alio Conventu eligi poteſt. Depoſitus a Prioratu non poteſt eligi in Priorem.

4. Item qui in Sacris non valet miniſtrare, & qui non habet triginta annos in ætate, vel non ſit Magiſter de curſu, vel niſi a tribus Examinatoribus in Capitulo Provinciali electis, ſi eorum copia commode haberi poterit, alioquin a tribus aliis a Provinciali deſignatis examinatus, & approbatus fuerit ad audiendas Fratrum confeſſiones, non poteſt eligi: nec qui alterius Ordinis fuerit profeſſus, nec ſpurius, nec qui non compleverit in Ordine quinque annos, nec etiam qui apoſtatavit ab Ordine, donec cum eo ſit diſpenſatum. Nullus ſpurius poteſt eligi in Priorem, nec etiam, &c.

5. Et procedatur in electione Prioris Localis per ſuffragia ſecreta ſuppreſſis nominibus eligentium: & qui plura vota habuerit, quam omnes conjuncti, ſit Prior. Et electus, per Superiorem, niſi occurrerit legitimum impedimentum, confirmetur in hac forma: Ego auctoritate, qua fungor (ſi ſit Ordinarius,) & ſi ſit Commiſſarius dicat: Ego auctoritate mihi commiſſa, nomine omnium eligentium, denuncio te N. Priorem hujus Conventus N., & confirmo auctoritate prædicta, ſecundum Ordinis Inſtituta, tribuens tibi curam animarum omnium Fratrum dicti Conventus, & adminiſtrationem omnium bonorum. In nomine Patris, & Filii &c. Quo facto, ſi noluerit facere ſolemnitatem, dicat orationes ſine cantu, quæ dici ſolent poſt electionem Prioris G. Qualiter procedendum ſit in electione Prioris Localis.

## CAPUT XXIII.

### *De electione Socii Prioris ituri ad Capitulum Provinciale.*

1. Infra octo dies, antequam Prior recedat ad Cap. Provinciale, convocatis omnibus Fratribus de Conventu, qui Capitulo Conventuali debent intereſſe, primo culpæ per Priorem, aut Præſidentem audiantur: deinde expulſis non habentibus vocem, fiat electio Socii ituri ad Cap. Provinciale per ſuffragia ſecreta, ut in ſecunda parte Conſt. cap. 10. diffinitum eſt. Quid agendū dum Prior ad Cap. Provinc. iturus eſt. *In quibus Conv. poteſt eligi Soc. vide par. 1. cap 2. num. 4.*

2. In qua electione nullus Frater, qui non habuerit ad minus ſex menſes continuos Conventualitatis in domo, in qua illa erit facienda, vocem, ſive activam, ſive paſſivam habere poterit, niſi forte contingat infra dictos ſex menſes aliquem vocalem mori, vel a Provinciali ob culpam expulſione a Conventu dignam, & ſufficienter probatam juſte removeri; tunc enim poterit in- Qualiter ſit Prioris Socius eligendus. *V. App. n. 128. & 129.*

 ejus

ejus locum ſubrogari alius Frater, qui vocem habeat in electione Socii Prioris, dummodo in alio Conventu pro electione Socii Prioris illius ſuffragium non dederit: Frater etiam ob culpam mutatus ad alium Conventum, ibi vocem habebit in electione Socii, niſi talis fuerit ejus culpa, quod in privationem vocis incideret. Et qui habebit plura vota, quam omnes alii ſimul juncti, eo ipſo Socius habeatur: & ſi contingat Electores non concordare tertia vice, qui plura habuerit vota, quam aliquis alius, ſit Socius. Et ſi plures habuerint vota æqualia ille ſit Socius, qui reperitur antiquior in Ordine.

*De electione Vicarii ad cuſtodiam Conventus.*

3. Si Subprior eligatur in ſocium Prioris, vel ſi Conventus Subpriorem non habuerit, ſimili electione, qua eligendus eſt ſocius, eligatur Vicarius ad cuſtodiam, & regimen Conventus: ſed ſi Subprior habeatur, & non eligatur in ſocium, nullus eligatur Vicarius, ſed ipſe cuſtodiat Conventum.

*Prior nō iturus ad capit., cuſtodiat Cōventum.*

4. Si tamen contingat Priorem remanere infirmitatis, vel alterius neceſſitatis cauſa, nullus præter eum, habeat curam regiminis: nihil tamen ab electione ſocii valeat, aut præſumat innovare, vel mutare, nec quicquam alienare; niſi cum conſenſu totius Conventus, & in neceſſitate.

*Soc. Prioris ad quod teneatur immediate poſtquā fuit electus.*

5. Electo ſocio Prioris ad Capitulum ituri, & Vicario, ſi ſit eligendus; ſtatim Præſidente Socio, ſi Prior G. vel Provincialis non eſſent, fiat diligens inquiſitio de Priore. Et audiantur accuſationes, vel denunciationes contra eum a Fratribus propoſitæ, & ſi fuerint de exceſſibus, & negligentiis notabilibus redigantur in ſcriptis, & ſuper eis ſumantur informationes: & ſi objectæ culpæ fuerint ſufficienter probatæ, legantur in præſentia Prioris, nominibus tamen teſtificantium non expreſſis, niſi Prior hoc requirat, & una cum majori, & ſaniori parte Conventus videatur fieri debere: & ſive inficietur, ſive fateatur Prior objecta crimina, ejus confeſſio deſcribatur, & hujuſmodi informationes eidem ſocio, ſub ſigillo communi Conventus, Priori Provinciali, & Diffinitoribus Capituli, dentur infallibiliter præſentandæ. Et ſtatim poſt ſigillationem, detur Priori per ſocium copia de dictis culpis.

*Soc. habeat inquirere de culpis contra gremiales Capit. Provinc. accuſatos.*

6. Et ſi aliquis habeat quicquam contra Provincialem, vel aliquem de gremio Capituli Provincialis, quæ in veritate non debeant tolerari: dum tamen poſſint ſufficienter in illo Conventu probari per perſonas fide dignas, proponat coram ſocio ſupradicto, qui habeat inquirere veritatem diligenter, coaſſiſtente ſibi Priore domus. Si vero prædicta fuerint notabilia, & ſufficienter probata teſtimonio fide dignorum; præfatus ſocius proceſſum continentem nomina proponentis, & teſtificantium ſupradicta, ſub ſigillo communi Conventus ad Capitulum ſimiliter deferat, & nomen illius, qui prædicta propoſuit. Et illum, contra quem ſunt propoſita, ſi præſens fuerit, habeat accuſare, offerens dictum proceſſum in teſtimo-

ſtimonium præmiſſorum. Et ſi accuſatus ſe ſufficienter excuſare, nequeat, tunc puniatur, prout videbitur Capitulo. Idem fiat ſuo modo in Capitulo Provinciali, quando eundum eſt ad generale Capitulum, ſi contra Generalem, vel Provincialem, vel aliquem de gremio dicti Capituli Generalis aliquid notabile habeatur, quod ſub ſigillo communi Provinciæ offeratur per Diſſinitorem dicti Capituli Generalis: nec volumus, quod teſtificantes accuſato nominentur, niſi evidens neceſſitas hoc requirat.

7. Nulla tamen culpa Capitulo G., vel Prov. præſentetur, quæ præſente Priore G., vel Provinciali, vel Vicario eorum, potuit corrigi in Conventu; & niſi notabilis, & ſufficienter probata per perſonas fide dignas. Nulla culpa Capitulo præſentetur, quæ præſente Superiore potuit corrigi in Cōventu.

8. Ut autem ſocius poſt ejus electionem habeat ſufficiens tempus ad ſumendum informationes de culpis porrectis a Fratribus contra Provincialem, & Priorem: Statuimus ne a Conventu recedat ſub pœna amiſſionis vocis, & loci in futuro Cap. niſi poſt tranſactos tres dies completos a ſua electione, non comprehenſo die electionis, etiam ſi Fratres dicant ſe nihil habere contra Priorem, vel Provincialem. Socius Prioris non poteſt recedere a Cōvētu, niſi poſt tres dies ab electione.

9. Socius etiam Prioris de electione ſua literas habeat ſub communi ſigillo Conventus, continentes numerum eligentium, & ſimiliter electorum, & a quot eſt electus: & fiant literæ ſequendo formam literæ ſociorum Provincialis ad Capitulum G., & ut in capite de literis ſociorum iturorum ad Capitulum G. cap. 17. Reverendis in Chriſto &c. Socius habeat literas, &c.

10. Omnia autem Capitulo Provinciali præſentanda, volumus, quod ſub ſigillo conventuum clauſa præſententur: nec alicui ſocio accuſanti credatur in aliquo, niſi in culpis ſcriptis, vel niſi conventus remiſerit accuſationem in capitulo Prov. faciendam, excepto in culpis Prioris, quas poſt exitum a conventu ſuo, ipſum contigerit commiſiſſe. Idem autem dicimus de culpis Provincialium ad capitulum G. iturorum. Nulli Socio credatur in aliquo, niſi, &c.

11. Inſtituimus autem, quod in die inchoationis capituli Prov. in quolibet conventu Provinciæ, valde mane Miſſa de Spiritu S. celebretur ſolemniter, & ibi orent Fratres, ut dictum capitulum proſpere celebretur. Et durante capitulo, aliqua die Miſſa pro Defunctis ſolemniter celebretur pro animabus Fratrum, Benefactorum, & literas confraternitatis habentium. Et ſinguli Fratres etiam, in Miſſis ſuis privatis orent pro ipſis. Et idem fieri volumus in omnibus conventibus Ordinis, in inchoatione capituli G. & eo durante. Quid agendū dum Cap. Provinc., & Gen. celebrantur.

CA-

# CAPUT XXIV.

## *De electionibus in communi, & qui poſſunt eis intereſſe.*

Fratres non valentes electionibus intereſſe.

1. IN nulla electione interſint Novitii, Laici, Semifratres, loco, & voce carentes, nec infames, aut qui ab Ordine apoſtatarunt, licet ſit eis datus locus, donec cum eis fuerit ſpecialiter diſpenſatum: nec excommunicati, nec irregulares, nec profeſſi, qui in ſacris non exiſtunt, nec habent tres annos profeſſionis, nec etiam Fratres fatui, deliri, vel lunatici.

Appellantes a correctione regulari, &c.

2. Item nullus, qui a correctione regulari appellaverit, vel qui appellanti conſenſit, aut qui appellationem defenderit; quouſque per G. capitulum poſt tres annos, fuerit cum eo miſericorditer diſpenſatum.

Qui non ſubeſt obedientiæ Ordinis, &c.

3. Item nullus, qui non ſubſit obedientiæ Ordinis, & qui ſe Capellanos Prælatorum, aut Principum fieri literaliter faciunt, & ſunt de talium dominorum familia, cum eis quotidie reſidentes,

Frater alienæ Provinciæ.

4. Item nullus Frater alienæ Provinciæ, etiam per Priorem G. mutatus, & aſſignatus, niſi in obedientia ſua de ſua voce fiat expreſſa mentio, aut niſi eſſet Magiſter, Regens, Prior, Lector, vel Baccalaureus.

Frater mutatus a Conventu ad Conventum, &c.

5. Et ſimili modo nullus Frater in eadem Provincia mutatus de conventu ad conventum per quemcumque Majorem, donec conſtet, an ſit habilis active, vel paſsive, vel utriuſque.

Studentes forenſes, &c.

6. Item nullus Scholaris forenſis in quocumque ſtudio valeat eligere, vel eligi, exceptis Magiſtris, Baccalaureis, & Lectoribus, poſtquam legerint ſententias: non intendentes tamen illos eſſe voce privatos, ſed ſuſpenſos ibi.

Studentes in ſtudiis ſuæ Provinciæ habẽt, &c.

7. Studentes vero in ſtudiis ſuæ Provinciæ, in quibuſcumque electionibus habeant vocem, & locum in conventu, in quo ſunt aſsignati, & non alibi. Excipitur autem collegium Pariſienſe, in quo omnes Studentes Sacerdotes, cujuſcumque Provinciæ ſint, aliunde propter ſua demerita non privati, habent locum, & vocem tam activam, quam paſsivam in omni electione, juxta formam Diplomatis Gregorii XIII. Datum Romæ 1584. *Nullus inſuper*, qui elegerit ſocium Prioris ad Cap. Provinciale, habeat vocem activam in electione Diffinitorum *illius* capituli Provincialis.

Subornator ſit privatus voce & loco uſque ad Cap. Gen. ſequens.

8. Item nullus Subornator, *qui induxerit* prece, aut pretio, ſive minis, aut quacumque *violentia* aliquem Fratrem habentem vocem in electione Prioris, *Subprioris*, Socii, aut Vicarii, aut alterius cujuſcumque, ut tali, *vel* tali det vocem ſuam, ſingulatim eos nominando, ſit admiſſus in capitulo, ſed expellatur, privatus voce, & loco uſque ad capitulum Generale ſequens.

9. Item

9. Item nullus Frater poteſt habere plures voces activas, non obſtante, quod ex pluribus habeat vocem, puta quia Magiſter, Socius, Vicarius &c. Et ſciendum eſt, quod in electionibus Superiorum, & Officialium omnium ſervanda eſt forma præſcripta a Concilio Trid. & ab iſtis Conſtitutionibus par. 2. cap. x. n. 9. Præterea de mandato Clem. VIII. Electores, prælectis Conſtitutionibus de qualitatibus, & requiſitis eligendorum, jurare debent, quod ſecundum veritatem ſuæ conſcientiæ probiores eligent, & magis idoneos: ad officia autem, & Prælaturas illi debent eligi, qui poſſunt & conſueverint Regulam Ordinis, & Conſtitutiones obſervare, & præſertim quæ pertinent ad ſervitium Chori, & ad veſtitum, ac victum communem. Tandem ſi Conventus in prima electione Sacriſtæ, & aliorum Officialium concordare nequiverit, Prior Localis, aut Superior Præſidens poterit, prout ei placuerit, de talibus Officialibus providere.

*Nullus poteſt habere plura vota, &c.*

*In omni electione debent electores jurare quod eligent meliore.*

*De hac materia vid. App. §. xviii.*

*De electione Subprioris vide par. 2. c. 8. num. 1.*

## CAPUT XXV.

### *De modo recipiendi Novitios.*

1. CUM aliquis Novitius recipiendus fuerit ſub legibus, & præceptis in cap. 13. primæ partis declaratis, primo ſuæ receptionis die calcietur more Fratrum, atque radatur, & induatur tunica alba, uſque ad mediam tibiam, cum aliqua ſæculari veſte deſuper: & aliquis Pater eum inſtruat de petendis, dicendis, & agendis: & Fratres ad ſignum campanæ in Capitulo, aut in Sacriſtia congregentur: adducaturque induendus coram Præſidente habente ſtolam ſuper cappam albam; ad cujus dexteram poſita ſit aqua benedicta, & ad ſiniſtram tunica, zona, ſcapulare, cum caputio, & cappa alba. Qui ſedens in ſede ſibi parata, cum toto Conventu, induendum genuflexum interroget: Quid petis? Induendus reſpondeat: Peto, per miſericordiam Dei probari ſub obedientia, paupertate, & caſtitate in veſtri Ordinis Societate. Cui Præſidens exponat labores, auſteritates, & difficultates Ordinis, Regulæ, & Conſtitutionum: ſimiliter exponat tres articulos, quos obſervare oportet, ſcilicet ſe obedienter, caſte, & ſine proprio victurum. Quibus declaratis, requirat, ſi iſta devote, & propter Dei amorem velit obſervare. Cui induendus reſpondeat: Dei gratia fretus, & orationibus Fratrum fulcitus, ea obſervare conabor. Tunc Præſidens dicat: Deus, qui te incœpit in nobis ipſe te perficiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſpondeant Fratres: Amen. Præſidens exuens eum veſtibus ſæcularibus, dicat: Exuat te Dominus veterem hominem, cum actibus ſuis. ℟. Amen. Mox ſurgant omnes, & Præſidens dicat. ℣. Domine Deus Virtutum, converte nos. ℟. Et oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Ore-

Oremus. Oratio.

DOmine Deus virtutum, ſupplices deprecamur clementiam tuam; ut hunc famulum tuum N. miſerationis tuæ abundantia ab omni vetuſtatis ereptione expurget: & capacem Sanctæ novitatis efficiat. Per Chriſtum Dominum.

Oremus. Oratio.

DEus indulgentiæ, & miſericordiarum Pater, qui ſeveritatem tuæ diſcretionis temperans, indulſiſti, ne filius portet iniquitatem Patris: qui mira etiam diſpenſatione malis bene utens, tuæ dignationis gratiam per peccatorum miniſterium frequenter largiris: quæſumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo non obſiſtat, quod habitum noſtræ Sacræ Religionis ad honorem Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli dedicatæ, per nos tam, ac taliter indignos ſuſcipiat: ſed miniſterium, quod exterius per nos exhibetur, tu interius per donum Sancti Spiritus exequaris. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Oremus. Oratio.

DEus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creaſti, quique mundum peccatis inveteratum per miniſterium Sanctæ Incarnationis ejus renovare dignatus es, te ſuppliciter exoramus, ut ejuſdem Domini noſtri gratia ſuper hunc famulum, abrenunciationem ſæculi profitentem, clementer reſpicere digneris, per quam in ſpiritu ſuæ mentis renovatus veterem hominem cum actibus ſuis exuat: & novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt, induere mereatur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.

Oremus. Oratio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui es via, ſine qua nemo venit ad Patrem; quæſumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum a carnalibus deſideriis abſtractum, per iter diſciplinæ Regularis deducas: & qui peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: præſta, ut hæc vox invitationis tuæ ita in eum convaleſcat, quatenus peccatorum onera deponens, quam dulcis es, guſtans, tua refectione ſuſtentari mereatur. Et quia veſtiri de tuis ovibus dignatus es, agnoſce eum inter oves iſtas, ut ipſe te agnoſcat, & alienum non ſequatur, ſed te. Nec audiat vocem alienorum, ſed tuam, quæ dicit: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Qui vivis &c.

Oremus. Oratio.

SAncte Spiritus, qui te Deum, ac Dominum revelare dignatus es mortalibus, poſtulamus immenſam tuæ pietatis gratiam, ut ſicut ubi vis, ſpiras, ſic huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas; ut, qui tua ſapientia eſt conditus, tua quoque providentia gubernetur, quem juxta tuam conſuetam gratiam unctio-

ne tua

ne tua digneris: & per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quam præcipuam hujus Sanctæ Religionis Patronam dediſti, eum a vanitate ſæculi veraciter converte: & ſicut es omnium peccatorum remiſſio, ita deprimentes impietatis obligationes in eo diſſolve; & ad obſervantiam hujus ſancti propoſiti, fac eum ita certatim fervere, ut in tribulationibus, & anguſtiis, tua indeficiente conſolatione valeat reſpirare: ut juſte, & pie per veram humilitatem, atque obedientiam, caſtitatem, & paupertatem, in fraterna charitate fundatus, atque radicatus, quod te donante promittit, felici perſeverantia compleat. Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Deo Patre, Sanctoque Unigenito ejus Domino noſtro Jeſu Chriſto unus gloriaris Deus, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde induat eum Præſidens habitu Ordinis: & primo imponendo tunicam, faciens ſignum Crucis, dicat: Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia, & ſanctitate veritatis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen. Deinde det ei cingulum, ſive zonam dicendo: Cum eſſes Junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, alius te cinget. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen. Imponendo ei ſcapulare cum caputio, dicat: Tolle jugum Chriſti ſuave, & onus ejus leve. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen. Imponendo ei cappam albam, dicat: Qui ſequuntur Agnum ſine macula, ambulabunt cum eo in albis: ideo ſint ſemper tua veſtimenta candida, in ſignum tuæ internæ puritatis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen. Deinde Prælatus aſpergat eum aqua benedicta: & extendens manum ſuper eum, dicat. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

Adeſto ſupplicationibus noſtris; & hunc famulum tuum, cui in tuo S. Nomine habitum noſtræ Sac. Religionis impoſuimus, benedicere digneris: & præſta, ut te largiente, devotus in Eccleſia perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum &c.

Poſtea omnibus genuflexis, Præſidens incipiat ſolemniter Hymnum: Veni creator. Et dicto primo verſu, ſurgant: & cantando Hymn. eant proceſſionaliter ad Eccleſiam: & Novitius proſternat ſe ante medium Altaris ſupra tapetum antea præparatum: Prælatus ſtans juxta cornu Altaris, Cæteri Fratres in ſtallis ſuis.

Hymnus D. Ambroſii.

VEni creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creaſti pectora.
Qui Paraclitus diceris,
Donum Dei Altiſſimi.
Fons vivus, ignis, charitas,
Et ſpiritalis unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Dexteræ Dei tu digitus,
Tu rite promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore ſic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus, da, Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Te utriuſque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paraclito,
Nobiſque mittat Filius
Chariſma Sancti Spiritus. Amen.

*Tempore Paſchali ante ultimum verſum dicitur.*

Quæſumus, auctor omnium
In hoc Paſchali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Sit laus Patri &c.

*Tempore Aſcenſionis dicitur.*

Tu eſto noſtrum gaudium.
Qui es futurum præmium:
Sit noſtra in te gloria,
Per cuncta ſemper ſæcula.
Sit laus Patri &c.

*In die, & per Octavam Pentecoſtes dicitur.*

Dudum Sacrata pectora,
Tua repleſti gratia:
Dimitte noſtra crimina,
Et da quieta tempora.
Sit laus Patri &c.

Hymno dicto, dicitur Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Præſidens ſtans juxta Novitium, dicat. ℣. Et ne nos. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in eo. ℣. Salvum fac ſervum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Ora pro eo, Sancta Dei genetrix. ℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

DEUS qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da ei in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

In die, & infra oct. Pentec. ſupradicta Oratio incipitur ſic: Deus, qui hodierna die corda fidelium &c.

Oratio.

PRotege Domine famulum tuum ſubſidiis pacis: & B. Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentem, a cunctis hoſtibus redde ſecurum.

Ora-

Oratio.

DEUS qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatorum; Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut famulum tuum, de tua miſericordia confidentem, cæleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerves: ut tibi jugiter famuletur, & nullis tentationibus a te ſeparetur.

Oratio.

DEUS miſericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, ſine quo nihil bonum inchoatur, nihil bonum perficitur: adſint noſtris humilibus precibus tuæ pietatis aures, & hunc famulum tuum, cui in tuo ſancto Nomine Sacræ noſtræ Religionis habitum impoſuimus, & a mundi impedimento, & ſæculari deſiderio defende: & concede ei, ut in hoc Sancto propoſito devotus perſiſtere, & remiſſione peccatorum percepta, ad electorum tuorum valeat conſortium pervenire.

Oratio.

DEUS qui non vis mortem peccatoris, ſed pœnitentiam, & vitæ emendationem ſemper inquiris: te ſuppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo ſæcularibus actibus renuncianti, large tuæ pietatis gratiam infundere digneris: quatenus caſtris tuis inſertus, ita tibi militando, ſtadium vitæ præſentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis, te donante, percipiat: & ſicut iſte, te Deo inſpirante, noſtris optat jungi conſortiis, (propter quod damus ei communem ſocietatem vivendi nobiſcum, quatenus a te Domine, poſſumus promereri, & noſtrum eſt largiri,) ſic cum electis, a te Remuneratore omnium bonorum, valeat præmia repromiſſa percipere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

His dictis, aſpergatur aqua benedicta, & poſt a terra elevetur, & manibus junctis ducatur ad oſculandum Altare reverenter, & devote: deinde manum Præſidentis, & poſtea manus omnium Sacerdotum, dicendo unicuique eorum: Ora Deum pro me, Pater. Ultimo faciat reverentiam amplectendo ſingulos alios Fratres, dicendo unicuique: Ora Deum pro me Frater. Poſtea in ultimo loco collocetur, ubi ſtet verſus Altare uſque in finem Miſſæ, & tunc communicet devote. Veſtes quoque ejus ſæculares reſerventur uſque ad profeſſionem.

## CAPUT XXVI.

### *De modo profeſſandi.*

1. CUM dies profeſſionis advenerit, congregatis Fratribus (ut in receptione Novitiorum cautum eſt) adducatur Novitius in tunica Ordinis, abſque cingulo, & ſcapulari: & genuflexus ante

Præſidentem, ſtolam ſuper cappam albam habentem, & ad dexteram aquam benedictam, ad ſiniſtramque ſcapulare cum caputio, zopam, & cappam albam. Præſidens petat, & exponat, (ut in receptione Novitiorum dictum eſt.) Quo rerſpondente, eſſe paratum obſervare, (ut ſupra dictum eſt) appropinquet ad Præſidentem: & manus ſuas, in quibus ſit ſchedula continens ſuam profeſſionem ſua manu (ſi ſcribere ſciat) ſcriptam, & obſignatam, ponat inter manus Præſidentis. Si autem ſcribere neſcit, faciat in ea propria manu ſignum Crucis. In dorſo vero ſchedulæ ponatur dies, menſis, & annus profeſſionis hujuſmodi: & vocetenus dicat ſuam profeſſionem. Si in manibus Rm̃i Prioris G. ſit facienda profeſſio, eam faciat in hac forma.

Profeſſio.

EGO Frater N. facio profeſſionem meam, & promitto obedientiam, paupertatem, & caſtitatem Deo, & B. Mariæ Virgini de Monte Carmeli, & tibi Rm̃o Patri N. Priori G. Fratrum Ordinis ejuſdem B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli, tuiſque ſucceſſoribus, ſecundum Regulam prædicti Ordinis, uſque ad mortem.

*Si autem aliquis alius præſideat, dicat ſic.*

EGO Frater N. facio profeſſionem meam, & promitto obedientiam, paupertatem, & caſtitatem Deo, & B. Mariæ Virgini de Monte Carmeli, & Rm̃o Patri N. Priori G. Fratrum Ordinis ejuſdem B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli, ſuiſque ſucceſſoribus, ſecundum Regulam prædicti Ordinis uſque ad mortem. Si ſit Laicus, qui facit profeſsionem, aut non intelligens latinum, vel Clericus coram ſæcularibus, dicat profeſsionem in vulgari. Repetita ter profeſsione, Præſidens dicat: Immola Deo Sacrificium laudis: Fratres reſpondeant: Et redde Altiſsimo vota tua. Tunc profeſſus reſignet ſchedulam in manu Præſidentis, dicendo: Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini. Schedula illa ab omnibus Fratribus, qui adfuerunt profeſsioni, ſubſcribatur, & in arca communi diligenter cuſtodiatur; ut ad omnem eventum poſsit ſciri, qui, & quando fuerint profeſsi. Deinde dicat Præſidens: Deus, qui te incœpit in nobis, ipſe te perficiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen. Tunc ſurgant omnes, excepto Profeſſo, & Præſidens benedicat eum, dicens. ℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Oremus.

SEmpiterne Deus, & Omnipotens Pater, qui humanæ fragilitatis infirmitatem agnoſcis, reſpice, quæſumus, ſuper hunc famulum tuum N. & larga tuæ benedictionis abundantia imbecillitatem ejus corroborare digneris: ut, promiſſa vota, quæ præveniendo aſpiraſti, per auxilium gratiæ tuæ, ſancte, pie, ac religioſe

ligioſe vivendo, valeat vigilanter obſervare, & obſervando vitam promereri ſempiternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Oremus. Oratio. Deus Indulgentiæ. Deus, qui per coæternum. Domine Jeſu Chriſte, qui es via, ſine qua. Sancte Spiritus, qui te: ut ſupra in receptione Novitiorum. Deinde convertat ſe Præſidens ad veſtes, & benedicat eas dicens. ℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis. ℣. Domine Deus virtutum, converte nos. ℟. Et oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui noſtræ mortalitatis trabeam induere voluiſti, immenſam tuam largitatem obſecramus; ut abundantem benedictionem in hoc veſtimenti genus effundere digneris, quod Sancti Patres ad innocentis, & humilis vitæ indicium, abdicato ſeculo, portari ſanxerunt; atque hoc ita benedicas, ut famulus tuus, qui eo uſus fuerit, te veſtiri mereatur. Qui vivis, & regnas, &c.

Oremus. Oratio.

DOmine Jeſu Chriſte, Auctor virtutum, & amator pœnitentium; qui virtutibus omnibus præditus in hoc ſæculo apparuiſti, atque paupertatem, & caſtitatem peculiariter manifeſtandas elegiſti: & peccatores ad pœnitentiam miſericorditer vocaſti, & omnes fideliter ſe convertentes pie ſuſcepiſti: tuam ineffabilem miſericordiam ſuppliciter exoramus, quatenus hunc habitum ſanctificare, & benedicere digneris: & concede propitius, ut quicumque illum devote in ſignum ſanctæ converſationis geſtaverit, cum veſte candida, atque immaculata ante tribunal tuum in Sanctorum agmine glorificatus, in die Judicii valeat apparere. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Deinde aſpergantur veſtes aqua benedicta, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Poſtea Præſidens cingat eum cingulo, dicens: Cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas, cum autem ſenueris, alius te cinget. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen. Imponendo ei ſcapulare cum caputio, dicat: Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen. Imponendo ei cappam albam dicat: Qui ſequuntur Agnum ſine macula, ambulabunt cum eo in albis: ideo ſint ſemper tua veſtimenta candida, in ſignum tuæ internæ puritatis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Deinde aſpergat eum aqua benedicta: & extendens manum ſuper eum dicat hanc orationem, ſine Dominus vobiſcum, ſed ſolum.

Ore-

Oremus. Oratio.

DOminus Jeſus Chriſtus, Pater miſericordiarum, & peccatorum conſolator, qui dixit: Nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur: & qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam; ipſe te ſua ineffabili miſericordia, & ſolita pietate ad veram cordis contritionem vocet, & gratiam devotæ pœnitentiæ inſpiret: ut digne habitum ſanctæ Profeſſionis gerere, & votum tuæ Profeſſionis, & promiſſa Sancti Ordinis valeas adimplere, ac in ſuo ſancto ſervitio perſeverare: & cum electis ejus ad æterna gaudia feliciter pervenire: Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Deinde aſpergatur aqua benedicta, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen. Tunc Præſidens incipiat ſolemniter: Te Deum laudamus; & ducatur profeſſionaliter ad Eccleſiam, & reliqua omnia fiant, ut in receptione Novitiorum dictum eſt.

## CAPUT XXVII.

### *Forma faciendi Jubileum.*

FRater, qui debet facere Jubileum, debet per octo dies ante humiliter, & devote petere Priori Generali, ſi præſens fuerit, vel Priori Provinciali, & in eorum abſentia Priori Locali licentiam confitendi generaliter Fratri idoneo, qui de eorum auctoritate poſſit eum abſolvere de omnibus peccatis ſuis. Deinde die, qua debet facere Jubileum, prædictus Frater bono mane celebrabit Miſſam cum ſumma devotionis intentione: qua celebrata, revertatur ad cellam ſuam in oratione perſiſtens, quouſque per Priorem ſuum fuerit vocatus. Dicta autem Tertia in Conventu, Prior habens Stolam in collo ſuo, cum omnibus Fratribus proceſſionaliter, Cruce cum Ceroferariis præcedentibus, mediocri voce pſalmodiando, cantabunt Pſalm. Ad Dominum cum tribularer, &c., & ſic de aliis Pſalm. ſequentibus, donec pervenerint ad cellam prædicti Fratris; & remanentibus Fratribus extra cellam proceſſionalirer ordinatis, ſolus Prior cum uno Socio principaliori inter omnes Fratres, qui erunt ibi, intrabit ad dictum Fratrem; & per manum illum ducens uſque ad conſpectum Fratrum, & ante oſtium dictæ cellæ perſiſtens, dictus Prior incipiat cantando Antiph. Hic vir deſpiciens Mundum, &c., quam cantando Fratres proceſſionaliter vadant ad Capitulum, vel Refectorium, ſi Capitulum non habeatur: & Antiph. percantata, pſalmodiabunt Pſalm. Jubilate Deo omnis terra, ſervite Domino in lætitia, &c., & poſtea dictam Antiph. repetant.

tant. Debet autem dictus Frater, qui facit Jubileum, cereum non accenſum portare in manu ſua, & ire inter dictum Priorem, & Principaliorem Fratrem, ſicut per ipſos extrahitur de cella. Deinde intrabunt Capitulum, in quo ſint ſedilia cooperta tapetis: & in medio Capituli ſit ſcamnum tapeto coopertum, ante quod dictus Frater, qui faciet Jubileum, debet ſtare flexis genibus cum dicto cereo non accenſo in manu ſua. Prior autem præſidebit, aliis Fratribus in locis ſuis devote aſtantibus cum Secularibus intereſſe volentibus: Et tunc dicat Prior. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in eo. ℣. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Ora pro eo, Sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da ei in eodem Spiritu recta ſapere; & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Oratio.

DEus miſericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, & ſine quo nihil boni inchoatur, nihilque boni perficitur: adſint noſtris humilibus precibus tuæ pietatis aures: & hunc famulum tuum Fratrem noſtrum, cui ad ejus Religioſitatis, & vitæ approbationem, & ſemper ad tui Nominis honorem annum Jubileum celebrare concedimus, tua virtute illuſtra: ut quod libertatis figurativum exterius agimus, tuorum Sanctorum jubilum lætitiæ, in cæleſti Jeruſalem, quæ libera eſt, perfectius percipere valeat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde vocetur Frater per Priorem ad ſedendum juxta ſeipſum, & poſtea fiat una brevis collatio in Latino, vel Vulgari. Qua facta, ſurgat Frater, qui facit Jubileum, & revertatur ad primum locum ante ſcamnum, quod eſt in medio Capituli, tenens cereum in manu: & flexis genibus ſit attentus ad reſpondendum Priori. Tunc Prior dicat ei: Frater, quid petis? Reſpondens ipſe: Miſericordiam Dei, & in hac ſenii debilitate ſancte vivendi perſeverantiam. Tunc dicat Prior ei: Quoniam in noſtro Ordine per quinquaginta annos bene, & honeſte cum omni obedientia, caſtitate, paupertate, & aliis obſervantiis Regularibus, ſine reprehenſione, ſecundum tuam poſſibilitatem, Domino adjuvante vixiſti, & etiam cum Apoſtolo bonum certamen certaſti, fidem Deo, & Ordini ſervaſti, & curſum tuum, quaſi uſque ad ultimos dies vitæ tuæ laudabiliter conſummaſti, 2.Tim. cap.4.

ideo

ideo nos in hac die, quam tibi diem, & annum Jubileum ſtatuimus, tuæ ſenectuti, quantum poſſumus, indulgentes, atque honeſtatis favoribus proſequentes, noſtri Ordinis gratias, libertati ſpiritus inſervientes, concedimus, & elargimur: Deum ſuppliciter deprecantes, ut in gravioribus poſtremæ ſenectutis neceſſitatibus tibi propitius adſit: & deſideratam, ac promiſſam tibi reddat pro mercede coronam: quam fidelibus ſuis redditurus eſt in illa die juſtus Judex. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. ℟. Amen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen. Et aſpergat eum aqua benedicta. His completis, Frater incipiat cantando devotius, quam poterit. ℟. Regnum Mundi: quod cantando, Fratres vadant proceſſionaliter per Clauſtra, taliter, quod in fine ipſius Reſponſorii perveniant ad exteriorem portam Eccleſiæ Conventus. Et tunc intrando Eccleſiam, Cantores incipiant *alta* voce: Te Deum laudamus: & ſic cantando intrabunt Eccleſiam, & ibunt ad ſtallos ſuos. Prior vero accedat ad medium Altaris: & qui facit Jubileum, proſternat ſe ante Altare ſuper tapetum, ad hoc præparatum. Tunc Prior cum Fratribus dicat: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Deinde Prior ſtando juxta illum, qui facit Jubileum, dicat: Et ne nos inducas, &c. ℣. Jubilate Deo omnis terra. ℟. *Servite Domino in lætitia*. ℣. Salvum fac ſervum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Ora pro eo, Sancta Dei Genitrix. ℟. Ut dignus efficiatur promiſſionibus Chriſti. ℣. Domine exaudi orationem, &c. ℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui mandata tua uſque in finem cuſtodientibus, ac in lege tua perſeverantibus, largam tuæ benedictionis abundantiam promiſiſti; tribue, quæſumus, huic famulo tuo, cujus anni Jubilei diem ab ingreſſu deſerti noſtræ Sacræ Religionis celebramus, tuæ gratiæ largitatem: ut qui amore tui nominis, jugo tuæ ſervitutis in noſtro Ordine diutius ſe aſtrinxit; ac mandatis Sanctorum Patrum, ſecundum ſuæ fragilitatis poſſibilitatem, & tui auxilii largitatem *humiliter obedivit*, cæleſtis gloriæ perpetuam mereatur percipere manſionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui es via, ſine qua nemo venit ad Patrem; & ſine qua nemo poteſt in *ſtadio* præſentis vitæ currens, accipere bravium: quique hunc famulum tuum Fratrem noſtrum ab adoleſcentia ſua, uſque ad hunc diem, per quinquaginta annos a carnalibus deſideriis abſtractum, in noſtro Ordine Dei Genitrici Mariæ de Monte Carmeli dedicato miniſtrare feciſti; ipſum per viam Regularis Diſciplinæ gratuito deducendo: quique

etiam

etiam peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Et, qui mihi miniſtrat, me ſequatur: præſta quæſumus, ut hic famulus tuus Frater noſter, tua refectione ſuſtentetur, & a te, in cujus vinea uſque ad decrepitam, & ultimam quaſi vitæ ſuæ horam, juxta poſſe, fideliter laboravit, uſque in finem etiam te adjuvante perdurans, promiſſum diurnum præmium pro mercede, opere conſummato, a te finaliter percipere mereatur. Qui vivis, & regnas &c. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

PRotege, Domine, famulum tuum ſubſidiis pacis: & B. Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentem, a cunctis hoſtibus redde ſecurum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Tunc aſpergatur aqua benedicta, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen. Et oſculato Altari, ſtatim incipiatur Miſſa ſolemniter, & ponat ſe Frater genuflexus in gradu Diaconi, in parte ſiniſtra Altaris, ibidem manens uſque in finem Miſſæ. Et tunc dimiſſo prædicto cereo ſuper Altare, aſſociatus a Fratribus redeat ad cellam ſuam, & de cætero fruatur gratiis Ordinis, & libertatibus, talibus Fratribus antiquis dari conſuetis.

*Si* vero Prior G., vel aliquis alius ſolemnis Frater Major faciat annum ſuum Jubileum, non decet, quod proſternat ſe in principio coram quocumque alio: ſed dicatur ei, ab illo, cui commiſerit, poſt collationem factam, ut ſupra &c. Quoniam in Sacro noſtro Ordine per quinquaginta annos bene, & honeſte &c. Et dicatur in plurali numero, propter ejus reverentiam: & reſiduum fiat, ſicut prius, vel ſicut ipſe dictaverit.

Jubilei validi, & potentes ambulare habeant viſitare Chorum Horis diurnis, & Miſſas privatas celebrare ad ordinationem Prioris ad minus ter in hebdomada, ſub pœna privationum libertatum. Item ordinamus, quod Jubilei habeant locum ſupra Lectores, niſi merita eorum nimium excederent, propter prædicationis famam.

# CAPUT XXVIII.

## *Quis habeat facultatem inſtituendi noſtram Confraternitatem Scapularis; quæ forma ſervanda in illius Erectione, & receptione Confratrum; quave eorum obligationes.*

Solus Prior G. & in ejus abſentia Vicarius G. poteſt ubique terrarum Confraternitatem inſtituere.

1. SOlus Pater Generalis Ordinis pro tempore exiſtens, & in ſua abſentia ejus Vicarius Gen. ex indulgentia Pauli V. (a) poteſt ubique locorum extra Urbem, ſervata forma præſcripta a Clemente VIII. (b), de qua infra, Confraternitates habitus erigere, & inſtituere, illiſque Indulgentias, & gratias ſpirituales auctoritate Apoſtolica libere & licite communicare. Vicarius autem G. Congregationis Mantuanæ, ut pluries declaravit Sacra Congregatio ſuper Indulgentiis, ſolum in Eccleſiis ipſius Congregationis, ex indulto ejuſdem Pauli V. (c) Quoniam autem in Ordine noſtro duo alii ſunt Supremi Generales, præter noſtrum, Diſcalceatorum primitivam Regulam profitentium, unus Congregationis Hiſpaniæ, alter Congregationis S. Eliæ, eadem Sacra Cong. ſuper Indulgentiis declaravit, unumquemque eorum liberam habere facultatem inſtituendi ubique locorum Confraternitatem noſtram.

Vicarius G. Congregationis Mantuanæ ſolum in Eccleſiis ipſius Congregationis.

Forma, quæ ſervanda eſt in erectione noſtræ Confraternitatis.

2. Pater Generalis, ut in erigenda Confraternitate formam ſervet a Clemente VIII. præſcriptam, in primis debet eſſe certus de conſenſu Ordinarii loci, in quo Confraternitas eſt inſtituenda, & habere apud ſe illius litteras teſtimoniales, quibus Confraternitatis erigendæ commendetur pietas, & Chriſtianæ charitatis officia, quæ cupit exercere. Secundo cavere debet, ne alia noſtra Confraternitas in eodem, vel alio ad tria milliaria propinquo loco prius erecta ſit, licet ſuper hac diſtantia ob juſtam cauſam ab Ordinario loci approbatam diſpenſare poſſit, & in loco magis propinquo novam Inſtitutionem facere, ut eadem Congregatio ſuper Indulgentiis declaravit. Tertio Confraternitati, quam erigit, ea tantum debet communicare privilegia, & indulta, eaſque Indulgentias, facultates, & gratias ſpirituales, quæ noſtro Ordini, ſeu ipſi Confraternitati, non per extenſionem, & communicationem: ſed nominatim, & in ſpecie conceſſa ſunt, & dicta privilegia, & indulta, dictas Indulgentias, facultates, & gratias ſpirituales communicare debet non ſub generali forma, & adinſtar, ſed expreſſe, & in ſpecie ſingula privilegia, & ſingulas gratias ſpirituales nominatim referendo. Inſuper ex Decreto facto in Capitulo

(a) *Conſt.* Cum certas. (b) *Conſt.* Quæcumque. (c) *Conſt.* Dilecto: *quæ habentur in Bull. Carm. tom.*2. *pag.*351. 326. 353.

pitulo Generali Romæ anno 1620. non eſt erigenda Confraternitas in noſtris Eccleſiis, niſi cum quibuſdam particularibus conditionibus, & ſtatutis, quæ aliqui Patres a Conventu deputati cum Confratribus componere debent: inter quæ hoc erit præcipuum, ut Prior Conventus, ſeu Vicarius, vel alius Religioſus ab eo nominatus in omnibus Congregationibus Confratrum aſſiſtat cum voto deciſivo, & quod omnes eleemoſynæ Confraternitati erogatæ ſerventur in arca, cujus unam clavem teneat Prior, & de aſſenſu illius, vel alterius Fratris ab eo deſignati in beneficium Eccleſiæ expendantur.

3. Et ne, quod in favorem noſtræ Religionis a Summis Pontificibus conceſſum fuit, aliquando in illius detrimentum vergat, Reverendiſs. Pater in poſterum Confraternitatem noſtram in exteris Eccleſiis præſertim aliorum Regularium non inſtituat, niſi ſub hac expreſſa conditione, quod ſi temporis ſucceſſu, noſtra Religio domum in eodem loco fundaverit, inſtitutio Confraternitatis in aliena Eccleſia facta, eo ipſo penitus expiret, nulliuſque reddatur valoris, & momenti, & valeat Pater Generalis novam erectionem in noſtra Eccleſia, ſervatis ſervandis facere: & niſi etiam ſub juramento promittant, tum Superiores exterarum Eccleſiarum, in quibus inſtituenda fuerit Confraternitas, tum Confratres, quod nec directe, nec indirecte, nec per ſe, nec per alios, ullo umquam tempore impedient, quo minus poſſimus nos, ſi ſe obtulerit occaſio, novum ibi Monaſterium acquirere, imo expreſſe proteſtentur, ſe ad id, quatenus opus fuerit, ex nunc pro tunc ſuum præbere conſenſum.

*Sub qua conditione inſtituenda ſit Confraternitas in alienis Eccleſiis.*

4. Item cum unica tantum Inſtituti noſtri Confraternitas erigi poſſit in eodem loco, ad conſervandam bonam pacem inter nos, & Patres noſtros Diſcalceatos; noſter Prior Generalis Ordinis, & Prior Generalis Diſcalceatorum Congregationis Hiſpaniæ in hac devenerunt concordiam, ut ubi nos erectam jam habemus Confraternitatem, poſſint Diſcalceati Scapulare petentibus concedere, ſodaleſque ita admittere, ut eo ipſo Confraternitati noſtræ adſcripti cenſeantur, & ſint, ut eaſdem Indulgentias, facultates, & gratias ſpirituales, privilegiaque, & indulta conſequantur: & pari ratione, ſi alicubi Patres Diſcalceati Confraternitatem prius erexerint, poſſimus nos Sanctum Scapulare petentibus concedere, ſodaleſque ita admittere, ut eo ipſo in Diſcalceatorum Confraternitatem adſcripti cenſeantur, & ſint, & eaſdem Indulgentias, facultates, & gratias ſpirituales, eademque privilegia, & indulta conſequantur. Quoad proceſſionem vero, quæ fit a Confraternitate ſemel in menſe, & in die ſolemnis Commemorationis B. Virginis, convenerunt, ut ſi Confraternitas in domibus Diſcalceatorum erecta fuerit, ipſique noluerint dictam proceſſionem facere, poſſint Patres noſtri eam celebrare, & Sodales illi aſſiſtentes lucra-

*Concordia ſacta inter nos & Patres Diſcalceatos in concedendo petentibus ſanctum Scapulare.*

lucrari Indulgentias, ac ſi in domibus noſtris eſſet Confraternitas: & ſimiliter, ſi in domibus noſtris prius erecta fuerit Confraternitas, noluerintque Patres noſtri proceſſionem facere, poſſint Patres Diſcalceati eam facere, Confratreſque illi aſſiſtentes conſequi Indulgentias; quam concordiam Paulus V. approbavit, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjecit. (a)

Obligatio Confratrum pro lucrandis Indulgentiis.

5. Confratres, ut participes eſſe poſſint privilegiorum, & gratiarum ſpiritualium, quæ communicantur Sodalitati ſcapularis, ſolum tenentur continuo deferre ipſum ſcapulare, deinde pro lucrandis ſingulis Indulgentiis, eas fundere preces, eave ſpiritualia opera exercere, quæ Pontifex in earum conceſſione præſcribit: minime vero, qui literas noſcunt, aſtricti ſunt quotidie parvum B. V. Officium recitare, nec ignari literarum ſepties Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. Licet, qui devote recitaverint Officium B. V. toties ex conceſſione Pauli V. Indulgentiam centum annorum conſequentur, & qui ſepties Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad honorem ſeptem gaudiorum ejuſdem B. V. quadraginta dierum. Neque etiam obligati ſunt abſtinere ſe ab eſu carnium in feria quarta, ſed ſi ſe abſtinuerint, ex conceſſione ejuſdem Pauli V. trecentum dies Indulgentiarum obtinebunt.

Obligatio Confratrum, qui voluerint gaudere Privilegio Bullæ Sabbatinæ.

6. Omnes vero, qui voluerint privilegio Bullæ, quæ vulgo nuncupatur Sabbatina, gaudere, ab omni libidinis labe ſe debent pro ratione ſui ſtatus immunes cuſtodire, ſervando Virgines virginitatem, Viduas continentiam, conjugatas jura matrimonii, & inſuper literas habentes Officium ſaltem parvum Beatæ Virginis quotidie recitare, neſcientes autem, diebus ab Eccleſia præceptis jejunare, & Feria quarta, & Sabbato toto tempore vitæ ſuæ, niſi in aliquo ex his diebus Nativitas Domini Noſtri occurrerit, a carnibus abſtinere.

Forma ſervanda in recipiendis fidelibus ad Confraternitatem.

7. Ut quis autem inter Confratres rite, & legitime ſit receptus, duo ſunt neceſſaria, alterum, ut in libro Confraternitatis deſcribatur, alterum, ut ſcapulare benedictum ab aliquo Superiore Ordinis, vel ab habente ab illo facultatem recipiat, licet eo poſtea amiſſo, vel uſu conſumpto, poſſit alterum non benedictum aſſumere. Superior autem, qui poteſt habitum benedicere, & conferre, atque Sodales recipere, quive poteſt hanc facultatem delegare, eſt Pater Reverendiſſimus Ordinis pro tota Eccleſia, & Priores Provinciales intra limites ſuarum Provinciarum, Priores vero Locales poterunt quidem ipſi petentibus ſcapulare benedictum concedere, & eos in ſodalitatem recipere; nolumus tamen, ut hanc facultatem valeant aliis committere.

CA-

(a) *Conſt.* Ad ea: *apud Bull. Carm. tom.* 2. *pag.* 373.

# CAPUT XXIX.

## *De modo recipiendi ad noſtri Ordinis beneficia; & de benedictione Habitus.*

CUM aliquis recipi petit ad noſtri Ordinis Confraternitatem, & ſpiritualium bonorum participationem, primo conſiderandum eſt, quod talis ſit perſona devota, boni nominis, & honoris: & nullo modo recipiantur perſonæ ſcandaloſæ, inhonoratæ, & perverſorum morum, maxime mulieres: ideo ante receptionem, proponantur Conventui, an ſint recipiendæ. *V. App. n. 144. & 145.*

Prior Generalis, & ex commiſſione ejuſdem, vel Capituli Generalis quilibet Frater poteſt recipere quamlibet perſonam ad participationem totius Ordinis. Prior vero Provincialis, & ex commiſſione ejuſdem, vel Capituli Provincialis quilibet Frater poteſt recipere ad participationem ſuæ Provinciæ. Prior autem Localis cum Capitulo Conventuali, & ex commiſſione eorumdem quilibet Frater poteſt recipere ad participationem illius Conventus. Si quis aliter receptus fuerit, talis receptio eſt nulla, & nullam habet participationem.

Cum ergo recipiendus ſit, convocato primo Conventu ante Altare Majus, vel ante Altare Virginis, vel ad minus Superiori aſtante cum duobus Fratribus habente ad collum Stolam, perſona recipienda genuflectat. Et tunc Superior propoſita ejus petitione, dicat ei, quod propter devotionem, quam habet ad Ordinem, & propter fiduciam, quam in orationibus Fratrum habet, libenter ipſe, & Conventus volunt ejus deſiderio annuere.

Si recipiendus ſit perſona multum excellens, poteſt recipi in Capitulo, ſi ei magis placuerit: & tunc omnes Fratres conveniant. Et illa perſona, ſi ſciat, & velit, proponat petitionem ſuam Conventui: alias Prior vice illius proponat, & propoſita oſtendat Conventui, quantum tenetur ei propter devotionem, affectum, & beneficia illius ad Ordinem, & quomodo propter iſta merito exaudienda eſt ejus petitio, & converſus ad eam dicat ei, quod ipſe, & Conventus libenter volunt annuere petitioni ſuæ. Tunc Prior, vel Superior incipiat.

Antiph. Suſcepimus, Deus, &c.

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis: * in Civitate Dei noſtri, in Monte Sancto ejus.

Fundatur exultatione univerſæ terræ Mons Sion: * latera Aquilonis, Civitas Regis Magni.

Deus in Domibus ejus cognoſcetur: * cum ſuſcipiet eam:

Quoniam ecce Reges Terræ congregati ſunt: * convenerunt in unum.

Ipſi

Ipſi videntes, ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt: * tremor apprehendit eos.
Ibi dolores, ut parturientis: * in ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.
Sicut audivimus, ſic vidimus in Civitate Domini virtutum, in Civitate Dei noſtri: * Deus fundavit eam in æternum.
Suſcepimus Deus, miſericordiam tuam: * in medio Templi tui.
Secundum nomen tuum, Deus, ſic, & laus tua in fines Terræ: * juſtitia plena eſt dextera tua.
Lætetur Mons Sion, & exultent filiæ Judæ: * propter judicia tua Domine.
Cicumdate Sion, & complectimini eam: * narrate in turribus ejus.
Ponite corda veſtra in virtute ejus, & diſtribuite domus ejus: * ut enarretis in progenie altera.
Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.
Gloria Patri, & Filio: * & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: * & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 132.

Ecce quam bonum, & quam jucundum: * habitare Fratres in unum.
Sicut unguentum in capite: * quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.
Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: * ſicut ros Hermon, qui deſcendit in Montem Sion.
Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: * & vitam uſque in ſæculum. Gloria &c.
*Antiph.* Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio Templi tui ſecundum nomen tuum, ita laus tua in fines Terræ, juſtitia plena eſt dextera tua. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas &c. ℣. Salvum fac ſervum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus. *Oratio.*

Suſcipiat te Chriſtus in numero fidelium ſuorum, ut nos, licet indigni, te ſuſcipimus in orationibus noſtris. Concedat tibi Deus per Unigenitum ſuum, mediatorem Dei, & hominum tempus bene vivendi, locum bene agendi, conſtantiam bene perſeverandi, & ad æternæ vitæ hæreditatem feliciter perveniendi: & ſicut nos hodie fraterna charitas ſpiritualiter jungit in terris, ita

ita divina pietas, quæ dilectionis eſt auctrix, & amatrix, nos cum fidelibus ſuis conjungere dignetur in Cælis. Per eumdem Dominum noſtrum &c. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

ADeſto Domine, ſupplicationibus noſtris: & hunc famulum tuum, quem in tuo Sancto Nomine ad participationem omnium bonorum ſpiritualium, & fraternitatem recipimus hujus Sacræ Religionis, Beatæ Genitrici tuæ Virgini Mariæ ſpecialiter dedicatæ, benedicere digneris: & præſta, ut te largiente, devotus in Eccleſia perſiſtere valeat cum augmento virtutum: atque ſuffragiis hujuſmodi noſtri Sacri Ordinis adjutus, vitam percipere mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde dicat.

EGO ex poteſtate mihi tradita, & conceſſa, ſuſcipio ac recipio te ad participationem omnium orationum, diſciplinarum, precum, ſuffragiorum, eleemoſynarum, jejuniorum, peregrinationum, vigiliarum, Miſſarum, Horarum Canonicarum, ac cæterorum bonorum ſpiritualium, quæ paſſim die, noctuque (cooperante miſericordia Jeſu Chriſti) a Religioſis hujus Conventus peraguntur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Benedictio.

BEnedicat te Conditor Cæli, & Terræ, Deus Omnipotens, qui te eligere dignatus eſt ad Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli Societatem, & Confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput ſerpentis, qui tibi eſt adverſarius: & tandem tamquam victor, palmam, & coronam ſempiternæ hæreditatis conſequaris. Per Chriſtum &c.

Deinde aſpergatur aqua benedicta, & oſculetur librum, ubi eſt ſcripta prædicta oratio: Suſcipiat, & poſtea manum Prioris.

Si recipiens ſit Prior G., vel ex ejus commiſſione, aut Capituli G., ubi dicitur a Religioſis hujus Conventus, dicat, a Religioſis totius noſtræ Sacræ Religionis. Si autem recipiens fuerit Prior Provincialis, vel ex ejus, aut Capituli Prov. commiſſione, dicat, a Religioſis hujus noſtræ Provinciæ. Si mulier recipienda ſit, vel plures ſimul recipiendi ſint, mutetur genus, & numerus.

Benedictio Habitus.

Deinde converſus ad Habitum, dicat. ℣. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis. ℣. Domine Deus virtutum, converte nos. ℟. Et oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. ℣. Domine exaudi: ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

SUppliciter te Domine rogamus, ut ſupra hunc Habitum, Servo tuo imponendum, benedictio tua benigna deſcendat, ut ſit benedictus, atque Divina virtute procul pellantur hoſtium noſtrorum viſibilium, & inviſibilium tela nequiſſima. ℟. Amen.

Ore-

Oremus . Oratio .

CAput omnium fidelium Deus , & humani generis Salvator , hunc Habitum , quem propter tuum , tuæque Genitricis Virginis Mariæ de Monte carmeli amorem , atque devotionem ſervus tuus eſt delaturus , dextera tua ſanctifica , & hoc , quod per illum myſtice datur intelligi , tua ſemper cuſtodia , corpore , & animo ſervetur : & ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus feliciſſime perducatur . Qui vivis & regnas &c.

Oremus . Oratio .

CReator , conſervator , & Salvator omnium , largitor humanæ ſalutis , Deus , & dator gratiæ ſpiritualis : benedictionem tuam ſuper hunc Habitum immitte , ut qui eum geſtaverit , cæleſti virtute munitus , fidem integram , ſpem firmam , & charitatem deſideratam teneat , & a te numquam ſeparari permittas . Qui vivis & regnas &c.

Deinde aſpergat aquam benedictam ſuper Habitum , & poſtea ipſum imponat perſonæ recipienti , dicens .

ACcipe , vir devote , hunc Habitum benedictum , precantes Sanctiſſimam Virginem , ut ejus meritis illum perferas ſine macula , & te ab omni adverſitate defendat , atque ad vitam perducat æternam . ℟. Amen .

# PARS QUINTA CONSTITUTIONUM.

## CAPUT I.

### *De culpis, & pœnis in communi.*

1. QUIA Conſtitutiones noſtri Ordinis neminem ex ſe intendunt obligare ad culpam, ſed ad pœnas ſcriptas propter tranſgreſſiones infligendas; nec obligant ad culpam, niſi propter contemptum. Ideo nunc dicendum eſt conſequenter de pœnis, quæ tranſgreſſoribus correſpondent.

*Conſtitutiones non obligant ad culpam, niſi propter contemptum.*

*De hac materia vid. App. §. xx.*

2. Et quamvis in pleriſque locis harum Conſtitutionum pœna culpæ correſpondens, ſit in ſpeciali continuo adjuncta; ſtatuimus tamen, quod ſi quis convictus fuerit de culpa notabili, pro cujus punitione in Conſtitutionibus nulla ſpecialis pœna imponitur, quod Præſidens in Capitulo, coaſſumptis duobus, aut tribus de diſcretioribus Fratribus ejuſdem Capituli, quos duxerit aſſumendos, conſilio habito cum eiſdem, hujuſmodi Fratri convicto, imponat, prout ſibi videbitur, condignam pœnitentiam pro commiſſis.

*Culpæ commiſſæ, pro quibus in Conſtitutionibus nō aſſignatur pœna, ad arbitr. Præſidentis, &c. puniantur.*

3. Item cum in Conſtitutionibus noſtris frequenter ponatur pœna depoſitionis ab officio Prælatorum, & aliorum Officialium, ipſo facto: propter multa pericula, quæ poſſent inde contingere, declaramus, quod intelligitur ipſo facto, poſtquam in Capitulo, vel viſitatione fuerint convicti, & confeſſi coram Superiore.

*Quomodo intelligitur pœna depoſitionis ipſo facto.*

## CAPUT II.

### *De culpa, & pœna levi.*

1. LEvis culpa incurritur, ſi aliquis ad Divinum officium, & ad alia vocatus non venerit competenti feſtinatione, par. 1. c. 3. §. 1. Si in cæremoniis Chori non ſequatur digniorem, p. 1. c. 3. §. 7. Si ante Lectorile non ſtet ordinate, p. 1. c. 3. § 10. Si in celebratione Miſſarum Sacriſtæ non obederit, p. 1. c. 3. § 30. Si garrulitates in Refectorio fecerit, p. 1. c. 4. § 9. Si veſtes Sacras, vel libros Eccleſiaſticos male tractaverit, & alia ſimilia.

*Quibus caſibus levis culpa incurritur.*

2. De his in Capitulo veniam petentibus injungatur a Præſi-

*Pœna levis,*

dente unus Pſal., vel Oratio aliqua ſpiritualis, ſicut placuerit: non petentibus veniam, major pœna injungatur.

## CAPUT III.

### *De culpa, & pœna media.*

Quibus caſibus media culpa incurritur.

1. MEdia culpa incurritur, ſi quis non Cantor, aut Deputatus intonet in Choro. p.1. c.3. §.11. Si in Choro ſit loquax, aut perturbator. p.1. c.3. §.14. Si in fine Horarum ſigno Præſidentis non obediat. p.1. c.3. §.15. Si intrantes, vel exeuntes Chorum non genuflectant ante SS. Sacramentum, vel humiliter non inclinent ante Altare. p.1. c.3. §.17. Si officio per tabulam aſſignato defuerit. p.1. c.3. §.24. Si ſilentium fregerit. p.1. c.5 §.1. Si vaniloquax ſit. p.1. c.5. §.3. Si carens voce, incedat extra clauſtra ſine caputio. p.1. c.7. §.1. Si eat ad hoſpites extra Refectorium comedentes ſine licentia. p.1. c.9. §.4. Si confiteatur in Altari. p.1. c.10. §.6. Si inclinationes, & cæremonias debitas non fecerit. p.2. c.3. §.1. Item ſi quis in Divinis officiis, inordinate ſe habuerit: ſi mentis oſtenderit levitatem in riſu, vel geſtu: ſi mandatum, ad quod totus Conventus tenetur, ſcienter dimiſerit: & ſi aliquem ſervientem, vel alterum ſæcularem, vel Regularem ad cellam ſuam, vel alterius ſine licentia vocare, præſumpſerit.

Pœna media.

2. De ſupradictis, & ſimilibus culpis veniam petentibus, (ſi in propriis locis pœna ſpecialis non aſſignatur,) fiat in Capitulo unius correctionis diſciplina, cum tot Pſalmis, quot Præſidenti placuerit: non petentibus veniam, major pœna infligatur.

## CAPUT IV.

### *De culpa, & pœna gravi.*

Quibus modis gravis culpa incurritur.

1. GRavis culpa incurritur, ſi quis aſſueſcat negligere imitationem Superiorum in cæremoniis Chori. p.1. c.3. §.7. Si in Refectorio, veniat ad Fratres ultimi Conventus; vel ad alios extra Refectorium comedentes. p.1. c.4. §.5. Si ſilentium non ſervaverit in Choro, Refectorio, Dormitorio, Clauſtro, & Cellis. p.1. c.5. §.2. Si aſſueſcat vaniloquio. p.1. c.5. §.3. Si dormierit ſine tunica alba, & ſcapulari. p.1. c.6. §.1. Si Cameram egrediatur tempore dormitionis, vel ſtrepitum in ipſa faciat. p.1. c.16. §.3. Si minutionem ſanguinis, vel phlebotomiam faciat ſine licentia Prioris. p.1. c.8. §.1. Si hoſpites benigne, non recipiantur. p.1. c.9. §.1. Si Seculares retineantur in Conventu, præter ſervitores. p.1. c.9. §.6. Si aliunde reverſus, non reddi-

reddiderit literas teſtimoniales ſuo Superiori. p. 1. c. 9. §. 7. Si exiverit ſine Socio aſſignato, vel illum mutaverit. p. 1. c. 9. §. 11. Si detulerit querelam Superiori majori, niſi propter defectum Superioris immediati. p. 1. c. 9. §. 12. Si ſine licentia equitaverit. p. 1. c. 9. §. 13. Si ſolus vadat ſine licentia. p. 1. c. 9. §. 15. Si Socium extra Conventum reliquerit. §. eodem. Si non in aperto loco confiteatur. p. 1. c. 10. §. 6. Si non portaverit veſtes, etiam interiores de colore albo, nigro, vel griſeo. p. 1. c. 12. §. 1. Si pompa utatur in veſtibus. p. 1. c. 12. §. 6. & 8. Si gladios ferat ultra formam præſcriptam. p. 1. c. 12. c. 7. Si renuerit dicere Officium divinum coram, vel cum infirmis. p. 1. c. 20. §. 1. Si Provincialis permittat aliquem uti ſcientia medicinæ, niſi a Sede Apoſtolica diſpenſatum. p. 1. c. 20. c. 8. Si portaverit cultellos punctatos, aut habentes ferrum ultra longitudinem manus ex tranſverſo. p. 3. c. 10. §. 6. Si Moniales non vacent orationi per horam. p. 3. c. 12. §. 6. Item ſi quis in præſentia Sæcularis inhoneſte cum aliquo contenderit: ſi lites intus, vel foris habuerit: ſi veniam negaverit alicui petenti pro aliquo commiſſo contra eum: ſi indumenta, vel aliqua alia alicui donata, vel conceſſa, ſine Superioris licentia acceperit: ſi inordinata locutione cum Mulieribus reprehenſibilis extiterit, unde mala ſuſpicio oriri poterit: ſi culpam ſuam, vel alterius extra Judicium defenderit: ſi in verbis malitioſis, vel inordinatis deprehenſus fuerit: ſi nimium (ut in loquendo fieri ſolet) leviter jurare conſueverit: ſi jejunia Ordinis conſueta ſine licentia fregerit: ſi Cellam ſuam ſine ſui Prioris licentia mutaverit, aut lectiſternia etiam cum alio permutaverit: ſi ſine evidenti neceſſitate Cellam alterius intraverit.

2. Pro his culpis, & ſimilibus veniam petentibus, & non accuſatis, (ſi in propriis locis ſingularis pœna non aſſignetur), duæ diſciplinæ dentur in Capitulo, & per duos dies in pane, & aqua jejunent: accuſatis vero una dies, & una diſciplina ſuperaddatur. Pœna gravis.

3. Fratres autem in jejunio panis, & aquæ deputati per pœnitentiam, diebus ſibi aſſignatis coram Conventu in ultimo loco menſæ comedant panem ſuum, niſi aliter ordinetur in propriis locis: nec audeant ſuas pœnitentias, abſque Prioris ſui licentia retardare; quod ſi fecerint, pœna gravis in graviorem tranſmutetur. Quomodo faciendum ſit jejunium panis, & aquæ.

# CAPUT V.

## *De culpa, & pœna graviori.*

Quibus modis culpa gravior incurritur.

1. GRavior culpa incurritur, ſi quis præſumpſerit nova loca, ſeu Monaſteria accipere, ſine licentia. p. 1. c. 2. §. 2. Si Superior loca noſtra non muniverit honeſta clauſura, antequam opus notabile inchoetur. p. 1. c. 2. §. 4. Si Prior permiſerit quæſtus fieri extra terminos ſui Conventus. p. 1. c. 2. §. 6. Si res notabiles Conventus alicui diſtribuerit ſine licentia Generalis. p. 1. c. 2 §. 11. Si lites ſine licentia Provincialis incipiat. p. 1. c. 2. §. 16. Si vocatus pulſatione pluries negligens fuerit venire. p. 1. c. 3. §. 1. Si Priores non fecerint corrigere libros Chori. p. 1. c. 3. §. 2. Si obſtinate negligat imitari Majorem in Cæremoniis Chori. p. 1. c. 3. § 7. Si in Eccleſia alloquatur Mulieres tempore prohibito. p. 1. c. 3. §. 19. Si Sabbatis, Dominicis, & feſtivis diebus non fuerit ad Completorium cum cappa alba. p. 1. c. 3. §. 23. Si occupatus non commendet ſuum Officium alteri. p. 1. c. 3. §. 24. Si in Eccleſia cantet prohibita. p. 1. c. 3. §. 25. Si tranſgreſſus fuerit Conſtitutiones de abſtinentia carnium. p. 1. c 4. §. 2. Si extra Conventum comederit ſine licentia, & ſine neceſſitate inevitabili. p. 1. c. 4. §. 6. & c. 9. §. 2. Si cum Secularibus comederit in dormitorio. p. 1. c. 4. §. 8. Si ter admonitus a garrulitate in Refectorio non abſtinuerit. p. 1. c. 4. §. 9. Si poſt impoſitionem ſilentii conviciose, & clamoroſe locutus fuerit. p. 1. c. 5. §. 2. Si juraverit per Chriſtum, vel ejus membra, &c. p. 1. c. 5. §. 4. Si tripudiaverit, vel laſciva cantaverit. p. 1. c. 5. §. 5. Si alteri conviciose, aut irreverenter locutus fuerit. p. 1. c. 5. § 6. Si dormierit nudus. p. 1. c. 6. §. 1. Si Superior non viſitaverit Cellas Fratrum omni nocte. p. 1. c. 6. §. 4. Si Priores, & Clavarii locaverint domos perſonis inhoneſtis. p. 1. c. 7. §. 7. Si Graduati frequentaverint officinas Conventui propinquas. p. 1. c. 7. §. 8. Si Prior negligens fuerit in captione, & detentione incedentium ſine obedientia. p. 1. c. 9. §. 7. Si Prior vadat, vel mittat Fratres ad terminos alterius Conventus, niſi ex neceſſitate manifeſta. p. 1. c. 9. §. 16. Si caſus reſervati non habeantur in publico. p. 1. c. 10. §. 3. Si confeſſiones non audiantur in locis manifeſtis intra domos: extra domos vero ſi Frater a Fratre non videatur. p. 1. c. 10. §. 4. Si in Altari aſſuetus ſit confiteri. p. 1. c. 10. §. 6. Si auſus fuerit abſtrahere ſe a Communione Generali ſine licentia. p. 1. c. 11. §. 1. Si receperit Novitios, niſi cum certis conditionibus. p. 1. c. 13. §. 2. Si Magiſtri Novitiorum ſint negligentes in informando diſcipulos, aut indiſcreti in corrigendo. p. 1. c. 14. §. 2. & 3. Si Novitii converſationem habeant cum aliis

Reli-

Religioſis, vel alii cum ipſis. p. 1. c. 14. §. 8. Si Semifratres, & Laici non faciant reverentiam aliis omnibus Fratribus. p. 1. c. 16. §. 4. Si Superior, aut Deputatus ad infirmos, circa eos negligens fuerit. p. 1. c. 20. §. 1. Si ſigillum habuerit aliquis ſine licentia. p. 1. c. 23. §. 4. Si literas aliorum Fratrum aperuerit, vel retinuerit. p. 1. c. 23. §. 7. Si Prior fuerit cauſa, quod aliqua bona Conventus non reperiantur. p. 2. c. 3. §. 2. Si Prior ſingulis noctibus non viſitaverit Cellas Fratrum. p. 2. c. 3. §. 7. Si quis introduxerit Secularem ſine licentia ad Librariam, vel ſi cum licentia introductum, ſolum reliquerit. p. 2. c. 12. §. 2. Si Superiores negligentes ſteterint in captione Apoſtatarum: vel in expeditione ipſorum, Officium Majorum uſurpaverint. p. 3. c. 1. §. 2. Si conjurationem, conſpirationem, colligationem, aut diſcordiam contra aliquem machinaverit. p. 3. c. 4. §. 1. Si elegerit ad Officia Ordinis aliàs hæreticos, vel invulgatores hæreſum. p. 3. c. 6. §. 3. Si mulierem oſculatus fuerit, vel circa eam tactus, vel actus impudicos exercuerit. p. 3. c. 7. §. 3. Si minatus fuerit animo irato ad percutiendum, etiam ſine armis. p. 3. c. 10. § 1. Si percuſſerit malitioſe aliquem Fratrem. p. 3. c. 10. §. 2. Si Famulum, vel Secularem percuſſerit. p. 3. c. 10 §. 5. Si aliquis Socius Superiorum aliquid acceperit pro ſigillatione qualiſcumque literæ. p. 4. c. 8. §. 5. Si culpam ſuam aut alterius pertinaciter in Capitulo, vel alibi defenderit. p. 4. c. 21. §. 7. Si in Capitulo loquatur. §. eodem. Item ſi cum Majore ſuo intus, vel foris quantumcumque leviter contendere auſus fuerit. Si præceptum ejus omiſerit. Si Civitatem, vel villam ſine licentia ſui Superioris, per quamcumque parvulam moram etiam de die intraverit: ſi ſuſſurro, detractor, vel manifeſte mendax repertus fuerit: ſi ebrius aliquando etiam ſola vice deprehenſus fuerit.

2 Si hæc, & alia gravia ſimilia quis perpetraverit, & accuſatus negare nequiverit; ſuam pœnitentiam faciat in hunc modum. Primo, in Capitulo coram Præſidente denudatus, condignam ſuis demeritis accipiet diſciplinam: qua accepta, ad Cellam ſibi a Priore aſſignatam vadat, in ea manens uſque ad horam comedendi; & cum tempus comeſtionis advenerit, intret Refectorium: & ſedens in terra in medio, cum pane, & aqua ſuper aſſerem nudum, humiliter veſcatur, niſi ei a Priore aliquid per miſericordiam impendatur; qui poſtquam comederit, facto ſigno per Præſidentem, ad Cellam redeat patienter. Et quamdiu fuerit in pœnitentia, non communicet, nec veniat ad oſculum pacis, nec Eccleſiam ingrediatur: & nullam ſibi committatur obedientia ante ſatisfactionem plenariam hujuſmodi pœnitentiæ ſibi injunctæ, & inflictæ: neque interſit alicui electioni, nec licitis actibus cujuſcumque Capituli: ſed ſi electionem aliquam, ipſo exiſtente in pœnitentia, neceſſario fieri oporteat, aut Pœna gravior

electio

electio differatur uſque ad pœnitentiam completam, aut ipſe Frater a dicta pœnitentia relevetur, ut interſit electioni: & electione facta, ad pœnitentiam redeat, & cujuſcumque officii, ordinis, vel gradus fuerit, durante ſua pœnitentia, non fungatur illo.

Nullus alloquatur &c. facienti pœnitentiam graviorem.

3. Nullus audeat ſe conjungere illi, vel ei loqui, vel ille alteri, nec ei aliquid mandare, ſine Superioris licentia ſpeciali; ut cognoſcat ſe, ita ſequeſtratum eſſe a conſortio aliorum hominum, ut per pœnitentiam redeat ad conſortia Angelorum.

Prior mittat aliquem ad cōfortandum in pœnitentia exiſtentem.

4. Prior tamen, ne in deſperationem labi poſſit, quando ſibi videbitur expedire, mittat ad eum Fratrem, vel Fratres diſcretos, & devotos, qui ipſum moneant, & confortent ad ſuam pœnitentiam faciendam humiliter, & devote.

Scandalizantes ſæculum ſine miſericordia puniantur

5. Illi autem, per quorum exceſſus prædictos, & alios, citra graviſſimam culpam, Religio noſtra in ſeculo notabiliter ſcandalizata fuerit, vel qui occaſionem notabilis ſcandali dederit, pœnam prædictam totaliter ſuſtinebunt; & ad omnes horas, vel gratias ante portam, vel oſtium Oratorii, Fratribus intrantibus, & exeuntibus, proſtrati jaceant.

Quid ſit pœna panis, & aquæ in terra.

6. Qui autem adjudicatus fuerit, ut ſuper terram panem, & aquam comedat per tot dies: ſtatuimus, quod tunc talis pane, & aqua veſcatur ſuper aſſerem nudum, ſedens in cappa humiliter ſuper terram: volentes, quod ipſe ibidem ſedeat, & expectet uſque ad ultimum ſignum completæ refectionis omnium aliorum: & tunc aliis ſurgentibus de menſa, & ipſe de terra ſurgat: & uſque ad Chorum poſt Novitios, & poſt carentes voce, & loco ad gratias vadat; cum non ſit ab Eccleſia, nec ab aliorum Fratrum conſortio ſequeſtratus, ſed ſolum pœnitentiæ in pane, & aqua adjudicatus.

## CAPUT VI.

### *De culpa, & pœna graviſſima.*

Quibus caſibus culpa graviſſima incurritur.

1. Graviſſima culpa incurritur, ſi quis confeſſiones Mulierum, aut Adoleſcentum in locis non patentibus Eccleſiæ audiat. p. 1. c. 3. §. 21. Si abuſus in Miſſa admiſerit. par. 1. c. 3. §. 29. Si Profeſſus Officium divinum omiſerit. p. 1. c. 3. §. 34. Si turpia de Chriſto &c. loqui præſumpſerit. p. 1. c. 5. §. 4. Si cauſa incendii in Dormitorio extiterit. p. 1. c. 6. § 6. Si de ſecretis, aut geſtis in Conventu cuiquam Seculari, vel quid minimi revelaverit. p. 1. c. 7. § 9. Si ad balnea, ſeu ſtufas iverit. p. 1. c. 8. §. 3. Si loquatur, comedat, aut bibat cum malefactoribus. p. 1. c. 9. §. 6. Si prædicare præſumpſerit ſine licentia. p. 1. c. 10. §. 7. Si ex ſe audeat ingredi Novitiatum. p. 1. c. 14. §. 5.

§. 5. Si ante legitimam ætatem ſacros Ordines ſuſceperit. par. 1. c. 15. § 8. Si ſine licentia Generalis, vel ſui Provincialis permiſerit ſe ordinari. p. 1. c. 15. §. 10. Si Laicus, aut Semiſrater literas diſcat, aut libros ad proprios uſus portet ſine licentia Generalis, & Superior ſi ei talia conſentiet. p. 1. c. 16. §. 5. Si Laicus, aut Semiſrater fecerit ſe tonſurari cum corona clericali, vel ad ſacros Ordines promoveri, ſine licentia Generalis. par. 1. 16. §. 6. Si literas Generali, vel Provinciali miſſas, vel ab eiſdem aliis miſſas aperuerit, vel detinuerit. p. 1. c. 23. §. 5. Si Viſitator commiſſionem ſuam extenderit ultra id, quod ſonaverit. p. 2. c. 5. §. 2. Si apoſtataverit ab Ordine noſtro. p. 3. c. 1. §. 5. & 8. Si vagi diſcurrant cum licentia Prioris Localis ultra limites Prioratus, vel cum licentia Provincialis ultra limites Provinciæ. p. 3. c. 1. §. 7. Si profugus fuerit. p. 3. c. 1. §. 8. Si cum habitu Monacali Apoſtata vagaverit. p. 3. c. 1. §. 10. Si habens licentiam eundi ad alium Ordinem, & intra terminum ei conceſſum non intraverit, nec ad noſtrum redierit. p. 3. c. 1. §. 11. Si pertinaciter ſuo Superiori non obedierit, vel inobedientiam ſuam malitioſe defenderit. p. 3. c. 2. §. 1. Si inobediens, contumax, & rebellis ſit. p. 3. c. 2. §. 1. Si Officium Majorum uſurpaverit. p. 3. c. 2. §. 3. Si a Regulari correctione appellaverit, vel appellanti conſenſerit, adhæſerit, aut defenderit. part. 3. cap. 3. §. 1. Si cauſa fuerit, quod Ordo, Provincia aliqua, vel Conventus, aut aliquis Superior malum, ſcandalum, vel quid ſimile patiatur, & hoc propter conjurationem, &c. par. 3. cap. 4. §. 1. Si de Superioribus noſtris locutus fuerit comminando. p. 3. c. 4. §. 3. Si propter recurſus ad Seculares, offenſa, vel aliud ſimile alicui Superiori evenerit. par. 3. cap. 5. §. 2. Si conſilia Advocatorum requiſierit. par. 3. cap. 5. §. 3. Si pro aliquo in carcere conſtituto, vel ſequeſtrato, extra Ordinem interceſſerit, aut detulerit ad Seculares. par. 3. cap. 5. §. 4. Si obedientiæ ſibi datæ contraveniat. par. 3. cap. 5. §. 5. Si libris prohibitis utatur. par. 3. c. 6. §. 1. Si Clericus, vel voce carens negligens inveniatur in denunciatione ſuſpectorum de fide, &c. par. 3. c. 6. §. 2. Si divinator, ſacrilegus, vel ſimilis ſit. p. 3. c. 6. §. 4. Si alchimiſta. p. 3. c. 6. §. 5. Si ludis prohibitis, vel licitis pro pecunia, vel aliquo pretio appretiabili. p. 3. c. 6. §. 6. Si in peccatum carnis lapſus fuerit. p. 3. c. 7. §. 1. Si in cella mulierem introduxerit. p. 3. c. 7. §. 2. Si conſueverit oſculari mulierem, vel circa ipſam tactus, aut actus impudicos exercuerit. p. 3. c. 7. §. 3. Si in peccatum indicibile lapſus fuerit. p. 3. c. 7. §. 5. Si detractorie locutus fuerit de Domino Papa, Cardinalibus, Regibus, Principibus aut Prælatis Ordinis. p. 3. c. 8. §. 1. Si teſtimonium falſum contra aliquem dixerit. p. 3. c. 8. §. 2. Si diviſionem, aut partialitatem in Conventibus fecerit, vel talibus auxilium, aut conſilium dederit. p. 3. c. 9.

c.9. §.1. Si contra Generalem, vel Provincialem arma ad percutiendum levaverit, etiamſi non percuſſerit. p.3. c.10. § 1. Si Fratrem enormiter læſerit. p.3. c.10. §.2. Si Priorem ſuum, Provincialem, aut Generalem malitioſe etiam leviter percuſſerit. p.3. c.10. §.2. Si ſæcularem percuſſerit, vel Clericum, aut Religioſum alterius Ordinis. p.3. c.10. §.5. Si mercationes fecerit. p.3. c.11. §.7. Si quis aliquid de commiſſis in depoſito amoveat, niſi de licentia deponentis, vel Cuſtodum. p.3. c.11. § 10. Si proprietarius fuerit. p.3. c.11. §.11. Si Confeſſores Monialium ingrediantur intra Monaſteria ſine ſocio, & debita forma: & ſi ſocii aliquam Monialem alloquantur. p.3. c.12. §.11. Si Moniales Fratribus noſtris, vel Fratres Monialibus aliquid donaverint. p.3. c.12. §.15. Si Frater Monialibus ſcribat. p.3. c.12. §.17. Si eat ad loquendum cum Monialibus. p.3. c.12. §.24.

Pœna graviſſima.

2. Si ſupradicta, vel ſimilia crimina quis fecerit, data ſententia a Priore Generali, vel Provinciali, aut etiam Locali, ſive Præſidente Ordinis, carceri mancipetur, in eodem permanſurus, quouſque tempus taxatum advenerit, ſi pro illo crimine certum tempus ſtatuta diffiniant: vel donec per Priorem Provincialem, ſi Conſtitutio ei concedat: vel Capitulum Generale ſi ei reſervetur, vel per Priorem Gen., aut Capitulum G. prout de tali crimine loquens Conſtitutio certius informabit.

Reincidens in crimen, pro quo privatus fuit voce, & loco, vel eſt; carceri mancipetur.

3. Item ſi quis in quocumque lapſus fuerit crimine, pro quo aliàs voce, & loco caruit, vel caret de præſenti, pro lapſu incarceretur, donec per Capitulum Provinciale miſericorditer liberetur, niſi fuerit caſus, cujus reſtitutio vocis ſpectet ad Capitulum G., vel Priorem G.

Si timetur de fuga delinquẽtis, poteſt incarcerari.

4. Item ſtatuimus, quod ſi aliquis infametur de crimine aliquo, aut notetur, propter quod (ſi verum eſſet) merito puniretur pœna carceris: ſi de ejus fuga veriſimiliter timeatur, Præſidens in Conventu poſſit ipſum in firma cuſtodia retinere, etiam intra carcerem, ſi neceſſe fuerit, & locum alium non habuerit tutiorem; ipſum etiam vinculando, non per modum carceris, ſed per modum cuſtodiæ, ne evadat, quouſque de crimine prædicto fuerit informatus. Mandantes eidem Præſidenti, quod ſtatim, & celeriter procedat ad inquiſitionem faciendam de crimine ſupradicto: & ſecundum quod tunc invenerit per ſcrutinium, & inveſtigationem, habeat judicare, vel culpabilem, vel purgandum, aut punire ſecundum demerita, aut reddere innocentem: non intendentes, quod talis Frater, pro hujuſmodi cuſtodia, locum, & vocem amittat, niſi contra ipſum lata fuerit ſententia, & debite executa.

Pœna incarcerati.

5. Quicumque autem incarceratus fuerit, Feriis ſecundis, quartis, & ſextis ad minus jejunet in pane & aqua, niſi de licentia Prioris aliquid ſibi miſericorditer miniſtretur. Statuentes, quod

quod quicumque juſte incarceratus fuerit, locum & vocem ſe noverit perdidiſſe.

Incarceratus perdidit vocem, & locum ipſo facto.

6. Si autem per negligentiam, aut per malitiam cuſtodis carceris, vel alterius Fratris, aliquis incarceratus fugerit: ille pro cujus malitia, aut negligentia fugerit, cujuſcumque gradus, aut præſidentiæ fuerit, incarceretur in carcere, loco fugientis, quouſque per illum, per quem poterat liberari fugiens, liberetur.

Pœna cuſtodis incarcerati, negligentis.

7. Si quis incarcerato limam, malleum, aut quodcumque aliud inſtrumentum tradiderit, vel tradi procuraverit, ad infringenda, vel ſolvenda vincula quoquo modo, ſeu talia inſtrumenta præſtiterit evadendi, licet non evaſerit, pœnam carceris ſuſtineat per viginti dies: ſi autem evaſerit, carceri mancipetur ſine ſpe gratiæ, quamdiu ille, cui dedit auxilium, ut evaderet, debuit remanſiſſe.

Pœna præbentium auxilii incarceratis.

8. Item ordinamus, quod nullus Frater, cujuſcumque gradus, aut conditionis exiſtat, ingrediatur ad incarceratos, cauſa viſitationis, aut miniſtrationis, aut quovis alio modo, ſine licentia ſui Superioris ſpeciali, ſub pœna carceris tam ingredienti, quam Cuſtodi permittenti infligenda.

Pœna ingredientis carceres ſine licentia.

9. Etiam mandamus, quod in quolibet Conventu carcer conſtruatur; quod ſi Prior fuerit in conſtruendo carcerem negligens repertus, ab executione ſui officii ſuſpendatur, ſubjacendo pœnæ gravis culpæ, quouſque carcerem procuraverit conſtrui.

Pœna Prioris non habentis carcerem in Conventu.

10. Item circa pœnas ſupradictas ſtatuimus, quod Fratribus aſſuetis levi culpæ, pœna levis mutetur eis in mediam: & aſſuetis mediæ, illa mutetur in gravem: & aſſuetis gravi, mutetur in graviorem: & aſſuetis graviori, illa mutetur in graviſſimam: & ſic ſemper aggravantibus culpis, aggravetur pœna, donec tales emendentur.

Quomodo aggravandæ ſint pœnæ.

# CAPUT VII.

## *De pœna privationis vocis, & loci.*

1. PRivatio vocis, & loci quandoque dicitur infligenda, & quandoque inflicta, ſcilicet eo facto: quod quomodo, & quando intelligi debeat nunc dicendum eſt.

Privatio vocis, & loci duplex.

2. Incurritur autem infligenda, ſi quis in Miſſa, & aliis non ſervet cæremonias Ordinis. p. 1. c. 3. §. 4. Si ſine caputio a Monaſterio exeat. p. 1. c. 7. §. 1. Si habeat familiaritatem cum perſonis inhoneſtis, & cum habitantibus domos circumjacentes Monaſteriis noſtris. p. 1. c. 7. §. 6. Si equos nutriant in Conventu. p. 1. c. 9. §. 14. Si extra Conventum ſolus exeat, ſine licentia. p. 1. c. 9. §. 15. Si abſolverit aliquem Fratrem a caſibus reſervatis a Superiore ſuo. p. 1. c. 10. §. 5. Si Prædicatores in ſuis prædica-

Quibus caſibus ſit infligenda.

dicationibus prophetias, aut futura determinaverint, aut novas opiniones non ædificativas prædicaverint, aut diſputationes contra ſe invicem, vel contra alios. p. 1. c. 10. §. 8. Si Prædicatores barbas nutriant, aut vexilla, vel aliqua alia ſpecialia ſigna portent. p. 1. c. 10. §. 10. Si quis veſtes etiam interiores de alio colore, quam griſeo, nigro, vel ad nigredinem tendenti, portet. p. 1. c. 12. §. 1. Si publice legerit alicubi, vel libros imprimet ſine licentia Generalis, vel Capituli Generalis. p. 1. c. 17. §. 11. Si literas Generali, aut Provinciali miſſas, vel ab ipſis aliis, aperuerit, vel malitioſe detinuerit. p. 1. c. 23. §. 5. Si Prior habita licentia vendendi aliquos libros inutiles, aut duplicatos in Libraria, precium eorum in alios libros non convertat. part. 2. c. 12. §. 1. Si quis fecerit confœderationem contra aliquem Religioſum. p. 3. c. 4. §. 1. Si Socius electus ad Capitulum Provinciale exeat ante tempus. p. 4. c. 23. §. 8. Si luſerit ludis prohibitis pro pecunia, & ſimili. p. 3. c. 6. §. 6. Si arma habeat ſine licentia. p. 3. c. 10. §. 6. Si Provinciales ſint negligentes in proviſione Regiminis Monialium. p. 3. c. 12. §. 23. Si Frater hoſpes eat ad loquendas Moniales. p. 3. c. 12. §. 24. Si quis requiſierit conſilia Advocatorum. p. 3. c. 5. §. 3. Si Superiores ingredientes Monaſteria Monialium ſecum deferant plures Socios &c. part. 3. cap. 12. §. 20

Quibus caſibus ſit ipſo facto privatio vocis & loci.

3. Incurritur etiam hæc pœna ipſo facto, ſi Frater terminos alterius Conventus, vel Provinciæ intraverit ad procurandum in præjudicium eorum. p. 1. c. 2. §. 8. Si Prædicatores in Quadrageſima carnes comederint, ſine neceſſitate. p. 1. c. 4. §. 2. Si tempore dormitionis, facto ſigno Cellam alterius intraverit. p. 1. c. 6. §. 5. Si habita licentia eundi extra Civitatem, in Civitate maneat una nocte extra Conventum. p. 1. c. 9. §. 3. Si fuerit Ambaſciator alicujus in cauſis ſuſpectis. p. 1. c. 9. §. 19. Si famulum ſecularem teneat. p. 1. c. 19. §. 9. Si beneficia extra Ordinem adeptus ſit, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ. p. 2. c. 2. §. 9. Si Provincialis admittat renunciationem Prioratuum, vel &c. par. 2. c. 2. §. 11. Si Superiores alienaverint res pertinentes ad cultum divinum. p. 2. c. 9. §. 5. Si aliquorum barbæ non radantur, aut forficibus uſque ad cutem non fiant. p. 2. c. 3. §. 9. Si abſque licentia ſepta loci exiverit. p. 3. c. 1. §. 1. Si ab Ordine apoſtataverit. p. 3. c. 1. §. 5. Et ſi bis apoſtataverit, non poteſt recuperare locum, niſi per Priorem Generalem. Si cum licentiis vagis extra terminos Conventus, aut Provinciæ aliquis vagetur. p. 3. c. 1. §. 7. Si habens literas dimiſſorias exeundi ab Ordine, redierit, etiam ſi ante terminum præfixum transferendi ſe in aliquem alium Ordinem. p. 3. c. 1. §. 11. Si ſpeciali mandato ſui Superioris ſibi, vel cum aliis facto, non obedierit, ſed contrarium fecerit. p. 3. c. 2. §. 1. Si Superioribus non fuerit

rit in adjutorium contra inobedientes, contumaces, & rebelles ad eos capiendos, ligandos, & incarcerandos. p. 3. c. 2. §. 2. Si contra Majores ſe erexerit. p. 3. c. 2. §. 3. Si correctionem, vel inquiſitionem culparum impediat. p. 3. c. 2. §. 4. Si appellationes fecerit, vel facienti conſenſerit, adhæſerit, aut defenderit. p. 3. c. 3. §. 1. Si contra Superiores machinatus fuerit illicitum, vel inhoneſtum per conjurationem, &c. p. 3. c. 4. §. 1. Si utatur gratia habita per favorem Secularium Principum. p. 3. c. 5. §. 1. & 2. Si requiſierit conſilia Advocatorum ſine licentia Superioris. p. 3. c. 5. §. 3. Si interceſſerit extra Ordinem pro incarcerato, aut ſequeſtrato. par. 3. cap. 5. §. 4. Si negligens fuerit in denunciando ſuſpectos de fide. par. 3. cap. 6. §. 2. Si in peccatum carnis lapſus fuerit. par. 3. cap. 7. §. 1. Si captus fuerit a Curiæ Miniſtris. par. 3. cap. 7. §. 4. Si aliquem Fratrem, Conventum, vel Ordinem diffamaverit cauſa diſenſionis. par. 3. cap. 8. §. 7. Si Priorem Generalem, etiam leviter percuſſerit. p. 3. cap. 10. §. 2. Si Proprietarius inventus fuerit. par. 3. c. 11. §. 11. Si Monialis faciat practicam pro electione Prioriſſæ. par. 3. c. 12. §. 9. Si ante vigiliam vigiliæ ad locum Capituli Generalis, vel Provincialis intraverit. par. 4. cap. 1. §. 7. & cap. 10. §. 10. Si Prior non præſentet Provinciali in culpa ſua ſtatum domus. par. 4. cap. 11. §. 3. Si ſecreta Capituli Secularibus, vel aliis Religioſis revelaverit. par. 4. cap. 21. §. 15. Si ſit Subornator. p. 4. c. 24. §. 8. Item ſi quis propter malefacta juſte incarceratus fuerit, eo facto privatus eſt voce, & loco. Item ſi fuerit damnatus ad triremes. p. 4. c. 21. §. 12.

4. Intelligitur ipſo facto, ſeu de facto privatus, quando quis in Capitulo convictus, aut confeſſus fuerit coram Superiore ſuo, quia ex tunc ſine alia ſententia inferenda, non poteſt rite locum, nec vocem habere, donec ſibi reſtituta fuerit per eum, qui reſtituendi habet auctoritatem. *Privatio vocis, & loci, ipſo facto.*

5. Privatus autem voce, & loco, non ſit de gremio cujuſcumque Capituli: nec vocem, & locum habeat in electione, quacumque active, vel paſſive: nec ſtatum aliquem obtineat in Ordine: ſed dum in aliquo Capitulo Conventuali fuerit, dicat poſt Laicos, aut Novitios culpas ſuas: & recepta proinde pœnitentia, antequam ad culpas aliorum procedatur, exeat, & recedat de Capitulo. *Pœna privati loco, & voce.*

6. Statuimus, quod privatus voce, & loco, ultimnm locum teneat in Choro, Capitulo, & Refectorio juxta Novitios; & etiam ubicumque Fratres fuerint congregati. Quod ſi voce, & loco privatus, alium locum, quam ultimum (ut dictum eſt) tenere præſumpſerit, ex tunc ad recuperandum vocem ſit inhabilis ipſo facto. *Privatus loco, & voce ultimum locum teneat.*

7. Si quis etiam accedit ad Romam ſine licentia, incurrit privationem utriuſque vocis. par. 1. cap. 9. §. 8.

# CAPUT VIII.

## *De pœna depoſitionis ab Officio.*

Depoſitio ab officio duplex.

1. PŒna depoſitionis ab Officio, quandoque incurritur infligenda, quandoque incurritur inflicta, ipſo facto.

Depoſitio ab officio infligenda.

2. Incurritur autem infligenda, ſi Provincialis permiſerit habere locum in Capitulo Provinciali Priores non habentes numerum Fratrum competentem ad electionem. par. 1. c. 2. §. 4. Si Prior inchoet aliquod ædificium notabile ſine licentia Generalis, vel Provincialis. par. 1. cap. 2. §. 7. Si Prior permittat, aut mittat Fratrem aliquem intra terminos alterius Conventus, ad procurandum in præjudicium illius Conventus. par. 1. c. 2. §. 8. Si Prior, aut Procurator indebitet Conventum: aut vendat, alienet, vel commutet poſſeſſiones, aut annuos cenſus, ſine licentia Generalis, vel Provincialis. par. 1. cap. 2. §. 9. Si Prior, aut alius Frater res notabiles Conventus alicui Fratri, vel Seculari diſtribuat ſine licentia Generalis, vel Provincialis. par. 1. cap. 2. §. 13. Si Provincialis, & Diffinitores concedant licentiam vendendi redditus Conventus ad vitam alicujus, vel perpetuo, niſi, &c. p. 1. c. 2. §. 15. Si aliquis Frater audiat confeſſiones mulierum, aut adoleſcentum in locis non patentibus. p. 1. c. 3. §. 21. Si Provinciales, & Priores permittant in Adventu, & Feriis quartis comeſtionem carnium. p. 1. c. 4. §. 2. Si Prior, Subprior, vel Vicarius Conventus poſt tertiam admonitionem non viſitaverint omni nocte Cellas Fratrum. p. 1. c. 6. §. 4. Si permittant Fratribus non portare extra Conventum utrumque caputium. p. 1. c. 7. §. 1. Si Prior teneat in Conventu ultra tres dies malefactores fugientes. par. 1. c. 9. §. 6. Si quis ad Ordinem receperit corpore mutilatum, &c. p. 1. cap. 13. §. 2. Si Prior recipiat ad habitum Novitium alias ejectum. p. 1. c. 13. §. 3. Si Provincialis det licentiam Fratri Laico ſuſcipiendi coronam Clericalem. p. 1. c. 16. §. 6. Si Provincialis, aut Prior recipiat ad Ordinem ſpurium, aut Sacerdotis filium. par. 1. cap. 13. §. 4. Si Prior Conventus habentis facultatem nutriendi octo Fratres, non manuteneat unum ſtudentem. par. 1. cap. 17. §. 2. Si Provincialis promoveat ad ſtudium aliquem rixoſum, aut qui brigam fecerit, vel vitioſum, aut inhoneſtum, &c. vel aliquem non præſentatum Generali a Diffinitoribus Capituli Provincialis, fidem facientibus talem non eſſe rixoſum &c. vel ſi promoveat talem rixoſum &c. ad officium Subprio-

prioratus &c. p.1. c.17. §.3. Si Prior in locis ſtudii, det licentiam Studentibus recedendi a ſtudio ſine licentia G. p.1. c.17. §.4. Si Provinciales, & Priores quorumcumque Conventuum, non deputent Juvenes idoneos ad diſcendum: & ſi non conſtituant eis Magiſtros. p.1. c.18. §.1. Si Provinciales non puniant rigide Priores, Vicarios, & Procuratores non providentes infirmis de omnibus neceſſariis. p.1. c.20 §.2. Si Provinciales repetant a Provincia expenſas in eorum infirmitatibus factas ab aliquo Conventu. p.1. c.20. §.3. Si Prior non faciat reſervari, & renovari Sanctiſs. Corpus Chriſti, pro infirmis, ac Oleum ſanctum: ac ſi non habeantur libri funerales, & proceſſionales. p.1. c.20. §.7. Si Provinciales non ſolvant taxationes quotannis Priori G. p.2. c.1. §.12. Si Superiores remiſerint pœnas in his Conſtitutionibus deſignatas, niſi &c. p.2. c.2. §.6. Si Priores non ſequantur Chorum &c. p.2. c.2. §.6. & c.3. §.2. Si Provinciales non deponant Priores non ſequentes Chorum &c. ibidem. Si Provincialis non mittat ſingulis annis Viſitatorem ad Conventus, ad quos non poterit accedere. p.2. c.2. §.7. Si Provincialis det licentiam ordinandi, Fratribus alienæ Provinciæ. p.2. c.2. §.12. Si Provincialis commoretur in Conventibus G. ſubjectis, ultra decem dies. p.2. c.2 §.13. Si Provinciales ſine licentia Generalis expellant Fratres a ſua Provincia: aut ſi admittant apoſtatas noſtræ, ſeu alienæ Religionis. p.2. c.2. §.14. Si Provinciales extra Italiam, intra terminum ſex menſium, confirmationem non habeant. p.2. c.2. §.19. Si Prior noviter inſtitutus non recipiat bona Conventus in præſentia Cuſtodum ſecundum inventaria prædeceſſoris, aut ſi non viſitet ſemel ſaltem in anno poſſeſſiones Conventus: vel ſi inventaria nova non fecerit caſu, quo inventaria prædeceſſoris non inveniantur. p.2. c.3. §.2. Si Subprior ſit negligens. p.2. c.8. §.4. Si Sacriſta non deſcribat omni die Sacerdotes, qui dicunt Miſſam. p.2. c.9. §.4. Si Prior, & Cuſtodes non computent qualibet hebdomada de receptis, & expenſis. p.2. c.11. §.2. Provincialis, aut Prior, aut alius dent, vendant, alienent, amoveant aut oppignerent librum, vel monumentum alicujus librariæ communis. p.2. c.12. §.1. Si venditis libris inutilibus, aut duplicatis cum licentia Generalis, vel Capituli Provincialis, pretium eorum in alios libros non convertant §. eodem. Si Provinciales, & Priores Locales non faciant obſervari Conſtitutionem de appellationibus, & eis adhærentibus. p.3. c.3. §.2. Si Provinciales, & Priores Locales improviſo cameras Fratrum non viſitaverint, & ſi libros non evolverint. p.3. c.6. §.1. Si Præfecta Monialium non fecerit Epiſcopum certiorem ante menſem de profeſſione emittenda alicujus. p.3. c.12. §.3. Si Prioriſſa negligens fuerit in faciendo vacare orationi mentali ſingulis diebus per horam. p.3. c.12. §.6. Si ingreſſi Monaſteria Monialium ſecum deferant plures ſocios &c. p.3. c.12.

§. 20.

§.20. Si Provinciales non provideant bono regimini Monialium. p.3. c.12. §.23. Si Provinciales non petierint, & fideliter ſecum aſportaverint eleemoſynas pro Capitulo Generali. p.4. c.1. §.5. Si Provincialis in Capitulo Proviciali non reddat rationem de culpis inventis in viſitatione: & ſi non ſcribat in libro communi Provinciæ notabilia maleficia, atque nomina perpetrantium ea. p.4. c.19. §.10.

Depoſitio ab officio, ipſo facto.

3. Incurritur autem pœna depoſitionis ab officio ipſo facto, ſi Priores ante prandium non legant, vel legere faciant lectionem de Rubricis. p.1. c.3. §.3. Si aliquis Frater imprimere faciat aliquid ad Divinum Officium pertinens ſine licentia Generalis. p.1. c.3. §.22. Si Superiores permittant Fratres comedere extra Refectorium. p.1. c.4. §.6. Si quis ad Ordinem receperit conjugatum ſcienter poſt conſummationem matrimonii, vel ratiociniis obligatum, aut profeſſum alterius Ordinis, abſque beneplacito Sedis Apoſtolicæ, ipſo facto eſt privatus omni prælatura, & cura animarum, donec cum eo per ſummum Pontificem diſpenſetur. p.1. c.13. §.2. Si Superior ante annum approbationis expletum aliquem profeſſaverit, de jure eſt ipſo facto ſuſpenſus ab actu alios profeſſandi. p.1. c.14. §.1. Si Superior dederit licentiam ſuſcipiendi ſacros Ordines ante legitimam ætatem. p.1. c.15. §.8. Si Prior fuerit in culpa, quod aliquis infirmus periculum notabile aliquod incurrerit. p.1. c.20. §.4. Si quis officium, aut beneficium extra Ordinem adeptus ſit. p.2. c.2. §.5. Si Provincialis admittat renunciationem alicujus Prioratus infra octo menſes ante Capitulum, vel &c. p.2. c.2. §.11. Si Prælatus, aut Viſitator accipiat aliquid a ſubditis, aut ab eorum parentibus, vel amicis, & propter hoc contra tales non procedat. p.1. c.5. §.3. Si Prior, aut Sacriſta accommodet paramenta, vel calices, aut vaſa aurea, ſeu argentea. p.2. c.9. §.2. Si Provincialis, vel Prior amoverit Sacriſtam, eo quod noluerit illis obedire in alienandis rebus. p.2. c.9. §.5. Si Frater aliquis loquatur Monialibus. p.3. c.12. §.24. Si quis appellationes a Regulari correctione fecerit, vel appellantibus conſenſerit, aut adhæſerit. p.3. c.3. §.1., & c.5. §.3.

Quomodo intelligitur depoſitus ipſo facto.

4. Intelligitur eo facto depoſitus, ſi in Capitulo, aut viſitatione fuerit convictus, vel confeſſus coram ſuo Superiore: quia ex tunc ſine alia ſenentia inferenda eſt depoſitus: & depoſitus in Capitulo, vel viſitatione, in eodem Capitulo, aut in ſequenti non poteſt pro eodem officio, etiam in diverſis Conventibus inſtitui.

CA-

# CAPUT IX.

## *De pœna ſuſpenſionis gradus, & dignitatis.*

1. PŒna ſuſpenſionis gradus, & dignitatis quandoque incurritur infligenda, & quandoque incurritur ipſo facto inflicta.

*Pœna ſuſpenſionis gradus, & dignitatis duplex.*

2. Incurritur infligenda, ſi quis audiat confeſſiones mulierum, aut adoleſcentum in locis non patentibus. p.1. c.3. §.21. Si familiaritatem habeat cum perſonis inhoneſtis, aut cum habitantibus domos circumvicinas Conventibus. p.1. c.7. §.6. Si promotus ad lecturam ſententiarum præſumat ſuſcipere gradus licentiæ, aut Magiſterii ſine expreſſa licentia Generalis. p.1. c.17. §.5. Si legere præſumat publice ſine licentia Generalis, vel Capituli G., aut libros imprimere. p.1. c.17. §. 11. Si aliqui dent, vendant, oppignerent, aut alienent librum aliquem alicujus Librariæ communis. p.2. c.12. §.1. Si venditis libris inutilibus, & duplicatis cum licentia Generalis, vel Capituli Provincialis, pretium eorum in alios libros non convertant. §. eodem. Si quis ad officia, aut gradus promoverit alias hæreticum &c. etiam poſt deteſtationem &c. p.3. c.6. §.3. Si luſerit ludis prohibitis, vel pro pecunia, aut pro re pretio appretiabili. p.3. c.6. §.6.

*Suſpenſio gradus, & dignitatis infligenda.*

3. Incurritur ipſo facto ſuſpenſio gradus, & dignitatis, ſi quis faciat imprimere aliquid ad Divinum Officium pertinens ſine licentia Generalis. p.1. c.3. §.22. Si graduandi, & ſtudentes non ſint præſentati Generali a Diffinitoribus Capituli Provincialis fidem facientibus eos non eſſe rixoſos &c. ipſo facto ſunt privati perpetuo gradu, & ſtudio. p.1. c.17. §.3. Si Magiſtri ſuſcipiant procurarias &c. p.1. c.17. §.11. Si contra Generalem ſe erexerit, vel ejus officium uſurpaverit, aut ſimilibus auxilium, ſeu conſilium, vel favorem præbuerit. p.3. c.2. §.3. Si appellationes a Regulari correctione fecerit, vel appellantibus conſenſerit, aut adhæſerit. p.3. c.3. §.1., & c.5. §.3. Si per favorem ſæcularium aliquam gratiam obtinuerit. p.3. c.5. §.1. Si fuerit alias hæreticus &c. non poteſt ad gradus, dignitates, aut officia promoveri, etiam poſt condonatam pœnitentiam &c. p.3. c.6. §.3. Si fuerit damnatus ad triremes. p.4. c.21. §.12.

*Suſpenſio gradus, & dignitatis ipſo facto.*

4. Intelligitur ipſo facto ſuſpenſus, quando quis in Capitulo, vel viſitatione convictus, aut confeſſus fuerit coram ſuo Superiore, & cum tali ſolus Prior Generalis, vel Capitulum G. poteſt diſpenſare.

*Quomodo intelligitur ipſo facto ſuſpenſus.*

CA-

# CAPUT X.

## *De pœna inhabilitationis ad officia.*

Inhabilitatio duplex.

1. DIſpenſatio inhabilitationis ad officia quandoque reſervata, eſt Priori Provinciali, vel Capitulo Provinciali, quandoque vero Priori G., aut Capitulo Generali.

Inhabilitatio reſervata Provinciali.

2. Pœna inhabilitationis ad officia Capitulo Provinciali, vel Priori Provinciali reſervata incurritur, ſi Prior aliquis inchoet ædificium notabile ſine licentia Generalis, aut Provincialis. p.1. c.2. §.7. Si Prior, Procurator, Clavarii, aut Patres indebitent Conventum ſine licentia Generalis, aut Provincialis: vel ſi vendant, alienent, ſeu commutent poſſeſſiones, aut cenſus annuos ſine licentia Generalis, vel Capituli Provincialis. p.1. c.2. §.9. Si Prior, Procurator, aut Expenditor uſurpent, aut defraudent aliqua bona Conventus, aut introitum integre non adnotent, vel expenſam indebite, & falſo multiplicent. p.1. c.2. §.10.

Inhabilitatio reſervata G.

3. Pœna vero inhabilitationis ad officia Priori Gen. reſervata incurritur, ſi Diffinitores Capituli Provincialis promoveant ad ſtudium aliquem rixoſum &c.; vel quem ipſi non præſentarunt Priori G., fidem facientes non eſſe rixoſum &c. vel ſi promoveant talem rixoſum ad officium Subprioratus &c. p.1. c.17. § 3. Si omnes Provinciales, tertio ſuæ functionis anno, in Dominica tertia poſt Paſcha officium non deponant. p.2. c.2. § 16. Si quis apoſtataverit ab Ordine. p.3. c.1. §.9. Si appellationes a Regulari correctione fecerit, appellantibus conſenſerit, vel adhæſerit. p.3. c 3. §.1. Si Diffinitores Capituli Provincialis non ſcripſerint in libro communi Provinciæ notabilia maleficia, & nomina perpetrantium. p.4. c.19. §.10. Præterea incurritur hæc pœna reſervata Capitulo Generali, ſi Superiores alienaverint res pertinentes ad cultum Divinum. p.2. c.9. §.5. Item qui recurrunt ad ſæculares pro ſua promotione. p.3. c.5. §.1.

Quando intelligitur eſſe inhabilis.

4. Si quis in his, & ſimilibus culpis incurrerit, & in Capitulo, vel viſitatione convictus, aut confeſſus fuerit coram ſuo Superiore, non indiget ſententia aliqua, ſed ſtatim eſt inhabilis ad officia.

# CAPUT XI.

## *De ſententia excommunicationis.*

Excommunicatio tripliciter dicitur.

1. PŒna excommunicationis quandoque incurritur infligenda, & quandoque ab Ordine ipſo facto lata eſt, quandoque vero a jure.

2. In-

2. Incurritur autem pœna excommunicationis infligenda, ſi quis Miſſas, & Divina officia in Choro ſine habitu capuciato, & debito modo formato, & figurato audeat celebrare, aut perſolvere. p.1. c.3. §.27. Excommunicatio infligenda, quibus caſibus.

3. Excommunicatio ab Ordine ipſo facto lata eſt, ſi quis imprimere fecerit aliquid ad Divinum officium pertinens, ſine licentia Generalis. p.1. c.3. §.22. Si ſecreta Monaſterii revelaverit, anathema ei ſit omnipotentis Dei, maledictionem toto vitæ tempore incurſuro. p 1. c.7. §.9. Si a caſibus Superioribus Ordinis reſervatis, aliquem abſolverit. p.1. c.10 §.5. Notandum eſt, quod fugitivorum, & apoſtatarum abſolutio reſervatur Generali, vel ſuis Provincialibus, a quibus fugerunt. p.3. c.1. §.6. Si profeſſionem emittat, & non ſub nomine Prioris Generalis. p.1. c.15. §.1. Si non deſcribatur in libro Conventus nomen, & ætas Profeſſi authentica. p 1. c.15. §.7. Si promotus ad lecturam ſententiarum præſumpſerit accipere gradum licentiæ, vel Magiſterii, ſine licentia Generalis. p.1. c.17. §.5. Si Provinciales, tertio ſuæ functionis anno, non depoſuerint officium in Dominica tertia poſt Paſcha. p.2. c.2. § 16. Si Superiores alienaverint res pertinentes ad cultum Divinum. p 2. c.9. § 5. Si aliquis abſtulerit aliquid de bibliothecis noſtris. p.2 c.12 §.1. Si quis excitaverit ſæculares contra Superiores noſtros. p.3. c.2. §.3. Si quis machinaverit quidquam contra Ordinem. p.3. c.4. §.1. Si fecerit appellationes ab Ordine. p.3. c 5. § 3. Excommunicatio, ipſo facto lata ab Ord.

4. Excommunicatio a jure ipſo facto incurritur, ſi quis a jure ſuſpenſus ab actu alios profeſſandi, non habita diſpenſatione, alios profeſſaverit. p.1. c.14. §.1. Si profeſſionem emittat, & non ſub nomine Prioris G., & hoc per indultum Clem. VII. & Gregorii XIII. p 1. c 15. §.1. Si impedierit correctionem Regularem, & reformationem Conventuum, & hoc per indultum Pii Papæ II. p.3. c.2. §.4. Si quis Fratrem noſtrum, vel alterius Ordinis, aut Clericum ſæcularem percuſſerit, etiam leviter. p 3. c.10. §.3. & 5. Si Frater aliquis habitum convenientem Ordini ſuo temerarie dimiſerit, aut ipſum habitum ſæculariter transformatum, pro actibus temerariis agendis geſtaverit: etiam ſi cooperuerit, aut celaverit. Si alio Breviario, quam a nobis correcto, & a Sede Apoſtolica approbato utatur, vel ei addere, vel diminuere auſus fuerit, per Bullam Gregorii XIII, & ab hac ſolus Papa poteſt abſolvere. Si Sacramenta Eccleſiaſtica ſine Curatorum Parochianorum licentia miniſtraverit: & ab iſta abſolvendus eſt a Papa. Si publice excommunicatum, in Cœmeterio ſcienter ſepelierit. Si ſuſpenſus ab officio ſuo ſe de illo intromiſerit. Et multa alia, quæ in Jure latius continentur, quæ non poſſunt hic ex integro declarari. Item incurritur ſententia excommunicationis Papæ reſervata, ſi quis extrahat librum, vel aliquid ex librariis noſtris. p.2. c.12. §.1. Excommunicatio a Jure ipſo facto.

5. Poterit autem Prior Provincialis in ſua Provincia, & Localis in ſuo Quis poterit in Ordine excommunicare.

in ſuo Conventu, facere aliqua particularia ſtatuta in Conventibus, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto transgreſſoribus infligenda, ſi neceſſe fuerit, & honeſtum, & eis videbitur expedire. Caveant autem Superiores, ne facile eorum inferiores excommunicationis pœna afficiant: ſed ante cenſuris, & pœnis in ſtatutis expreſſis aggravent: ita ut excommunicatio (ut ſacrum docet Concilium Tridentinum) ad graviora crimina reſervetur, & eam pœnam, criminibus obſtricti, magis extimeſcant.

*Seſſio 25. de Reform c.3.*

A quibus ſit privatus excomunicatus.

6. Omnis autem excommunicatus quacumque excommunicatione, non ingrediatur Eccleſiam, Capitulum, vel alia loca communia; ſed neque electiones quaſcumque: quinimo quamdiu ſteterit ſic, ab omnibus evitetur.

Quis poteſt abſolvere excommunicatum.

7. Excommunicatus autem, quando non fuerit ad Dominum Papam mittendus, per Priorem Generalem, aut Provincialem ſuum, aut per illum, cui ſuper hoc commiſiſſent vices ſuas, abſolvatur; eo modo quo dicitur in capite de eorum officiis: & læſis ſatiſfaciant ſecundum quod caſus, vel injuria poſtulabunt: & deinde niſi prius punitus fuerit, puniatur ſecundum Ordinis ſtatuta, & exigentiam delicti. Poterit etiam Prior Localis abſolvere ſubditum a ſententia, quam incurrit, ex tranſgreſſione præcepti per eum ſub pœna excommunicationis ipſo facto dati.

De irregularitate.

8. Irregularitas incurritur, ſi quis homicidium voluntarie fecerit. Si non ordinatus, celebraverit. Si quis bigamus fuerit. Si ſibi vel alteri membrum ex indignatione abſtulerit. Si quis quacumque excommunicatione ligatus fuerit, & Miſſam celebraverit, vel alias in ſuis Ordinibus miniſtraverit, aut in Divinis ſe indebite immiſcuerit. Et multa alia, quæ in Jure habentur. Et omnis irregularis a ſuſceptione Ordinum, & ab eorum executione eſt ineptus, donec fuerit cum eo diſpenſatum. Cum quibus vero poterunt Prior Generalis, & Provincialis diſpenſare ſuper irregularitate contracta, potes videre in capit. de eorum officiis, & in Privilegiis per Sedem Apoſt. indultis, ſcilicet per Eugenium IV. & per Xiſtum IV.

## CAPUT XII.

### *De pœna apoſtatarum.*

Quibus caſibus pœna apoſtatarum incurritur.

1. Apoſtatarum pœna incurritur, ſi hoſpes, aut alius Frater exiverit a Conventu, niſi de licentia Præſidentis Conventus, p.1. c.9. §.4. & c.7. §.1. Si quis ſine teſtimonialibus, & obedientia inceſſerit. p.1. c.9 §.7. Si peracto negotio non redierit. p.1. c.9. §.10. Si contra præceptum ſui Superioris, de die, aut de nocte extra Conventum exiverit. p.3. c.1. §.1. Si exiverit ſine licentia ſpeciali Superioris. p.3. c.1. §.3. Si aliquis vagus cum licentia indeterminata Prioris extra terminos Conventus, aut cum licentia Provincialis extra terminos Provinciæ ſuæ vage diſcurrat. p.3. c.1 §.7.

2. Si quis in his, & ſimilibus incurrerit, pœnam graviſſimam, ideſt pœnam carceris per viginti dies ſuſtinebit, & ſit privatus omnibus bonis, quorum uſum incertum habebat. Item fugitivorum, & incurrentium in apoſtatarum pœnam abſolutio reſervata eſt Priori Generali, vel Provincialibus ſuis, ſub quorum obedientia prædicta crimina perpetraverunt. p.3. c.1. §.8. Pœna apoſtatarum.

# CAPUT XIII.

## *De pœna rebellium, uſurpantium Majorum ſuorum officia, & inobedientium.*

1. Rebellium pœna incurritur, ſi Prior aut Clavarii non fecerint reponere pecuniam Conventus in arca communi: vel ſi apud ſe retineant. p.1. c.2. §.11. Si Priores, & Clavarii non fecerint extrahere inſtrumenta rerum donatarum perpetuo, vel ad plures annos, & in arca communi reponere. p.1. c.2. §.12. Si loca noſtra, propter paupertatem, in litibus proprio adjutorio deſtituantur, & Provincialis non fecerit ſubſidium eis dare, tam Provincialis, quam Frater impediens prædictum ſubſidium. p. 1. c.2. §.18. Si in Sabbatis ad Completorium, & Dominicis, & Feſtivis diebus non ſint cum cappis albis. p.1. c.3. §.23. Si quis panem, vinum, ſeu quid aliud ſimile extra Conventum mittat. p.1. c.4. §.11. Si ſine cappa alba, & abſque licentia ſui Superioris præſumat extra Conventum ire. p.1. c.7. §.3. Si nomina, ætates, & dies receptionis ad Ordinem, ac profeſſionis Fratrum, Superior Conventus non ſcribat. p.1. c.15. §.7. Si Fratres Conventus habentis facultatem nutriendi octo Fratres cauſa fuerint, quod non teneat Conventus unum Juvenem in ſtudio. p.1. c.17. §.2. Si Provincialis, & Priores Locales non eligant Juvenes idoneos ad diſcendum, providendo eis Magiſtros aptos. p.1. c.18. §.1. Si Provincialis aliquid inſtituat, deſtituat, amoveat, aut dimoveat in Conventibus Romanæ Curiæ ſine licentia Generalis. p.2. c.1. §.6. Si Provincialis non ſcribat ad Generalem adminus bis in anno ſtatum ſuæ Provinciæ. p.2. c.2. §.15. Si Prior, ſeu Sacriſta paramenta aurea, aut ſerica, vel calices, ſeu vaſcula aurea, vel argentea accommodet quibuſcumque. p.2. c.9. §.2. Si præcepto Superiorum pertinaciter non obediverit. p.3. c.2. §.1. Si obedientiæ ſibi datæ eundi ad alium Conventum contraveniat. p.3. c.5. §.5. Si decreto Capituli Generalis in Diffinitorio ipſius ſe oppoſuerit. p.4. c.7. §.1. Quibus caſibus pœna rebellium incurritur.

2. Uſurpantium Majorum ſuorum Officia, & auctoritatem pœna incurritur, ſi quis confiteatur alteri, quam Priori ſuo, vel ab eo deputato. p.1. c.10. §.1. Si Viſitator extenderit commiſſionem, ultra id, quod ſonaverit litera ſuæ commiſſionis. p.2 c.5. §.2. Si Provinciales, aut Præſidentes Apoſtatas a carcere liberaverint. p.3. c.1 §.5. Si Quibus caſibus pœna uſurpantiū Majorum ſuorum auctoritatem incurritur.

 Pro-

Provinciales, & Diffinitores non celebraverint Capitulum Provinciale de triennio in triennium, & in tertia Dominica poſt Paſcha Reſurrectionis. p.4. c.10. § 1. Si Provincialis dederit vocem, & locum in Capitulo Provinciali Prioribus non habentibus Socios. p.4. c.10. §.3. Si Provincialis in Capitulis Provincialibus creaverint novos Priores, aut Socios, pro deficientibus. p.4. c.10. §.5. Si Provinciales, & Diffinitores admittant in Capitulo Provinciali aliquem, præter Magiſtros optime promotos, Priores, Vicarios, Socios, &c. p.4. c.10. §.6.

Quibus caſibus pœna inobedientium incurritur.

3. Inobedientium pœna incurritur, ſi in contemptum duxerit venire competenti feſtinatione ad Chorum, vel ad alia, ſigno campanæ vocatus. p.1. c.3. § 1. Si Provincialis aliquid inſtituat, ponat, amoveat, aut deſtituat in Conventibus Curiæ Romanæ ſine ſpeciali licentia Generalis. p.2. c.1. §.6. Si quis non cuſtodierit ordinata in viſitatione. p.2. c.6. §.4. Si omnia pertinentia ad Conventum, & Sacriſtiam, non ſcribantur in libro communi; & expenſas, receptioneſque, ac augmentationes, & diminutiones, nominaque Priorum, aut Expenditorum, vel Sacriſtæ, ſub quibus talia augmentata, vel diminuta fuerint. p.2. c.11. §.1.

Quæ præcipiuntur in virtute ſanctæ Obedientiæ.

4. Incurritur etiam pœna inobedientium, ſi Prior, aut alius Frater incipiat litem ſine licentia Provincialis. p.1. c.2. §.18. Si Frater aliquis ſit Ambaſciator in cauſis ſuſpectis. p.1. c.9. §.19. Si Superior recipiat Novitium cum pecunia. p.1. c.13. §.6. Si Prior ſaltem ſemel in anno non viſitaverit poſſeſſiones Conventus. p.2. c.3. §.2. Si Prælatis non ſint in adjutorium contra inobedientes, ad eos capiendos, &c. p.3. c.2. §.2. Si Provinciales, & Priores Locales non fecerint ſervare Conſtitutionem de appellationibus, & appellationi adhærentibus, & de ſe erigentibus contra Majores. p.3. c.3. §.2. Si colligationem, aut confœderationem faciat. p.3. c.4. §.1. Si Provinciales, & Priores Locales, improviſo non viſitaverint cameras Fratrum, & libros evolverint, tam in viſitationibus, quam extra illas. p.3. c.6. §.1.

Pœna omnium prædictorum.

5. Si hæc, & ſimilia aliquis perpetraverit, pœna graviſſima puniatur, id eſt, careat voce, & loco ipſo facto, & carceri mancipetur ad arbitrium ſui Superioris, contra quem talia perpetraverit.

## CAPUT XIV.

### *De pœna Conſpiratorum.*

Quibus modis incurritur conſpiratorũ pœna.

1. Conſpiratorum pœna incurritur, ſi reverenter, & obedienter aliquis non recipiat Superiores Ordinis. p. 2. c. 5. §.1. Si in Capitulo acclamaverit per alterum, culpam accuſati aggravando, vel diminuendo: vel ſi cauſa fuerit, quod culpa commiſſa non probetur, timorem Fratribus incutiendo. p.3. c.4. §.2. Si comminando de Superioribus locutus fuerit. p.3. c.4. §.3.

2. Si quis, & ſimilia perpetraverit loco, & voce ipſo facto ſit privatus, & per quadraginta dies ad minus pœnam gravioris culpæ ſuſtineat: & ſi ſcandalum, aut detrimentum aliquod, Ordo, Provincia, vel Conventus aliquis, aut Superior patiatur, carceri per integrum annum mancipetur; & ſi in toto Ordine, aut in Provinciis, aut domibus diviſiones, vel partes ſequantur, eo facto ſit excommunicatus, & carceri perpetuo mancipetur. p.3. c.4. §.1.

Pœna conſpiratorum.

# CAPUT XV.

## *De pœna Proprietariorum, & Falſariorum.*

1. PRoprietariorum pœna incurritur, ſi pecuniæ exactæ non reponantur ſtatim in capſa communi. p.1. c.2. §.9. Si aliquis tenuerit bona immobilia, aut animalia aliqua. p.1. c.2. §.14. Si cenſus ad vitam emat. p.1. c.2. §.16. Si panem, vinum, vel quid ſimile extra Conventum mittat. p. 1. c. 4. §. 11. Si hoſpites, aut alii fratres aliquid emant, aut mutuo accipiant, niſi per Priorem, vel Procuratorem, aut de eorum aſſenſu. p.1. c.9 §4. Si aliquis aperiat repoſitoria Fratris infirmi habentis adminiſtrationem temporalium bonorum, niſi in caſu neceſſitatis, præſente Priore, & Cuſtodibus. p.1. c.22. §.1. Si Prior in Capitulum iturus, vel ab Officio mutandus non reddat rationem de omnibus bonis Conventus Præſidenti, vel Succeſſori. p.2. c.3. §2. Si aliquis recipiat aliquid Communitatis intra ſepta loci, niſi præſente Priore, & Clavariis &c. p.2. c.10. §2. Si Prior faciat Expenditoris Officium in Conventibus excedentibus quinque voces. p. 2. c.10. §.3. Si Prior ponat bona Conventus in loco abſcondito. p.2. c.10. §.10. Si Prior faciat quietantias ſub ſigillo ſui officii, niſi in præſentia, ſaltem unius Cuſtodis. p.2. c.10. §.11. Si cum licentia vaga diſcurrat ultra terminos ſui Conventus, vel Provinciæ. p.3. c.1. §.7. Si appellationes a Regulari diſciplina fecerit. p.3. c.3. §.1. Si quis utatur gratia habita per favorem Secularium. p.3. c.5. §.2. Si ſit Alchimiſta. p.3. c 6. §.5. Si luſerit ludis prohibitis, vel pro pecuniis, aut aliis rebus. p.3. c.6. §.6. Si tenuerit pecuniam, vel alia bona quantumcumque modica, niſi de licentia Prioris. p.3. c.11. §.1. Si mercationes fecerit. p.3. c.11. §.7. Si res Conventus furtive, vel indebite alienaverit. p.3. c.11. §.7. Si Terminarii non revelaverint integre acquiſita, Priore præſente, & Clavariis. p.3. c.11. §.8. Si Provincialis, vel Socius aliquis pro Capitulo Generali non iturus ad Capitulum, pecuniam pro eo taxatam acceperit, aut ſi accepit, non reſtituerit. p.4 c.1. §.3.

Quibus modis incurritur pœna proprietariorum.

2. Si quis in his, & ſimilibus incurrerit, omnibus bonis, quorum uſum incertum habebat, perpetuo ſit privatus, carcerique detrudatur, a quo non poſſit liberari, niſi per Priorem Generalem. p.3. c.11. §.11.

Pœna proprietariorum.

3. Fal-

De falſariis. 3. Falſariorum pœna incurritur, ſi aliqua litera ſigilletur ſigillo communi Ordinis, Provinciæ, aut Conventus, niſi coram toto Capitulo, cujus eſt ſigillum, & attente legatur: & niſi a majori, & ſaniori parte concedatur. p.4. c.8. §.2. & p.1. c.23. §.1. Falſarius ſigilli cujuſcumque Communitatis, aut Officiarii tam in Ordine, quam extra, carceri mancipetur, quamdiu Priori Generali videbitur. p.1. c.23. §.3.

# CAPUT ULTIMUM.

## *De Confirmatione harum Conſtitutionum.*

QUæcumque autem Statuta prædictis Statutis contraria, aut Regulæ noſtræ diſſonantia, in quibuſcumque Capitulis præteritis edita, penitus revocamus, & præſentia Statuta confirmamus. Prioribus Provincialibus præcipientes per ſalutarem obedientiam, quatenus in ſingulis Conventibus ſuarum Provinciarum iſtas Conſtitutiones diligenter faciant cuſtodiri, omnibus aliis revocatis, ipſaſque legi faciant, ſaltem Feriis quartis, & ſextis ad minus; ſermoneque etiam vulgari, ſi opus fuerit, exponi. Priores Conventuales ſe, & Subditos ad earum cuſtodiam coaptent, & ad obſervantiam ipſarum ſuos Subditos per quaſcumque pœnitentias rigide coerceant, ſub pœna depoſitionis ab officio tam ipſis, quam Provincialibus negligentibus infligenda, ut ſit uniformitas vitæ in Ordine noſtro, & Regularis diſciplina ab omnibus obſervetur ad laudem Dei, & ſuæ Bmæ Matris Mariæ, & ad ſalutem animarum noſtrarum. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto; cui laus, honor, & gloria eſt in ſecula ſeculorum. Amen.

Ad laudem, & gloriam Domini noſtri, ac Salvatoris Jeſu Chriſti, ejuſque ſacroſanctæ Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, Fratrum ſuorum de Monte Carmeli præcipuæ, ac ſingularis Patronæ, necnon ad eorumdem Fratrum, ac Sororum, vitæ Regularis reformationem, & ſtabilimentum; expliciunt Conſtitutiones, judicio Rmi Magiſtri Gregorii Canalis, necnon RR. Patrum, ex Decreto Capituli Generalis Romæ celebrati, Anno M. DC. XXV. in die Pentecoſtes, recognitæ, approbatæ, publicatæ, & ad normam ſacroſancti Concilii Tridentini redactæ, ac juſſu ejuſdem Rmi Patris in lucem editæ, Romæ impreſſæ, nullo apud Impreſſorem exemplo relicto, Anno ſalutis noſtræ M. DC. XXVI.

REGU-

# REGULA
# FRATRUM
## BEATISSIMÆ DEI GENITRICIS,
# ET VIRGINIS MARIÆ
## DE MONTE CARMELI.

CUM BULLIS SUMMORUM PONTIFICUM

EUGENII IV., PII II., ET XYSTI IV.

Pro mitigatione ejuſdem, & Decretum Capituli Generalis Rupeculæ celebrati, de jejunio, & comeſtione carnium.

*Dum fluet unda Maris, curretque per æthera Phœbus;*
*Vivet Carmeli candidus Ordo mihi.*

# INDEX REGULÆ, ET BULLARUM.

*Confirmatio Innocentii IV.*
*Declaratio, correctio, & mitigatio Hugonis, & Guilhelmi.*
*Prologus Regulæ Alberti.*
*De Priore habendo, & tribus ſibi promittendis.* Cap. I.
*De receptione Locorum.* Cap. II.
*De Cellulis Fratrum.* Cap. III.
*De communi refectione.* Cap. IV.
*De non mutando, nec permutando Cellulas.* Cap. V.
*De Cellula Prioris.* Cap. VI.
*De manſione in Cellulis.* Cap. VII.
*De Horis Canonicis.* Cap. VIII.
*De non habendo proprium.* Cap. IX.
*De Oratorio, & audienda Miſsa quotidie.* Cap. X.
*De Capitulo, & correctione Fratrum.* Cap. XI.
*De jejunio.* Cap. XII.
*De abſtinentia carnium.* Cap. XIII.
*De armis ſpiritualibus.* Cap. XIV.
*De aſſiduitate operationis ad evitandam otioſitatem.* Cap. XV.
*De ſilentio.* Cap. XVI.
*De humilitate ad Priorem exhortatio.* Cap. XVII.
*De honorando Priorem; ad Fratres exhortatio.* Cap. XVIII.
*Finis Regulæ.*
*Finis declarationis, correctionis, & mitigationis Hugonis, & Guilhelmi.*
*Finis Confirmationis Innocentii.*
*Bulla Eugenii IV.*
*Bulla Pii II.*
*Bulla Xyſti IV.*
*Decretum Capituli Generalis Rupeculæ.*

RE-

# REGULA

## EX SANCTI BASILII,

Et Joannis 44. Epiſcopi Jeroſolymitani ſcriptis ab Alberto Patriarcha Jeroſolymitano extracta, & Fratribus Beatiſſimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ de Monte Carmeli data: ab Innocentio IV. confirmata, atque auctoritate ejuſdem per Hugonem Tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & Guilhelmum Anteradenſem Epiſcopum declarata, correcta, & mitigata.

*Confirmatio Innocentii IV.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI

*Dilectis Filiis Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli: Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

QUÆ honorem Conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præſidio ſunt fulcienda perpetui; ſed illa præcipue, ſuper quæ Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſalubris providentiæ ſtudium noſcitur habuiſſe. Cum itaque nos ad veſtræ ſupplicationis inſtantiam, per dilectum Filium noſtrum Hugonem Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & Venerabilem Fratrem Guilhelmum Anteradenſem Epiſcopum, quædam Regulæ veſtræ dubia declarari, & corrigi, ac etiam quædam ipſius gravia miſericorditer fecerimus mitigari, prout in literis inde confectis plenius continetur. Nos veſtris piis deſideriis annuentes, declarationem, correctionem, ac mitigationem hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem vero literarum ipſarum, de verbo ad verbum, fecimus præſentibus annotari, qui talis eſt.

## *Declaratio, correctio, & mitigatio Hugonis, & Guilhelmi.*

FRater Hugo, miſeratione divina Tituli Sanctæ Sabinæ Preſbyter Cardinalis; & Frater Guilhelmus, eadem miſeratione Anteradenſis Epiſcopus; Cariſſimis in Chriſto Filiis Religioſis viris, Priori Generali, & Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, ſalutem in omni ſalutari.

Accedentes ad Apoſtolicam Sedem Fratres Clerici, Reginaldus, & Petrus Ordinis veſtri, ex parte veſtra a Domino Papa humiliter poſtularunt, ut quædam, quæ in veſtro privilegio, & Regula olim vobis a felicis memoriæ Alberto Patriarcha Jeroſolymitano tradita continentur, dubia declarare, corrigere, & quædam gravia miſericorditer mitigare dignaretur. Cum igitur Dominus Papa, eorum devotis ſupplicationibus annuendo, nobis commiſerit, ut declarationem, correctionem, ac mitigationem hujuſmodi faceremus vice ipſius, ſecundum quod bono ſtatui Ordinis, & Fratrum ſaluti expediens videremus: Religioni veſtræ, qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus Regulam a nobis correctam, declaratam, & mitigatam, prout expedire vidimus, devote recipientes, eam firmiter obſervetis, & ad inſtar ejuſdem alias veſtras Regulas corrigatis, quam vobis per eoſdem Fratres ſub ſigillis noſtris mittimus in hac forma.

## *Prologus Regulæ Alberti.*

ALbertus Dei gratia Jeroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Chriſto Filiis Brocardo, & cæteris Eremitis, qui ſub ejus obedientia juxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, in Domino ſalutem, & Sancti Spiritus benedictionem.

Multifarie, multiſque modis Sancti Patres inſtituerunt, qualiter quiſque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcumque modum vitæ Religioſæ elegerit, in obſequio Jeſu Chriſti vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona conſcientia deſervire. Verum, quia requiritis a nobis, ut juxta propoſitum veſtrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere inpoſterum debeatis:

# CAPUT I.

*De Priore habendo, & tribus ſibi promittendis.*

ILlud in primis ſtatuimus, ut unum ex vobis Priorem habeatis, qui ex unanimi omnium aſſenſu, vel majoris, & ſanioris partis ad hoc Officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promiſſam, ſtudeat operis veritate ſervare cum caſtitate, & abdicatione proprietatis.

# CAPUT II.

*De receptione Locorum.*

LOca autem habere poteritis in Eremis, vel ubi vobis donata fuerint, ad veſtræ Religionis obſervantiam apta, & commoda, ſecundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

# CAPUT III.

*De Cellulis Fratrum.*

PRæterea juxta ſitum Loci, quem inhabitare propoſueritis, ſinguli veſtrum ſingulas habeant Cellulas ſeparatas, ſicut per diſpoſitionem Prioris ipſius, & de aſſenſu aliorum Fratrum, vel ſanioris partis eædem Cellulæ cuique fuerint aſſignatæ.

# CAPUT IV.

*De communi refectione.*

ITA tamen, ut in communi Refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter ſumatis, aliquam lectionem Sacræ Scripturæ audiendo, ubi commode poterit obſervari.

# CAPUT V.

*De non mutando, nec permutando Cellulas.*

NEC liceat alicui Fratrum, niſi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum ſibi mutare locum, vel cum alio permutare.

## CAPUT VI.

### *De Cellula Prioris.*

CEllula Prioris ſit juxta introitum loci, ut venientibus ad eumdem locum primus occurrat: & de arbitrio, & diſpoſitione ipſius, poſtmodum, quæ agenda ſunt, cuncta procedant.

## CAPUT VII.

### *De manſione in Cellulis.*

MAneant ſinguli in Cellulis ſuis, vel juxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, niſi aliis juſtis occaſionibus occupentur.

## CAPUT VIII.

### *De Horis Canonicis.*

HI, qui Horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant, ſecundum Inſtitutiones Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ approbatam conſuetudinem. Qui vero eas non norunt, vigintiquinque vicibus *Pater noſter* dicant in Nocturnis Vigiliis, exceptis Dominicis, & ſolemnibus diebus, in quorum Vigiliis prædictum numerum ſtatuimus duplicari, ut dicatur *Pater noſter* vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur Oratio in Laudibus Matutinis. In aliis quoque Horis ſepties ſimiliter eadem ſingulatim dicatur Oratio, præter Officia Veſpertina, in quibus ipſam quindecies dicere debeatis.

## CAPUT IX.

### *De non habendo proprium.*

NUllus Fratrum aliquid eſſe ſibi proprium dicat, ſed ſint vobis omnia communia: & diſtribuantur unicuique per manum Prioris, ideſt per Fratrem ab eodem ad idem Officium deputatum, prout cuique opus erit, inſpectis ætatibus, & neceſſitatibus ſingulorum. Aſinos autem, ſive mulos, prout veſtra expoſtulaverit neceſſitas, vobis habere liceat, & aliquod animalium, ſive volatilium ad nutrimentum.

## CAPUT X.

### *De Oratorio, & audienda Miſſa quotidie.*

ORratorium, prout commodius fieri poterit, cônſtruatur in medio Cellularum, ubi mane per ſingulos dies ad audienda Miſſarum ſolemnia convenire debeatis, ubi hoc commode fieri poteſt.

## CAPUT XI.

### *De Capitulo, & correctione Fratrum.*

DOminicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, de cuſtodia Ordinis, & animarum ſalute tractetis, ubi etiam exceſſus, & culpæ Fratrum, ſi quæ in aliquo fuerint deprehenſæ, charitate media corrigantur.

## CAPUT XII.

### *De jejunio.*

JEjunium ſingulis diebus, exceptis Dominicis, obſervetis a Feſto Exaltationis Sanctæ Crucis uſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis, niſi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia juſta cauſa jejunium ſolvi ſuadeat, quia neceſſitas non habet legem.

## CAPUT XIII.

### *De abſtinentia carnium.*

AB eſu carnium abſtineatis, niſi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio ſumantur. Et quia vos oportet frequenter mendicare itinerantes, ne ſitis hoſpitibus oneroſi, extra domos veſtras ſumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus. Sed & carnibus ſupra mare veſci licebit.

## CAPUT XIV.

### *De armis ſpiritualibus.*

QUia vero tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & omnes, *Job. 7.*
qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. *2. Tim. 3.*
Adverſarius quoque veſter diabolus, tamquam Leo rugiens cir- *1. Petri 5.*
cuit, *Epheſ. 6.*

Luc. 12. cuit, quærens, quem devoret: omni ſollicitudine ſtudeatis indui armatura Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias inimici. Accingendi ſunt lumbi veſtri cingulo caſtitatis. Muniendum eſt pectus cogitationibus ſanctis: Scriptum eſt enim: Cogitatio ſancta ſervabit te. Induenda eſt lorica juſtitiæ, ut Dominum Deum veſtrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum veſtrum tamquam voſmetipſos. Sumendum eſt in omnibus ſcutum Fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo. Galea quoque ſalutis capiti imponenda eſt, ut de ſolo Salvatore ſperetis ſalutem, qui ſalvum facit populum ſuum a peccatis eorum. Gladius autem ſpiritus, quod eſt verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus veſtris, & quæcumque vobis agenda ſunt, in verbo Domini fiant.

Matth. 22. Marc. 12. Hebr. 11. Matth. 1. Coloſſ. 3.

## CAPUT XV.

### *De aſſiduitate operationis ad evitandam otioſitatem.*

FAciendum eſt vobis aliquid operis, ut ſemper vos diabolus inveniat occupatos, ne ex otioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat invenire. Habetis in hoc Beati Pauli Apoſtoli magiſterium pariter, & exemplum, in cujus ore Chriſtus loquebatur. Qui poſitus eſt, & datus a Deo Prædicator, & Doctor Gentium in fide, & veritate; quem ſi ſecuti fueritis, non poteritis aberrare. In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos die, ac nocte operantes, ne quem veſtrum gravaremus. Non quaſi nos non haberemus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum eſſemus apud vos, hæc denunciabamus vobis: quoniam, ſi quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim quoſdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes: His autem, qui ejuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent. Hæc via ſancta eſt, & bona, ambulate in ea.

1. Tim. 2. 2. Theſſalon. 3.

## CAPUT XVI.

### *De ſilentio.*

COmmendat autem Apoſtolus ſilentium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta teſtatur: Cultus juſtitiæ ſilentium eſt. Et rurſum: In ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra. Ideoque ſtatuimus, ut dicto Completorio ſilentium teneatis uſque ad Primam dictam ſequentis diei. Alio vero tempore,

Iſai. 32. Iſai. 30. Proverb. 10.

pore, licet ſilentii non habeatur obſervatio tanta, diligentius tamen a multiloquio caveatur. Quia ſicut ſcriptum eſt, & non minus experientia docet: In multiloquio non deerit peccatum: &, qui inconſideratus eſt ad loquendum ſentiet mala. Item: Qui multis utitur verbis, lædit animam ſuam. Et Dominus in Evangelio: De omni verbo otioſo, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Faciat ergo unuſquiſque ſtateram verbis ſuis, & frænos rectos ori ſuo, ne forte labatur, & cadat in lingua, & inſanabilis caſus ejus ſit ad mortem, cuſtodiens cum Propheta vias ſuas, ut non delinquat in lingua ſua; Et ſilentium, in quo cultus juſtitiæ eſt, diligenter, & caute ſtudeat obſervare.

*Proverb. 13.* *Eccleſiaſt. 20.* *Matth. 12.* *Eccleſiaſt. 28.*

## CAPUT XVII.

### *De humilitate ad Priorem exhortatio.*

TU autem Frater Brocarde, & quicumque poſt te inſtitutus fuerit Prior, illud ſemper habeatis in mente, & ſervetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. *Matth 20.*

## CAPUT XVIII.

### *De honorando Priorem ad Fratres exhortatio.*

VOS quoque cæteri Fratres, Priorem veſtrum honorate humiliter: Chriſtum potius cogitantes, quam ipſum, qui poſuit illum ſuper capita veſtra: & Eccleſiarum Præpoſitis etiam ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: ut non veniatis in judicium de contemptu, ſed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breviter ſcripſimus vobis, converſationis veſtræ formulam ſtatuentes, ſecundum quam vivere debeatis. Si quis autem ſupererogaverit, ipſe Dominus, cum redierit, reddet ei. Utamini tamen diſcretione, quæ virtutum eſt moderatrix.

*Finis Regulæ.*

EX Achon, Idibus Januarii anno Domini M. C. LXXI.

*Finis declarationis, correctionis, & mitigationis Hugonis, & Guilhelmi.*

ACtum Lugduni, anno Domini M. CC. XLVIII. Innocentii Papæ IV. anno quinto, Kalendis Octobris.

*Finis*

*Finis confirmationis Innocentii.*

NUlli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni, Kalen. Octobris, Anno Domini M. CC. XLVIII. Pontificatus noſtri anno Quinto.

---

# BULLA
# EUGENII QUARTI

## In qua mitigantur Capitula de abſtinentia carnium, de jejunio, & de manſione in cellulis, atque conceditur Fratribus Indulgentia Plenaria in articulo mortis.

EUGENIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
*Ad perpetuam rei memoriam.*

ROMANI Pontificis providentia circumſpecta, nonnumquam ea, quæ ad propagationem Religionum quarumcumque, & in illis Divinis obſequiis mancipatarum perſonarum proſperum ſtatum conſervandum, ac animarum ſalutem earumdem ſalubriter inſtituta fuerant, ſi fructum non afferant exoptatum, reformat, & moderatur. Et ut Religiones ipſæ, præſertim a Sede Apoſtolica approbatæ, in ſuo vigore perdurent, prout temporum penſata qualitate, in Domino proſpicit expedire, libenter impendit ſuæ ſolicitudinis partes. Sane cum ſicut nobis pro parte dilectorum filiorum Joannis Faci Magiſtri Generalis, ac Provincialium, & Clauſtralium Priorum, & univerſorum Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli nuper fuit expoſitum, quod in certis Capitulis Regulæ, Fratribus dicti Ordinis per bonæ memoriæ Albertum Patriarcham Jeroſolymitanum traditæ, inter cætera cavetur expreſſe, quod Fratres prædicti Ordinis ab eſu carnium abſtineant, niſi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio ſumantur. Eiſdem etiam, quod ſingulis diebus (Dominicis dumtaxat exceptis) a Feſto Exaltationis Sanctæ Crucis, uſque ad Feſtivitatem Reſurrectionis Domini noſtri

Jeſu

Jeſu Chriſti jejunare teneantur. Quodque ſinguli eorum manere debeant in cellis ſuis die, ac nocte in Lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes, præcipitur: & propterea nonnulli ipſius Ordinis profeſſores, propter arctitudinem, & rigoroſitatem Regulæ hujuſmodi, tam ex fragilitate humana, quam ex debilitate corporea, nequeuntes eamdem Regulam obſervare, diſpendium ſuæ ſalutis incurrant: quodque plures etiam aſperitatem hujuſmodi pertimeſcentes, ab ingreſſu ejuſdem Ordinis retrahantur. Nos vero, qui plantare Religionem Sacram, & plantatam modis omnibus fovere intenſis deſideriis affectamus, ſuper hoc, quantum nobis eſt poſſibile, providere ſalubriter cupientes, & rigorem hujuſmodi quadam temperie mitigantes, ac Regulam ipſam moderantes, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus, ordinamus, & concedimus, quod dicti Ordinis profeſſores, qui nunc ſunt, & pro tempore erunt, tribus dumtaxat diebus ſingularum ſeptimanarum, etiam quibus, ut præfertur, jejunare juxta eamdem Regulam ſint aſtricti, præterquam in Adventu, & in Quadrageſima, & aliis generalibus prohibitis diebus, carnibus veſci, ac horis congruis in eorum Eccleſiis, & illorum Clauſtris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare licite, & libere valeant. Decernentes eos, & eorum ſingulos, circa præmiſſa ad arctiorem obſervantiam, quæ ſupra præmittitur, occaſione profeſſionis in dicto Ordine emiſſæ, vel in poſterum emittendæ, minime teneri. Et nihilominus Fratribus eiſdem, qui Regulam ipſam, ita, ut præmittitur, moderatam obſervaverint, quod eis proficiat in remiſſionem peccatorum. Inſuper quod omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, protectionibus, & prærogativis eidem Ordini perantea conceſſis, uti & gaudere poſſint, eadem auctoritate concedimus per præſentes: Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Statutis, conſuetudinibus etiam prædictis, & aliis Ordinis, & Regulæ prædictis Capitulis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate vallatis: ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Et, ut ipſi Fratres in humilitatis, & paupertatis ſpiritu, ac caſtimonia virtutum Domino famulantes ad hujuſmodi mitigatam Regulam obſervandam ferventius animentur; omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis præſentibus, & futuris, dumtaxat, qui Regulam iſtam, ſicut præmittitur, moderatam obſervaverint, ſeu in obſervantia ipſius vixerint, ut Superiores ipſorum dicti Ordinis, vel alius quicumque idoneus ejuſdem Ordinis Sacerdos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel tantum in mortis articulo, plenam remiſſionem in ſtatu, & ſinceritate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia, vel devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, necnon obſervantia

 præ-

prædicta perſiſtente, auctoritate Apoſtolica, concedere valeant devotioni ipſorum tenore præſentium indulgemus. Sic tamen, quod iidem Superiores, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eiſdem Fratribus, ſi ſupervixerint, vel per alios ſi tunc forte tranſierint, faciendam injungant: quam ipſi Fratres facere teneantur, ut præfertur. Et ne (quod abſit) propter hujuſmodi gratiam, Fratres prædicti reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda: volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi prædicti Fratres aliqua forte committerent, quoad illa prædicta remiſſio nullatenus ſuffragetur. Et inſuper, quod per unum annum, ex quo noſtra præſens conceſſio ad eorumdem Fratrum pro tempore exiſtentium notitiam pervenerit, computando, ſingulis ſextis Feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunent. Quod ſi prædictis ſextis Feriis ex præcepto Eccleſiæ, regulari obſervantia, injuncta pœnitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum non ſint aſtricti, jejunent. Et ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte eſſent legitime impediti, anno ſequenti, vel alias quamprimum potuerint, modo ſimili, ſupplere jejunium teneantur. Porro, ſi alias forſan prælibatum jejunium in toto, vel in parte adimplere commode non potuerint, eo caſu Superiores ipſorum jejunium ipſum in alia pietatis opera, prout ſaluti animarum illorum viderint expedire, commutare valeant: quæ ipſi parimodo debeant adimplere. Alioquin noſtra hujuſmodi præſens conceſſio, quoad non obſervantes dumtaxat, nullius ſit roboris, vel momenti. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrorum, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, & voluntatis infringere, ſeu ei auſu temerario contraire. Si quis attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Domini M. CCCC. XXXI. quinto decimo Kalendas Martii. Pontificatus noſtri anno Primo.

BUL-

# B U L L A
# PII SECUNDI

## Pro declaranda relaxatione Regulæ circa jejunium.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
*Ad perpetuam rei memoriam.*

DILECTIS Filiis, Priori Generali, & Fratribus Ordinis Glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli: Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad hoc Divina miſeratio in Apoſtolica Sede plenitudinem poteſtatis conſtituit, ut Romanus Pontifex, qui claves a Beato Petro poteſtatis, & diſcretionis accepit, erga ſingulos fideles, præſertim Altiſſimo ſub Regulari habitu famulantes, clementia utatur, & gratia, ac in benigniorem inclinando ſententiam, rigori manſuetudinem anteponat. Cum itaque, (ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat) fælicis record. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, vobis, & aliis ejuſdem Ordinis profeſſoribus, qui pro tempore eſſent, quod tribus dumtaxat diebus ſingularum ſeptimanarum, ſeu hebdomadarum, etiam quibus jejunare juxta ipſius veſtri Ordinis Inſtituta Regularia eſſetis aſtricti, præterquam in Adventu Domini, Quadrageſima, & aliis generalibus diebus, carnibus veſci libere, & licite poſſetis, gratioſe conceſſerat. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, a nonnullis ejuſdem Ordinis profeſſoribus revocetur in dubium, an illis diebus, quibus eſus carnium vobis conceditur, jejunare teneamini, pro eo, quod in conceſſione prædicta, non ſolum mitigationes abſtinentiæ, ſed & relaxationem jejunii petitam fuiſſe, conſpicitur: quo fit, ut duorum dierum in hebdomada, quibus extra diem Dominicam vobis eſus carnium indulgetur, hujuſmodi jejunium fuerit relaxatum. Nos volentes conſcientiarum veſtrarum quieti, & tranquillitati conſulere, & ambiguitatis prædictæ ſcrupulum amputare: Quod tu, Dilecte Fili, Prior Gen., & qui pro tempore erunt tui in dicto Officio ſucceſſores, perſonarum, locorum, & temporum qualitate attenta, cum Fratribus dicti Ordinis, juxta conſcientiæ tuæ arbitrium, ſuper præmiſſis diſpenſare valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem concedimus, ac etiam poteſtatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis

autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Mantuæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1459. Nonis Decembris, Pontificatus noſtri anno Secundo.

# BULLA
# XISTI QUARTI

## Pro declaranda relaxatione Regulæ circa jejunium, & abſtinentiam carnium.

### XISTUS EPISCOPUS
### SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

DUM attenta meditatione &c. Et quia in Regula eorumdem Fratrum Carmelitarum, eis ab Alberto Patriarcha Jeroſolymitano tradita, & ab Innocentio IV., Alexandro etiam IV., & Nicolao ſimiliter IV. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris approbata, & confirmata, & quam per præſentes, motu, & ſcientia ſimilibus approbamus, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio, auctoritate Apoſtolica perpetuo communimus: inter cætera cavetur expreſſe, quod Fratres Ordinis prædicti ab eſu carnium abſtineant, niſi pro infirmitatis, aut debilitatis remedio ſumantur. Et eiſdem etiam præcipitur, quod ſingulis diebus (Dominicis dumtaxat exceptis) a Feſto Exaltationis Sanctæ Crucis, uſque ad Feſtivitatem Reſurrectionis Dominicæ jejunare teneantur: & ab Eugenio Papa IV. prædeceſſore præfato quadam temperie hujuſmodi rigorem mitigante, conceditur, ſtatuitur, & ordinatur, quod dicti Ordinis profeſſores, qui pro tempore forent, tribus diebus ſingularum ſeptimanarum, etiam quibus, ut præfertur, jejunare juxta eamdem Regulam erant aſtricti, carnibus veſci poſſent, præterquam in Adventu, & Quadrageſima, & aliis generaliter prohibitis diebus. Cum, ut etiam accepimus, ab aliquibus revocetur in dubium, an illis diebus, quibus eis uſus carnium conceditur, jejunare teneantur: pro eo, quod in conceſſione prædicta Eugenii, non ſolum mitigationem abſtinentiæ, ſed relaxationem jejunii ab eodem Eugenio prædeceſſore petitam fuiſſe, conſpicitur: & propterea piæ memoriæ Pius Papa II. prædeceſſor noſter præfatus conceſſit, ut Prior Generalis

neralis dicti Ordinis, qui pro tempore foret, ſuper hujuſmodi poſſet jejunio diſpenſare. Nos etiam motu, & ſcientia ſimilibus, literas prædictas Alberti Patriarchæ Jeroſolymitani, & Innocentii IV. Alexandri IV. Nicolai IV. Eugenii, & Pii innovamus, confirmamus, & approbamus, & perpetuæ firmitatis eſſe volumus, & mandamus: concedentes: Quod tu, dilecte Fili Generalis, & qui pro tempore erunt tui in dicto officio Succeſſores, perſonarum, locorum, & temporum qualitate penſata, cum utriuſque ſexus dicti Ordinis profeſſoribus, juxta tuæ conſcientiæ arbitrium, ſuper præmiſſis, tam jejunio, quam carnium eſu diſpenſare valeas: atque tres dies, plures, vel pauciores, ad jejunium faciendum nominare, & remittere ut poſſis, libere indulgemus. Ac illis ex eis, qui juxta hujuſmodi Regularia Inſtituta dicti Ordinis Glorioſiſſimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, & ejuſdem Eugenii mitigationem antedictam, noſtramque declarationem hujuſmodi, ut Confeſſor idoneus, quem quilibet eorum utriuſque ſexus, de ſuorum Superiorum conſenſu duxerit eligendum, eorum confeſſione diligenter audita, ſemel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium ſuorum peccatorum remiſſionem, & indulgentiam impendere valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium gratioſe concedimus &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1476. quarto Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

## DECRETUM

# CAPITULI GENERALIS

### Rupeculæ celebrati, Anno 1484., die 26. Maji ſuper jejunio, & comeſtione carnium editum, & diffinitum, virtute Bullæ Xiſti IV.

ORdinamus inſuper, & concedimus Prioribus Provincialibus, vel eorum Vicariis, ut cum Fratribus Provinciarum ipſis commiſſarum, poſſint mite agere ſuper eſu carnium, Feria ſecunda. Feria autem quarta, omnibus præcipimus Prioribus Provincialibus, Localibus, ſeu eorum Vicariis, ne permittant private, vel publice eſum carnium.

*Finis Regulæ Fratrum Beatiſſimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ de Monte Carmeli, & Bullarum Eugenii IV., Pii II., & Xiſti IV., ac Decreti Capituli Generalis Rupeculæ. Laus Deo.*

DE-

# DECRETA
# PRO REFORMATIONE REGULARIUM

## FÆL. REC. CLEMENTIS VIII. AUCTORITATE EDITA, INNOVATA A SACRA CONGREG. CONCILII, *AUCTORITATE SS. D. N. URBANI PAPÆ VIII.*

QUamvis Decreta pro Reformatione Regularium a fæl. record. Clemente VIII. edita, & a Sacra Congregatione Concilii, auctoritate SS. D. N. Urbani VIII. innovata, & intimata, magna ex parte inſerta ſint in noſtris Conſtitutionibus; nihilominus, ut a noſtris Religioſis promptiori obedientia executioni mandentur; placuit ipſa in præſenti loco reponere.

## CLEMENS PAPA VIII.

NUllus omnino prætextu cujuſcumque privilegii, vel Superioritatis, etiam Generalatus, a ſervitio Chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores, iis tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint. Idem quoque præſtare valeant cum ægrotis, & ſtudiorum cauſa legitime impeditis. In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animadvertant ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum, alimenti etiam, ſi opus fuerit, ſubtractione.

2. Lectio Sacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis Monaſteriis, & Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe utiliter exerceant.

3. Quò Tridentini Conc. Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſerventur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiam ſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut promiſſis, tam in propria Eccleſia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiam ſi ſubſidia conſanguineorum,

rum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit: ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quò communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.

4. Neque Superioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem Fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere.

5. Eorum vero, quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quicquam poſſideat ut proprium, neque ut proprio utatur.

6. Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum a Concilio Tridentino præſcriptas, ſed alias quoque multo graviores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

7. Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quo minus culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

8. Fratrum veſtitus, & ſuppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino uniformis ſit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, ita ut nihil ſuperflui admittatur, nihil etiam, quod ſit neceſſarium alicui denegetur.

9. Quæcumque Fratrum veſtes, ſive laneæ, omniſque alia ſuppellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis, diligenter cuſtodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportune poſſint.

10. Omnes etiam Superiores, quicumque illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodemque obſonio, ſive eadem (ut ajunt) pitantia, in communi menſa prima, vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur, neque ſingulare aliquid, quo privatim quiſque in cibum utatur, ullo modo afferri poſſit: ſi quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem, & aquam.

11. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præſtationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios uſus, quam ratione officii ſui neceſſarios, quicquam expendant. Cum vero contigerit ipſos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi, & iis, qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum ſuppeditetur.

12. Nul-

12. Nullus ex Superioribus locorum, adminiſtrationem bonorum, aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & redditum ſui Conventus, etiam nomine Conventus per ſe ipſum, habere, ſive exercere poſſit, ſed univerſum id onus tribus Fratribus ejuſdem Conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat: alter tamquam depoſitarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſervet: alius de pecuniis, & rebus a Depoſitario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conventui univerſo de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundum proprium affectum, ſed juxta charitatis regulam, veluti bonus Diſpenſator provideat, officiorum hujuſmodi confuſione penitus interdicta.

13. Cæterum hi tres, tam impenſi, quam accepti, ſingulis menſibus Superiori Locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejuſdem Conventus probatioribus, rerumque uſu peritis, rationem reddant: Deinde ipſimet rurſus, præſentibus Priore, & peritis prædictis, Generali cum advenerit: denique ipſe Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali, ſaltem coram tribus judicibus, ab ipſo Capitulo ad hoc conſlitutis, illorum omnium, univerſamque ſuæ adminiſtrationis tam publicæ, quam privatæ rationem reddere teneatur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli deſcribatur, ad hoc, ut ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit.

14. In unoquoque Conventu, Fratrum is tantum deinceps conſtituatur, & impoſterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis vel ex communibus conſuetis, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſve quibuſcumque obventionibus in commune (ut præfertur) conferendis, commode poſſit ſuſtentari: redditus vero, & ſupradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter aſſerventur.

15. Superioribus autem, ne Concilii Triden: aut hæc noſtra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo poſſint, omnino interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum &c. Si quis autem contra præſumpſerit attentare, is eo ipſo omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuo inhabilis exiſtat.

16. Nullus niſi actu legat, vel prædicet, aliquo ſui gradus privilegio gaudeat.

17. Si alicui ex neceſſaria cauſa, Generalis judicio probanda, Socius ex eodem ordine, qui illi miniſtret, concedendus erit, is niſi vigeſimum quintum agat annum, & qui communi ſervitio ſit deputatus, non concedatur, & ſi commode fieri poteſt, ſit Laicus converſus.

18. Ut omnis ſcandalorum, & vagationis occaſio tollatur, Conventus clauſura perpetuo, ac diligenter ſervetur, ac propterea a Su-

a Superiore janitor conſtituatur, qui diligentia, ac morum integritate maxime commendetur: is januæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eamque nemini Fratrum aperiat, niſi ſocium, & exeundi licentiam obtinuerit.

19. Nullus a Conventu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta a Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eumdem ſæpius. Licentiæ vero generales exeundi, nulli omnino concedantur.

20. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur, eamdem etiam Janitor ſubeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit.

21. Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui a ſocio itineris rationem, & quid rei actum ſit, diligenter perquirat.

22. Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi prius a Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverint.

23. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa, & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas: quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant.

24. Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cum ſibi videbitur, cellas omnes reſerare poſſit; & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin ſemper a Superiore poſſit aperiri.

25. In medio Dormitorii totam noctem lampas colluceat.

26. Nullus etiam Superior cellas ſive in Clauſtro, ſive alibi ſeparatas a communi Dormitorio habeat, ſed unuſquiſque unica cella, eadem cum cæteris aliorum Fratrum conjuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & menſa humilibus, uniformique ſuppellectili (ut præfertur) quemadmodum Religioſos decet, contentus ſit; poſſit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, ſi eorum muneris, & officii neceſſitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.

27. Cellæ, ſive ædiculæ, quæ extra Dormitorium ſeparatim ſunt, ad officinas, aut alias ad communem uſum, & commoditatem Conventus redigantur.

28. Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire poſſint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

29. In privatis cellis nulli camini permittantur: ſed omnes obſtruantur ſtatim, cardinibus etiam e parietibus convulſis, ut res illa non ad tempus facta, ſed perpetuo duratura videatur:

cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

30. Conventus feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas Laicorum ædes proſpiciunt, muro ita obſtruantur, ut omnino iis proſpectus impediatur.

31. Valetudinarium in ſingulis Conventibus certo, ac ſalubriori loco conſtituatur, quod pro loci ſitu, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodiſſimum eſſe poſſit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur; nec inde, niſi recuperata ſanitate, abire permittantur. Qui vero infirmorum curæ præpoſiti ſunt, omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat.

32. Ineatur ratio, qua ſublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuſcumque conceſſis, degentes extra Conventus Clauſtra, ad ea quamprimum revocentur; nec de cætero, niſi ex graviſſima cauſa a Sede Apoſtolica probanda, hujuſmodi facultates concedi poſſint.

33. Nulli impoſterum ad habitum, aut profeſſionem admittantur, niſi in Conventibus per Sedem Apoſtolicam in qualibet Provincia deputandis.

34. Curent Superiores, ut Conſtitutio interdicens largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter obſervetur.

35. Ut omnis Officiorum ambitus occaſio præcludatur, caveant omnes a directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſeipſis, quam pro aliis, tum in Capitulis Locorum, tum in cæteris præſertim generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicumque ſecus fecerint, præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam privationis Officiorum quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, ſuper quo cum eis diſpenſari a nemine poſſit, niſi a Nobis, vel Succeſſoribus noſtris, & pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro ſupradictas omnes pœnas ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non revelantes extendimus.

36. In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præſcripta a Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Conſtitutionibus inviolabiliter ſervetur; jurentque Electores ſecundum veritatem cujuſque conſcientiæ probiores, ac magis idoneos ſe electuros, ac propterea priuſquam ad electionem deveniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum. Ad officia gradus, & prælaturas illi præcipue eligantur, qui poſſint, & conſueverint regulas Ordinis, & Con-

& Conſtitutiones obſervare, præſertim, quæ pertinent ad ſervitium Chori, ac veſtitum, & victum communem.

37. Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, & periti ex Fratribus cujuslibet Provinciæ, ſaltem tres, qui admittendos ad prædicationem Verbi Dei, vel ad audiendas confeſſiones etiam ipſorum Fratrum, ac lectores publicos diligenter ſimul examinent priuſquam probentur, & ad hujuſmodi miniſteria admittantur. Horum etiam curæ ſit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores, promovendos ad quoſcumque Ordines, in quo ſervetur Decretum Congregationis interpretum ſacri Concilii Tridentini, hac de cauſa nuper editum, & promulgatum.

38. Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores ſint rationis, quam in noviſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo, ac propterea omni ſtudio invigilent, ut quæ in eorumdem Ordinum Regulis, & Conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, jejuniis, Capitulo culparum, aliiſque ſpiritualibus exercitiis prudenter, ac pie ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad unguem obſerventur, intelligantque ſuper his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia conſtruenda, & amplianda eſſe, quæ ut faciliorem exitum ſortiantur, & fructus uberiores in animis Fratrum producant, valde opportunum erit, ſi in quolibet Conventu, ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularique obſervantia.

39. Quò vero omnia ordinate peragantur, appendatur tabella in loco conſpicuo uniuſcujuſque Conventus, in qua diſtincte adnotetur quid ſingulis horis cujuſque diei quilibet Frater præſtare debeat, ut certo quoque ſigno præmonitus, majore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis Conſtitutiones his Decretis non adverſantur, inviolate cuſtodiendæ erunt.

40. Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Ut autem hæc Decreta (donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus obſervari poſſint, diſtricte præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuſcumque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorumdem Ordinum Conſtitutiones perpetuo valituras redigi; interdicta omnino eorum ſingulis facultate illas declarandi, & adverſus eas umquam diſpenſandi. Alioquin ſciant ſe in pœnam Generalatus, & Officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuæ, ad alia quoque munera ipſo facto, & ſine ulla exceptione reſpective incidiſſe.

41. Ne vero prætextu dilatæ publicationis eorum obſervatio, quoquomodo differri poſſit, aut impediri: volumus, ut poſt illorum

rum publicationem in Conventu, vel Monaſterio cujuslibet Ordinis de Urbe factam, Generalem, alioſque Ordinum Superiores, cæteroſque quoſcumque Fratres præſentes, ſtatim; reliquos vero abſentes citra Montes, unius menſis; ultra Montes, trium menſium ſpatio ita arctent, ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſent.

42. Inſuper mandamus, quod Generales in ſingulis Conventibus citra Montes, unius menſis; ultra vero Montes, trium menſium curſu, Decreta ſupradicta publicari faciant, ſub pœna privationis Generalatus, aliiſque arbitrio noſtro imponendis.

Datum Romæ apud S. Petrum die 25. menſis Junii 1599.

DEcretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permiſſum eſt, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, itaut Provincialis ipſe ex cauſa communi totius Provinciæ dumtaxat facultatem hujuſmodi facere valeat, declaravitque pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reſervatam eſſe, interdicta omnino eorum Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi.

Datum Romæ die 20. Martii 1601.

## *Decretum felicis recordationis Clementis Papæ VIII. ſuper caſuum reſervatione ab omnibus Regularium Superioribus obſervandum.*

1. SAnctiſſimus Dominus noſter, qui jam pridem accurate perpendit, ac re ipſa comperit, quod reſervatio facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes a peccatis quibuſdam gravioribus, niſi Superiores admodum prudenter, ac moderate illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedii deſperationem. Ideo, ut huic malo Sanctitas Sua opportune proſpiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout ſubditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.

2. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

3 Apoſtaſia a Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus fiat egreſſio. Nocturna, ac furtiva e Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

4. Pro-

4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Juramentum falſum in judicio Regulari, ſeu legitimo.

5. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

6. Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterii, aut Conventus. Furtum de rebus Monaſterii, ſeu Conventus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

7. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

8. Occiſio aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſque perſonæ.

9. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

10. Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura diſcuſſione, & conſenſu.

11. Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones Subditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet Subditi ſponte, ac proprio motu id ab iis petierint.

12. Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios, pro Subditorum numero majori, vel minori, iique ſint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui a non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius judicaverit.

13. Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

14. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibuſdam peccatis, etiam non reſervatis, a Confeſſariis imponendas, quæ Subditos ab hujuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

15. Atque ita per quoſcumque Regularium Superiores, quicumque illi ſint, obſervari mandavit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac cujuſvis Concilii, etiam Generalis Decretis, necnon conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore obſervatis, aut Regulis in Generalibus, ſeu Provincialibus Capitulis editis, Statutis, & Conſtitutionibus etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis, privilegiis, indultis, & conceſſionibus quorumcumque, quorum tenores hic pro expreſſis haberi

beri voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, die 26. menſis Maii, anno Domini 1593.

16. Sanctitas Sua deinceps declaravit, & declarat, ut ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicujus reſervati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, abſolvere.

*Superiores Regulares non poſſunt alicui peccato in ſupradicto Decreto Clementis VIII. non contento excommunicationem annectere, ejuſque abſolutionem ſibi reſervare. Ita declaravit Sac. Congr. anno 1617. Vide Bullar. Carmelit. tom. 2. pag. 375.*

## *Inſtitutiones ſuper receptione, & educatione Novitiorum Religioſorum in Monaſteriis, & Conventibus deſignatis, vel deſignandis Clementis ejuſdem juſſu editæ.*

1. CUM ad Regularem diſciplinam in ſingulis Religioſorum Monaſteriis propagandam, Novitiorum inſtitutio maxime utilis ſit, ac neceſſaria, & nihil ad gravem illam, ac laudatiſſimam priſcorum Patrum vivendi rationem relaxandam, majorem vim habuiſſe compertum ſit, quam vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem ſupra numerum, quem capere, atque alere Monaſteria ipſa poſſunt, vel negligentiam in probando, & examinando eorum ſpiritu, an vere eſſet ex Deo, atque ex præcipuo deſiderio illi inſerviendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque inſtituendis. Idcirco, ut hujuſmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, ut in recipiendis Novitiis, & in eorum inſtitutione, atque educatione, necnon in Magiſtri, & aliorum miniſtrorum electione, præter alia, quæ in ſacris Canonibus, ac Decretis præſertim Concilii Tridentini, Pontificiis, & cujuſcumque Ordinis, aut inſtituti Conſtitutionibus continentur, tam in alias deſignatis, quam nunc, & in poſterum ad hoc deſignandis Monaſteriis, & Conventibus, hæc quæ ſequuntur, inviolate obſervari, & exequi perpetuo curent.

2. Primum quod attinet ad Novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de uniuſcujuſque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita ante acta, ac præcipue eorum, qui ſextumdecimum ætatis ſuæ annum

annum excedent, an criminoſi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus adminiſtrationis rationi obnoxii ſint, juxta formam Conſtitutionis felicis recordationis Sixti V., & moderationum ſubſecutarum: illud etiam Superiores, ad quos ſpectabit, ſedulo perquirant, ut quibus in Monaſteriis, & Conventibus, ex Apoſtolica facultate Novitiatus fuerint inſtituti, in iis ad Religionem nullus in poſterum admittatur, qui, & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones a ſacris Canonibus, Summorumque Pontificum Conſtitutionibus præſcriptas non habeat, juxta Decretum ſuper forma recipiendi Novitios die 19. Maii 1602. editum.

3. Quiſque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur, regularia inſtituta, & ordinationes requirunt: eam vero literarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, ut minores, & ſuis temporibus majores Ordines, juxta Decreta Sacri Concilii Triden. ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimumquintum excedens ad habitum Regularem admitti poſtulaverit, & talis eruditionis expers inventus fuerit, in Converſorum tantum, quibus literarum ſcientia non eſt neceſſaria, numerum referatur: ipſi autem Converſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum, & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita noverint.

4. Demum Superiores diligenter exquirant, quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate id Regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberius famulari poſſint; an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & ſubſidio ipſorum indigentes deſtituantur?

5. Provideant quoque, ut omnes etiam Converſi recipiendi, priuſquam ad habitum Regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de Regula, quam profeſſuri ſunt, tribus votis eſſentialibus, ſtatuque Regulari, & aliis cujuſque Ordinis peculiaribus inſtitutis, & Conſtitutionibus diligenter inſtruantur. Et quia quarumdam Religionum moris eſt nedum Converſos ad profeſſionem admittendos, verum & oblatos, ut vocant, recipere: circa ipſorum oblatorum receptionem unaquæque Religio ſuas peculiares Conſtitutiones, ſpecialiaque inſtituta obſervare teneatur.

6. Statim atque Novitii ad habitum recepti, & in locum Novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confeſſionem totius anteactæ vitæ conſcientiam diſcutiant, & expurgent.

7. Quod vero ad loci qualitatem uniuſcujuſque Novitiatus ſpectat, locus hujuſmodi propria clauſura ab ea parte Conventus, & Monaſterii, in qua degunt profeſſi ſegregatus ſit, atque diſtinctus, habeat-

habeatque tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero Novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro ſingulis ſinguli lectuli commode ſterni poſſint, in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magiſtro, ejuſque ſocio reperiatur.

8. In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeu conferentias faciendas, ac lectiones, inſtructioneſque Magiſtri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi recipiant.

9. Oratorium inſuper, ſeu Cappella, ſi commode fieri poterit, ad Novitios in ſpiritualibus, præſertim in cæremoniis, Eccleſiaſticiſque functionibus exercendos.

10. Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem bene concluſus, atque munitus adſit; ſin minus, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipſis vero Novitiis ibi commorantibus, curabit Magiſter cum loci Superioris auctoritate (ſi opus fuerit) ne in eumdem quiſquam alius ingrediatur.

11. Ad hujuſmodi locum Novitiatus nemini ejuſdem, vel alterius Ordinis Regulari etiam Conventus, & Monaſterii Officiali, ullo unquam tempore ſub quovis prætextu aditus pateat, præterquam Magiſtro, ejus ſocio, ac etiam Monaſterii, aut Conventus Superiori, ſi quandocumque ingrediendum ſibi neceſſario exiſtimaverit, quo tamen caſu aliquem ſemper ex Senioribus Conventus, vel Monaſterii Patribus ſocium aſſumat.

12. Hujus loci clauſuræ clavis apud Magiſtrum ſemper aſſervetur, illique ſoli liceat ex gravi tantum cauſa ingreſſum illuc alicui permittere: ſi quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur.

13. Novitiorum Magiſtro Socius, ſi per Novitiorum inſtruendorum multitudinem neceſſarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) conſimilis deputetur, qui in his, quæ ad Novitiatus regimen ſpectant, dicto Magiſtro immediate ſubjectus exiſtat, eliganturque tam Magiſter, quam Socius per Provinciale Capitulum, per triennium adminus onus hujuſmodi ſubituri. Quod ſi aliquo caſu extra tempus capitulare nova loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magiſtri Novitiorum, & Socii hujuſmodi in his novis locis per Generalem, vel Provincialem, ſeu Miniſtrum, aut eorum Viſitatores, ſeu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum conſenſu fieri permittatur: idemque ſervetur, ſi intra triennium, alterum vel utrumque, urgenti aliqua de cauſa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cujus, vel quorum locum alii conſimiles ſubrogari debeant.

14. Tam Novitiorum Magiſter, quam ſocius ab iis omnibus officiis, oneribuſque vacationem habeant, quæ Novitiorum curam, & re-

& regimen impedire valeant. Ipſe Magiſter Sacerdotali Ordine ſit initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & per decennium a profeſſione emiſſa in Religione perſtiterit: ſocius vero trigeſimum annum excedat, ſintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non ſine affabilitate graves, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, iræ præſertim, & indignationis, quæ in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueverunt, quam longiſſime alieni, & tales demum, qui in omnibus ſeipſos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam poſſint.

15. Habeat etiam Magiſter plenam, & abſolutam poteſtatem circa Novitiorum inſtitutionem, ac Novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (Viſitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus, exceptis) quovis colore ſe ingerere liceat.

16. Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in Regulari diſciplina ſedulo exerceantur, agnoſcantque præcipue divinæ, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam, & excellentiam, quæ vera ſit atque perfecta votorum ſolemnium, & quam neceſſaria cujuſque Ordinis Conſtitutionum obſervantia, modum in oratione tum vocali, tum mentali fructuoſe perſiſtendi, illicitas paſſiones, & vitia (ad quæ natura per pecatum labefactata omni tempore prona eſt, atque proclivis) per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi, auſteritatem, jejunia, cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, Sacramentorum frequentiam, confeſſionis præſertim, quæ bis ſaltem ſingulis menſibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifeſtationem, per exercitium humilitatis circa viliora miniſteria, per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumque ſilentium.

17. Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat unuſquiſque ſecundum propriam capacitatem, & ordinem ſibi a Magiſtro præſcriptum, ac pluries in die propriam conſcientiam unuſquiſque examinare contendat. Ipſi autem Magiſtro ſoli Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam Locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per ſe ipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel aut bis in anno eorumdem Novitiorum confeſſiones audire.

18. Quotidie Miſſæ Sacrificio interſint, & ſtatutis horis in Choro, nocturnis, diurniſque Divinis Officiis aſſiſtant.

19. Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcri-

ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponant, quæ in ſolitario loco, & commodo extra Novitiatum ſemel in hebdomada, vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiatque ſemper Magiſtro præſente, vel Socio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti, atque eo tempore, cujuſque in quam natura feratur, propenſionem ſcrutentur.

20. Non licet eis durante Novitiatus, & probationis tempore, una cum Profeſſis, niſi in Choro, in Eccleſia tempore Officiorum, in proceſſionibus, aut in Cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari.

21. Pro communibus, & propriis cujuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt, unus ex Novitiis ipſis, ætate, moribuſque provectior deputetur, qui abſente Socio, Magiſtro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat; cui etiam januæ cuſtodia, & rerum levioris momenti proviſio intra Novitiatum committi poterit.

22. Cum autem, licet Clericorum bene inſtruendorum cura debeat eſſe præcipua, Converſorum tamen Religioſa inſtructio non ſit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem ſatis exploratum eſt iſtorum etiam, cum Regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tum Religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Chriſtifidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre. Converſis ipſis a Clericorum Novitiatu ſeparatus ad dormiendum locus (quantum commode fieri poterit) aſſignari præcipitur. Illi tamen hac ſeparatione non obſtante, Magiſtro Novitiorum, ſeu Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum juxta cujuſque Ordinis Statuta, & Conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, a quo non tantum circa corporalia obſequia probandi, & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi, diligenter inſtruendi erunt: quod ut commodius fiat, & ad Capitula, ſpirituales Conciones, quæ per Magiſtros Novitiis fieri ſolent, accerſiri debeant, & in Eccleſiis ſtatutis horis conveniant, niſi tunc in ſuis officiis actualiter occupati fuerint.

23. Tempore vero probationis elapſo, ii tantum, qui non ſolum Religioſæ perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti, novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis ſuæ annum, quoad Clericos decimum ſextum, quo vero ad Converſos, vigeſimum primum exceſſerint) ad Profeſſionem admittantur. Sed qui ad Converſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſint.

24. Superior cujuslibet Conventus, in quo Novitiatus fuerit conſti-

conſtitutus, particularem librum habeat, in quo uniuſcujuſque Novitii profeſſio regiſtretur, illamque Novitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant.

25. Converſus vero literarum ignarus, profeſſus in eorundem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, præſentia, propria manu ſignum Crucis apponat, aſſerveturque liber, & cuſtodiatur in Archivio, ubi ſcripturæ ad Monaſterium, ſeu Conventum pertinentes reponi conſueverunt.

26. Quia vero in quibuſdam Ordinibus filiationis uſus eſt receptus, declaratur, quod licet decretum ſit, ut Novitiis educandis certa Monaſteria, aut Conventus deſignata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen ſit Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum hujuſmodi Ordinum, in quibus filiationis uſus receptus eſt, eos, quos prænarratis qualitatibus ſuffultos repererint, in ſuorum locorum filios juxta cujuſque Ordinis Conſtitutiones adſcribere; ſicque adſcriptos, cum juxta præſentes Inſtitutiones, & alias ſervatis ſervandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad Loca Novitiatuum cum teſtimonialibus literis tranſmittere, ubi tamquam dictorum Conventuum, ſeu Monaſteriorum filii, eorumdem nomine, & inſtantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monaſteria, ſeu Conventus filiationis hujuſmodi remittantur, in profeſſorio ad perfectionem, ut præmiſſum eſt, exerceri debebunt.

27. Porro ne Loca unius Monaſterii, ſeu Conventus ab alio præoccupentur, Capituli Generalis, aut Provincialis partes erunt, numerum præſcribere pro omnibus, & eam ſimiliter rationem circa alimentorum contributionem (ſi opus fuerit) inire, ac ſingulis Conventibus, & Monaſteriis præſcribere, quæ magis expedire videbitur.

28. Ut autem Novitii jam in profeſſorum numerum (ſicut præmittitur) recepti, melius in bono ſpiritu, Regulariſque diſciplinæ obſervantia ſtabiliantur, & confirmentur, mandatur, ut ſtatim poſt profeſſionem emiſſam, ſi in Conventibus, aut Monaſteriis pro Novitiatibus aſſignatis locus aderit ſecundi Novitiatus, ſive Profeſſorii, ab ea quæ Novitiorum eſt, atque antiquorum Profeſſorum habitatione diſtinctus, & ſegregatus, ibi collocentur, ſi Monaſterium, aut Conventus eos alere queat; ſin minus, in alium commodiorem Conventum, aut Monaſterium transferantur, in quo is locus cum requiſitis ad Novitiatum ſupranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo conſtruatur.

29. Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ ſuarum Conſtitutionum, ſeu Inſtitutorum vigore majoris temporis curſu novos Profeſſos intra Novitiatum detinere conſueſcunt, quibus in hac parte non derogatur; illis tamen permittitur, ut, prædictis earum Conſtitutionibus non obſtantibus, idipſum facere poſſint,

poſſint, ſi id rationi, ac Religioni magis expedire dijudicaverint, quibus in locis degant ſub Regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quam ſervent antiquiores Profeſſi, ita quod in negotiis Monaſteriorum, aut Conventuum non ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neque alicujus exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quouſque ad ætatem Sacris Ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem devenerint, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem, quo etiam tempore poterunt, quinimmo, & debebunt literarum ſtudiis operam navare ſub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magiſtrum præditum eſſe oportere, dictum eſt.

30. Declaratur tamen, quod propter præmiſſa non cenſeatur conceſſa licentia recipiendi Novitios, niſi in locis pro Novitiatu deſignatis, aut impoſterum deſignandis, & pro numero dumtaxat in eorum ſingulis præſcripto, vel præſcribendo.

31. Denique ſi illi, qui inter Religioſos gradu, & ordine Superiores ſunt, & alii, ad quos ſpectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, ſeu quovis modo contrafecerint, Officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, privationem, gravioreſque pro modo admiſſæ culpæ pœnas ſe ſubituros certo ſciant.

Datum Romæ apud S. Petrum die 19. Martii 1603.

F I N I S.

*Ad laudem DEI, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmeli, noſtræ Sacræ Religionis Patronæ.*

# APPENDIX AD CONSTITUTIONES.

# DECRETA

## COMITIORUM GENERALIUM

ORDINIS FRATRUM

BEATISSIMÆ DEI GENITRICIS SEMPERQUE VIRGINIS

MARIÆ DE MONTE CARMELO

*Ab anno 1625. uſque ad annum 1762. celebratorum,*

JUSSU NOVISSIMI CAPITULI GENERALIS

*COLLECTA, ET TYPIS MANDATA.*



ROMÆ MDCCLXVI.

EX TYPOGRAPHIA HERMATHENÆA

*SUPERIORUM FACULTATE.*

# FR. MARIANUS
## VENTIMIGLIA

*Sacræ Theologiæ Magiſter, & Doctor, humilis Prior Generalis, nec non Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus totius Ordinis Fratrum Beatiſſimæ, ſemperque Virginis DEI Genitricis MARIÆ de Monte Carmelo Antiquæ Obſervantiæ Regularis.*

Dilectis nobis in Chriſto RR. Adm. PP. Prioribus, Provincialibus, & Conventualibus, cæteriſque Patribus, & Fratribus noſtræ Curæ ſubjectis Salutem in Domino.

*QUæcumque tandem, humanis potiſſimum, legibus ante earumdem promulgationem inſit virtus atque poteſtas (de quo diſſerere hujus loci non eſt); illæ equidem, quæ more Majorum ad utilitatem & commodum Religioſi cujuſpiam Ordinis univerſi, a Generalibus ejuſdem Comitiis proponuntur ſervandæ, jam tum requiſitam omnem ab jure & a conſuetudine præſeferunt ſolemnitatem: nec quod iterum unicuique ſubditorum in ſingulari intimentur, neceſſe eſt. Verum etſi iſtiuſmodi ſanctionum firmitas jam inde ſtet, ex quo videlicet conditæ fuerint; facilius illæ tamen & promptius revocantur ad uſum; ſi quibuslibet in promptu ſint, & inquirentibus obviæ: hinc in pluribus quoque Capitulis Generalibus cautum eſt, ut collectio fieret iſtorum omnium Decretorum poſt noviſſimas Conſtitutiones Ordinis conditorum, & publici illa eſſet juris, ut nempe Typis impreſſa Religioſorum omnium perveniret ad manus. Præſtitum hoc eſt tum anno MDCXCVIII., tum MDCCXXII.: renovatum itidem MDCCL., atque iterum MDCCLVI.; donec noviſ-*

*ſime*

*ſime in Generalibus Comitiis Venetiis habitis MDCCLXII. hæc noſtræ ſolicitudini provincia demandata eſt, ut adhibito ſcilicet Conſilio Ordinis fieret ejuſmodi, tandiu expetita, tandiu dilata, evulgatio Decretorum. Rem itaque abſolvimus omnem; & conſilium & operam impendentibus Adm. RR. PP. MM. Procuratore Generali Ordinis, Sociis quoque reliquis & Generalibus A Secretis, omiſimus leviores, infrequentiores, & obſoletas Deciſiones, præcipue inter ſe pugnantes, & quæ magis utilia, ac neceſſaria viſa ſunt, ſelegimus Decreta; utque ſingula facili ordine exhiberemus illud effecimus; quod hæc ipſa eadem, ad Capita revocata, ſingulis Conſtitutionum noſtrarum Capitibus reſponderent: ſed & in nova Conſtitutionum earumdem editione quibuſcumque tandem in locis facienda foret Decretorum (quæ in Appendicem collecta dedimus ad finem) additio & animadverſio, commodiſſime in margine deſignavimus. Hanc noſtri muneris diligentiam eſſe perſpeximus: Veſtrum jam erit, quotquot noſtro Ordini datis nomen Patres & Fratres Dilectiſſimi in Domino, quæcumque in his decernuntur, ubi locus advenerit, adimplere: ſunt enim hæc* nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate conſcripta. *Iſidor. Hiſpal. Orig. lib. v. cap. 21. Valete.*

*Datum Romæ in Conventu S. Mariæ Tranſpontinæ, Kalendis Maji, anno MDCCLXVI.*

Fr. Marianus Ventimiglia Generalis Carmelitarum.

DE-

# DECRETA.

## §. I.

### *De Receptione Locorum.*

1. OMNES Conventus, quamvis paucorum Religioſorum, ſubditi ſint Clauſuræ formali, ſub pœna depoſitionis ab Officio Provincialibus, & Prioribus contrarium permittentibus. *Capitulum generale anni* 1692.

2. Pater Generalis pro tempore nedum in Carmelo Majori Neapolis, ſed & in omnibus Conventibus Religionis ſic provideat impoſterum, ut detur optio Cellularum, ſeu Cubiculorum, ratione profeſſionis, & gradus. *Cap. gen.* 1731.

## §. II.

### *De Officio Divino.*

3. Declaratur, debere fieri Officium cum Octava de Dedicatione Eccleſiarum noſtrarum particularium; nec propterea omittendam eſſe celebritatem Dedicationis Eccleſiarum Ordinis, quæ fit ultima die Auguſti. *Cap. gen.* 1645.

4. Provinciales injungant Converſis obligationem, quam habent ex Regula ad dicendas horas per Orationes *Pater noſter*, & *Ave Maria*; & quod nullo modo faciant ſatis Regulæ, & ſuæ obligationi, ſi Officium Beatæ Mariæ Virginis, aut aliquod aliud recitent. *Cap. gen.* 1645.

5. Ad implorandum Auxilium Divinum in Ordinis noſtri neceſſitatibus, ordinatur, ut in Conventibus tam Fratrum, quam Monialium Ordinis noſtri, poſt Veſperas, vel Completorium, legatur in Choro Antiphona *Ave ſtella matutina &c.* cum Verſ. *Ora pro nobis &c.*, & Collectis *Defende quæſumus &c.*, & *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Montis Carmeli &c.*, & ut illi, qui Choro non interfuerint, illa etiam privatim recitent. *Cap. gen.* 1680.

6. Cantetur ſemper Martyrologium in Prima, etiam quando illa non cantatur. *Cap. gen.* 1680.

7. Quando Dominica tertia poſt Paſcha impedita eſt per Feſtum dupl. maj., vel min. 1. claſſ. Officium de Patrocinio S. Joſeph transferri debet ad alium diem juxta Rubricas generales Breviarii. *Cap. gen.* 1686.

8. Die 15. Novembris fiat Commemoratio omnium Fratrum, & Monialium Defunctorum Ordinis noſtri ; & omnes Sacerdotes Miſſam dicant pro Fratribus, & Sororibus noſtris defunctis ; Clerici vero, & Converſi, necnon Moniales ſacram ſumant Euchariſtiam. *Cap. gen.* 1680.

9. Singulis Sacerdotibus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur, ut ſtatim ac ipſis indicatum fuerit, obiiſſe unum ex Fratribus ſuæ Provinciæ, celebrent Miſſam (ad quam ex juſtitia eos teneri, declaratur) & pro illo fructum ſpecialem, ſeu medium applicent, nec illum, aut illius partem ulli alteri ob quamcumque rationem applicare valeant. *Cap. gen.* 1680.

10. Nedum pro illis, qui munere Procuratoris Generalis functi ſunt, in toto Ordine fieri debent ſuffragia, quando e vivis deceſſerint ; ſed etiam pro Aſſiſtentibus Generalibus in omnibus Conventibus propriæ reſpectivæ Nationis. *Cap. gen.* 1716.

11. Feſtum noſtri Protoparentis Eliæ celebretur omni majori pompa, & ſolemnitate, juxta cujuſcumque Conventus vires; ejuſque Miſſa a Superiori Locali, Provinciali, & Generali in tota Religione decantetur. *Cap. gen.* 1722.

12. Sanctus Joſeph eligitur in Protectorem Primarium totius Ordinis. *Cap. gen.* 1680.

Sanctus Archangelus Gabriel eligitur in Protectorem ſecundarium noſtræ Sacræ Religionis. *Cap. gen.* 1756.

In Patronos item electi ſunt Sancti Joachim, & Anna Beatæ Mariæ Virginis Protoparentes. *Cap. gen.* 1666.

13. Quando Cœremoniæ Miſſalis, & Cœremonialis Ordinis non conveniunt, vel ſibi contradicunt, tunc adhærendum eſt Cœremoniali, non Miſſali, excepta Præfatione Quadrageſimæ. *Cap. gen.* 1686.

14. In omnibus Conventibus fiat diſciplina in Quadrageſima, & Adventu ter in hebdomada, ſcilicet Feria 2. 4. & 6., in Hebdomada vero Sancta, Feria 3. 4. 5. & 6. Item bis in die fiat Oratio Mentalis, mane ſcilicet, ac veſpere. Et in qualibet hebdomada fiat Capitulum culparum. *Cap. gen.* 1692.

15. In qualibet Sacriſtia habeatur Capſula, in qua ponantur eleemoſynæ Miſſarum, & in fine menſis ſolum extrahantur illæ eleemoſynæ, quarum Miſſæ fuerunt ſatisfactæ, ſub pœna privationis ab Officio ipſo facto incurrenda. *Cap. gen.* 1692.

## §. III.

### *De Jejunio.*

16. Injungitur omnibus tam Fratribus, quam Monialibus noſtris, ut Vigilia S. Patriarchæ noſtri Eliæ ſervent jejunium, ſicut in

in Vigilia Commemorationis ſolemnis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo. *Cap.gen.* 1680.

17. Feria ſexta infra Octavam Paſchatis, & in Feſto S. Marci ſi incidat intra dictam Octavam, Fratres noſtri non tenentur ad jejunium, nec ad abſtinentiam. *Cap.gen.* 1680.

## §. IV.

### *De Honeſtate extra Monaſterium ſervanda.*

18. Omnibus Sacerdotibus, Clericis, & Converſis inhibetur, ne cum palliis nigris per Urbes incedant, ſed omnes cappas albas extra Conventum deferant, ſub pœna, Sacerdotibus, & Clericis privationis vocis, & loci; Laicis vero (niſi in locis, in quibus id ipſis per Conſtitutiones permiſſum eſt) privationis utriuſque caputii ad annum; & Superioribus id permittentibus, vel pœnas non infligentibus, ſuſpenſionis ab eorum Officiis ad ſex menſes. Quod decretum ubique obſervari præcipitur, ſed maxime Romæ. *Cap.gen.* 1680.

19. Nullus ex noſtris audeat deferre coronam clericalem capillis fictitiis confectam, vulgo *Perucca* appellatam. *Cap.gen.* 1750.

20. Nulli permittatur manere in domibus Parentum, etiam prætextu, & cauſa infirmitatis ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ permittenti, & degenti. Et in articulo mortis non confiteantur extraneis Sacerdotibus, niſi de Superiorum expreſſa licentia. *Cap.gen.* 1692.

## §. V.

### *De Receptione Novitiorum.*

21. Sub pœna depoſitionis ab Officio omnibus Prælatis inhibetur, ac ipſi Patri Generali, ne umquam Nothos, Baſtardos, & quoſcumque ex illegitimo coitu procreatos, vel eos, qui alterius Ordinis habitu induti fuerint, etiamſi Profeſſionem non emiſerint, ad habitum, aut ad Profeſſionem admittant, ipſiſque ad id faciendum, omnis, quam habere poſſunt, adimitur poteſtas; ita ut iſtorum tam Probatio, quam Profeſſio, defectu conſenſus Religionis ad eorum incorporationem neceſſarii (qui ex nunc pro tunc, & in perpetuum negatur, & a quocumque concedi prohibetur) ipſo facto nulla, & irrita ſit; etiamſi ipſi Poſtulantes, vel alii diſpenſationem (*intellige in forma generali, non vero præceptiva*) a Sede Apoſtolica obtinuerint. *Cap.gen.* 1680. Confirmatum in *Cap.gen.* 1762.

22. Fratres noſtri, qui Profeſſionem in Reformatione, ſeu

ſtrictiori obſervantia, ſecundum Conſtitutiones ab Urbano VIII., & Innocentio X. confirmatas emiſerunt, non poſſunt ſine licentia Sanctæ Sedis ad Conventus antiquæ Obſervantiæ Regularis tranſire, uti dictus Urbanus VIII. ſtatuit, & declaravit per litteras in forma Brevis datas 18. *Januarii* 1636., *&* 24. *Februarii* 1644., & conſequenter inhibetur, ne ullus ejuſmodi profeſſorum a Conventibus Reformatis recedat, & quibuſcumque Superioribus obſervantiæ Regularis, ne illos recipiant, ſub pœna ipſo facto incurrenda tam ab ipſo recedente, quam a quibuſcumque Superioribus recipientibus, aut morari permittentibus, privationis vocis, & loci, & Officii, ac inhabilitatis ad quodcumque per ſex annos, & inſuper carceris ad annum ipſi recedenti indiſpenſabiliter infligenda; ſi autem ſit Converſus, privationis utriuſque caputii ad tres annos poſtquam dimiſſus fuerit extra carcerem. *Cap.gen.* 1680.

23. Impoſterum nullus Filius alicujus Provinciæ, vel Conventus, alteri Provinciæ, vel Conventui affiliari poterit abſque expreſſo conſenſu utriuſque Provinciæ, vel Conventus, capitulariter præſtito, & licentia Reverendiſſimi Patris; alias affiliatio ipſo facto erit irrita, & nulla. *Cap. gen.* 1680.

## §. VI.

### *De Laicis.*

24. Poterunt deinceps Adoleſcentes poſtulantes habitum Fratrum Laicorum indui pleno habitu, ſi ita Provincialibus videbitur expedire, cum quo neceſſario manere debebunt in aliquo Conventu extra Novitiatum tribus ad minus annis, vel etiam pluribus juxta decreta, & laudabilem conſuetudinem aliquarum Provinciarum, quibus expletis, ſi laudabiliter, & religioſe ſe geſſerint, ad Conventum Novitiatus mittentur probandi; & anno evoluto admittentur ad Profeſſionem, ſi idonei reperiantur. Poterit tamen Reverendiſſimus Pater, ob urgentem, & juſtam rationem illos tres annos abbreviare. *Cap.gen.* 1680.

25. Sub pœna depoſitionis ab officio omnibus Prælatis inhibetur, ac ipſi Patri Generali, ne umquam conſentiant, ipſiſque aditur facultas conſentiendi, ut aliquis Fratrum noſtrorum Converſorum, ob quamcumque rationem, tranſeat ad Ordinem Clericalem, etiamſi ad id litteras diſpenſationis (*intellige in forma generali*) a S.Sede impetraverit. Si quis autem dictorum Fratrum ad Sacros Ordines ſe promoveri fecerit, per annum irremiſibiliter incarceretur, a caracteris Clericalis, ſacrorumque Ordinum executione ſuſpenſus, & caputii uſu privatus perpetuo maneat, ultimus omnium ubique incedat, & ſedeat, abjectioribuſque Cœnobii miniſteriis deputetur. Et ſi aliquis Superiorum quemquam illorum ini-

initiari conſenſerit, eo ipſo officium indiſpenſabiliter amittet, & ad quælibet inhabilis manebit in perpetuum; quas pœnas P. Generalis remittere non poterit. *Cap. gen.* 1680.

## §. VII.

### *De Studiis, Studentibus, & Lectoribus.*

26. Ne Studentes unius, vel duorum annorum ſpatium perdere, vel per ſaltum ſtudere cogantur, curabit Reverendiſſimus Pater, quantum comode fieri poterit, ut Regentes, in ſtudiis ſaltem Italiæ, conveniant, ita ut omnes eodem anno eoſdem explicent Philoſophiæ Tractatus, eandem Theologiæ materiam tractent; & præterea, ut in incœptis Lecturis ſint uſque ad finem permanentes; ne varietas Regentium, & Lecturæ diverſitas Studentium confundat ingenium. *Cap. gen.* 1625.

27. Studentibus in ſtudiis manentibus, & cum profectu, ſemper a propriis Conventibus veſtiarium tradatur; non obſtante, quod in Conſtitutionibus aliter ſtatutum ſit. *Cap. gen.* 1645.

28. Provincialibus nunc, & pro tempore exiſtentibus jubetur, ut quotieſcumque aliquem Clericum ignorantem reperient, illi unum, vel duos annos ad ſtudendum aſſignent, quibus expletis, ſi in examine tunc faciendo capax non reperiatur, illi abradatur corona, & ad miniſterium Fratrum Converſorum deputetur. *Cap. gen.* 1680.

29. Studentes ſolo tempore vacationum non habeant petere veniam a Regentibus egrediendi a Conventu; alio autem tempore ſemper teneantur veniam petere. *Cap. gen.* 1686.

30. Studentes inſigniti gradu Baccalaureatus in Italia non ſint exempti a tabula communi, niſi ſint actu legentes, vel prædicantes in Quadrageſima, & infra annum. Similiter dicti Baccalaurei poſt biennium Baccalaureatus intelliguntur licentiati a ſtudio, ne occupent aliorum locum; & ipſi non ſolvatur veſtiarium ſtudentibus debitum. Item Baccalaurei, qui completo biennio Baccalaureatus, ſunt conſtituti in legitima ætate pro magiſterio ſuſcipiendo, ſi poſt biennium ad examen vocati non comparuerint, tamquam inhabiles ad Lauream perpetim habendi ſunt. *Cap. gen.* 1692., & 1722.

31. Si quis repulſam paſſus fuerit, is ante duos annos expletos a die repulſæ numerandos, ad aliud examen nulla ratione admitti poterit; nec ſuper hoc diſpenſare poterit Pater Generalis. *Cap. gen.* 1680.

32. Ordinis noſtri Lectores, ſive Regentes Theologiæ ſerio curent illas tradere doctrinas, quæ Sacræ Scripturæ, Sanctis Patribus, & Eccleſiæ Conciliis magis erunt conſentaneæ, abſtineantque

que ab omni ſpecie pernicioſæ novitatis. Inſuper iidem Lectores tradant partem illam Theologiæ, quæ vulgo Poſitiva, ſive Dogmatica nuncupatur; idque diſtrictiſſime præcipitur omnibus ſingularum Ordinis Provinciarum Profeſſoribus. Præterea præter Theologiam Scholaſticam frequenter etiam de Sacra Scriptura habeant lectiones, ne præcipuus Patris Cœleſtis Theſaurus Filiis, & Hæredibus maneat incognitus. *Cap. gen.* 1704.

33. Monentur ſerio Regentes, & Juniores noſtri, ut juxta antiquiores Conſtitutiones ordinatas per Reverendiſſimum Joannem Soreth anno 1466., & alias deinceps factas Ordinis Conſtitutiones diligenter ſtudeant Doctorum noſtri Ordinis determinationes ſuſtinere, ſententias ſequi, & allegare, præſertim Joannis Baconii, Doctoris Reſoluti nuncupati. *Cap. gen.* 1704.

34. Regentibus, qui actu legunt, aſſignetur Converſus, qui ipſis inſerviat. *Cap. gen.* 1654.

35. Regenti Conventus Tranſpontinæ conceditur, ut futuris temporibus examini pariter Theologiæ reſpectu Graduandorum uno cum voto aſſiſtere poſſit. *Cap. gen.* 1744.

36. Regentes in Provinciis Italiæ non legant ultra duodecim annos, ut ita aliis pariter locus legendi pateat. *Cap gen.* 1744.

37. Laurea Doctoralis in Italia, & Inſulis adjacentibus nulli conferatur niſi prius ſit Magiſter de curſu, & de licentia in ſcriptis Generalis, ſub pœna nullitatis; & ſi quis alius non Magiſter, vel ſine tali licentia, illa ſe inſigniri permiſerit, ſtatim omni gradu, & dignitate perpetuo careat. Et ſi privilegiis dictæ Laureæ, ſic illicite, & invalide obtentæ, quocumque quæſito colore pro aliquo actu, ſive in Religione, ſive extra uti auſus fuerit, pœna excommunicationis majoris ipſo facto incurrenda ſciat ſe eſſe innodatum; juxta Conſtitutiones Ordinis. part. 1. cap. 17. num. 5. *Cap. gen.* 1680.

38. Præcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis (ultra alias pœnas in Conſtitutionibus taxatas) omnibus, & ſingulis noſtri Ordinis Fratribus, ne librum aliquem, nec quidquam aliud expreſſo, vel ſuppreſſo nomine proprio, aut alio fictitio appoſito, imprimi procurent, ſine facultate expreſſa in ſcriptis P. Generalis impetrata, & non concedenda, niſi viſo prius teſtimonio duorum Theologorum noſtri Ordinis, qui illum reviderint, & probaverint. Si vero liber ipſe, vel folium aliquid contineat ad Ordinis Hiſtoriam, privilegia, vel indulgentias pertinens, nullo modo ullibi locorum imprimatur, vel imprimi permittatur, vel ab aſſignatis Theologis pro illius cenſura approbetur ſub iiſdem pœnis, tam Authori, quam Cenſoribus infligendis; ſed antequam imprimatur, mittatur Romam ad manus Reverendiſſimi Patris, vel per ſe, vel per Examinatores in Urbe ab ipſo deſtinandos diſcutiendum, ne quid contra Hiſtoriæ veritatem publicetur. *Cap. gen.* 1680.

39. Or-

39. Ordinatur, ut omnes, & ſinguli noſtri Fratres ſemper in quibuſcumque ſcriptis, & impreſſis, loco vocabuli *Carmelitæ* apponant, vel apponi curent titulum *Fratris*, aut *Fratrum Ordinis Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo*: & ſi qui id negligant, acriter corrigantur, & pro modo negligentiæ caſtigentur. *Cap. gen.* 1680.

40. Ordinatur item omnibus Provincialibus, ut duo exemplaria librorum deinde a ſuis ſubditis edendorum tranſmitti curent ad Conventum S. Mariæ Tranſpontinæ de Urbe pro illius Bibliotheca. *Cap. gen.* 1680.

41. In qualibet Provincia aſſignetur unus, vel duo Religioſi, qui curam habeant ſcribendi, & notandi res notabiles ad Hiſtoriam noſtri Ordinis ſpectantes. *Cap. gen.* 1645.

42. Deputetur inſuper Hiſtoriographus Ordinis in Urbe, ad cujus ſuſtentationem omnes Provinciæ concurrant. *Cap. gen.* 1666.

43. Non promoveantur noſtri ad Cathedras, niſi de licentia Reverendiſſimi Patris, vel quin ſaltem moneatur de illarum Cathedrarum adeptione. *Cap. gen.* 1704.

## §. VIII.

### *De Prærogativis Graduatorum.*

44. Ad eliminandam confuſionem, quæ paſſim oritur ex titulis, qui indebite a nonnullis in Ordine noſtro Fratribus adſcribuntur, declaratur, quod ſolus Generalis, & Ex-generales, titulo *Reverendiſſimi*; Procurator Generalis, Ex-procuratores Generales, Provinciales, Ex-provinciales, & Concionatores Regii *Admodum Reverendi*; Priores, & Magiſtri *Reverendi*; Sacerdotes *Patris*; & cæteri *Fratris*, colloquendo, & ſcribendo, compellabuntur. *Cap. gen.* 1680.

45. Præcedentia in omnibus actibus tam publicis, quam privatis, tam intra, quam extra Religionem in omni loco, & caſu ſemper incipiat a Priore Generali, tamquam a ſupremo Capite Religionis. II. Poſt Priorem Generalem ſubſequantur Ex-generales. III. Procurator Generalis in Romana Curia, tamquam ſolus totius Ordinis Procurator Generalis. IV. Provinciales reales. V. Provinciales titulares, & qui eorum Privilegiis gaudent; qui tam inter ſe, quam inter Provinciales reales extra eorum Provinciam locum ſui gradus, vel profeſſionis, ſi graduati non fuerint, reſpective ſervabunt. VI. Socii Generales, & Secretarii Ordinis gaudeant privilegiis Provincialium titularium; dum autem comitantur Priorem Generalem in actuali viſitatione alicujus Conventus, vel Provinciæ, præcedant omnes Priores tam Locales, quam Provinciales. VII. Priores Locales, qui in ſuis tantum Conventibus

bus omnes Graduatos, & etiam Provinciales tam titulares, quam reales aliarum Provinciarum (qui in illos nullam habent juriſdictionem) præcedant; in aliis vero locis ſuæ juriſdictioni non ſubditis, ut in cubiculo pro ſolita habitatione, & reſidentia Reverendiſſimi Patris, locum ſui gradus, vel ſi Graduati non fuerint, ſuæ profeſſionis, ſervabunt. VIII. Magiſtrl de curſu cæteros præcedant; inter ſe autem teneant locum ſui gradus, vel profeſſionis.

IX. Baccalaurei, & Lectores teneant locum ſibi a Conſtitutionibus conceſſum. X. Sacerdotes ſimplices præcedant Diaconos; Diaconi Subdiaconos; Subdiaconi alios Clericos; Clerici autem, etiam Novitii, Laicos profeſſos; inter ſe autem ille præcedat, qui prius fuerit profeſſus. Inter Novitios autem, & Semifratres incipiat præcedentia ab ingreſſu Religionis; & ſi plures ſimul admiſſi fuerint, qui primo habitu indutus fuerit, alios præcedet. XI. Curſores ſciant, ſe non eſſe graduatos, ſed in omnibus Actibus extra ſcholam teneant locum ſuæ profeſſionis. In Provinciis autem Reformatis, quæ gradus, & privilegia non admittunt, eorum Conſtitutiones, & Conſuetudines obſerventur. *Cap. gen.* 1680.

46. Subpriores ii maxime, qui fuerunt a Reverendiſſimo Patre, vel Definitorio inſtituti, aut *electi* a Communitatibus, ubique præcedant Baccalaureos, modo tamen integros decem Profeſſionis annos iidem Subpriores compleverint. *Cap. gen.* 1704

47. Lectores in Romana Sapientia habeant vocem in Capitulis generalibus, & locum poſt Provinciales, & Priores; extra illa vero inter Provinciales titulares ſecundum tempus ſui Magiſterii. *Cap. gen.* 1660.

48. Inter Socios Generales hæc ſervari debet præcedentia juxta antiquitatem Provinciarum, a quibus ipſi denominantur, quarum ſeries deſcribitur in Conſtitutionibus Ordinis *par.* 1. *cap.* 2. *n.* 1., ut primus ſit Socius Italiæ; ſecundus Galliæ; tertius Germaniæ; quartus Hiſpaniæ, & quintus Luſitaniæ. Sic declaratum fuit per Reſcriptum Benedicti XIII. die 7. Octobris 1728. *Cap. gen.* 1738.

49. Quia Præcedentia conceſſa per Reſcriptum Benedicti XIII. Sociis Generalibus inter ſe, inutilis, & impracticabilis eſſet ſine præeminentia in Religione poſt Procuratorem Generalem; ideo hæc ſervanda pariter conceditur. *Cap. gen.* 1738. Dempto Priore Tranſpontinæ, qui in locis dumtaxat materialibus Chori, & Refectorii dictos Socios præcedat. *Cap. gen.* 1704.

50. Ex Socii, & Secretarii generales gaudent privilegiis Ex-Provincialium in ſuis Provinciis, ubi ſunt in uſu, dummodo per integrum ſaltem triennium Officium ſuum in Curia exercuerint, quemadmodum ſecundum Breve Benedicti XIII. (*ſub die* 5. *Apr.* 1728. *quod incipit: Paſtoralis Officii*) minus quam ad triennium Socii Generales inſtitui non poſſunt. *Cap. gen.* 1738.

51. Ex-

51. Ex-Provinciales Titulares non amplius gaudere debere Privilegiis Ex-Provincialium realium, ſtatuitur. *Cap. gen.* 1704.

52. Quando inſtituitur Commiſſarius Generalis a Reverendiſſimo Patre pro aliqua cauſa particulari, non habet præcedentiam ullam ſupra Provincialem. Commiſſarius vero inſtitutus pro univerſitate cauſarum præcedentiam habet ſupra Provincialem. *Cap. gen.* 1654.

53. Illi, qui poſt Magiſterium per duodecim annos in generalibus Collegiis laudabiliter Lecturam exercuerint, loco, & voto deciſivo in Capitulis dumtaxat Provincialibus tamquam Definitores potiantur. *Cap. gen.* 1722.

54. Omnes diſpoſitiones, quæ non reperiuntur in Regeſto adnotatæ, in futurum tamquam invalidas, & nullas debere haberi, decernitur. *Cap. gen.* 1722.

## §. IX.

### *De Priore Generali.*

55. Monetur Reverendiſſimus Pater, ne concedat Fratribus Litteras obedientiales extra eorum Provincias, inconſultis Provincialibus. *Cap. gen.* 1645.

56. Nullus tranſmittat litteras ad Reverendiſſimum Patrem, vel ad ejus Familiares in foliis integris, niſi quando opus fuerit ad negotia explicanda; & tunc abſque aliquo operimento. *Cap. gen.* 1648.

57. Inhibetur in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne ullus P. Generalis præceptis contrarietur, aut quaslibet litteras, ordinationes, vel promiſſiones illius retinere, occultare, aut ne ſuum quantociùs conſequantur effectum, ubicumque, quovis modo, & quavis occaſione impedire audeat directe, vel indirecte ſub pœna excommunicationis, & depoſitionis ab officio, ac perpetuæ inhabilitatis ad quodlibet, necnon privationis vocis, & loci ipſo facto. *Cap. gen.* 1680.

58. Sub iiſdem pœnis etiam inhibetur ſubreptio, aut obreptio, & fraudolenta retardatio litterarum a Superioribus ad ſuos inferiores, & inferiorum ad ſuos Superiores miſſarum, quorum nomine intelligantur etiam Aſſiſtentes eorum, Socii, Secretarii, & alii de eorum Familia. *Cap. gen.* 1680.

59. Declaratur quod Pater Generalis poteſt tranſmittere Viſitatores ad quaſcumque Provincias ubi, & quando ipſi expedire videtur; & jus ipſi competit ultimam Viſitationem cujuſque Triennii in ſingulis Provinciis per Commiſſarium (ſi ipſe nequeat) peragendi; & propterea deinceps a quolibet Provinciali de explero Triennio ſtatim monebitur, ut pro ſua prudentia decernat, an

ultima Viſitatio ipſi Provinciali, vel alicui Commiſſario ſit delegandа; necnon, quod Ordinationes, & Decreta a Commiſſariis in Viſitationibus condita ſunt perpetua, ſi a Patre Generali fuerint confirmata. *Cap. gen.* 1680.

60. Item quandoque poteſt inſtituere Compræſidem unius Capituli, præſertim ad antevertendas ſuſpiciones, & recuſationes ab una parte Gremialium forſan opponendas; & Præſidenti aſſignare Socium: qui omnes ſcilicet Præſes, Compræſes, & eorum Socius habebunt vocem in Capitulo. *Cap. gen.* 1680.

61. P. Generalis è Roma diſcedens non tenetur Commiſſarium generalem inſtituere, niſi quando ita ab Urbe diſcedit, ut ſit etiam ab Italia eg.eſſurus; & tunc relinquitur arbitrio ipſius, ut in hujuſmodi Commiſſarium generalem deputet quemcumque Religioſum maluerit, & cum facultatibus bene viſis. *Cap. gen.* 1750. Quod decretum fuit deinde confirmatum a Benedicto XIV. per Breve ſub die 9. Novembris 1753. emanatum.

62. Aſſumpto, vel mortuo P. Generali infra ſexennium, ſtatim, ſi caſus Romæ contigit, poſtquam Cadaver fuerit terræ mandatum, ſi extra, ubi primo de ejus morte pervenerit nuncium; congregentur ſimul P. Procurator Generalis, Socii Reverendiſſimi Patris, Provincialis Romæ, Priores Tranſpontinæ, & S. Martini, ſi fuerit Magiſter, Lector Sapientiæ, Regens Tranſpontinæ, & quicumque alius Provincialis Romæ exiſtens, necnon qui fuit aliquando Vicarius Generalis Ordinis, Procurator Generalis, Prior Tranſpontinæ, vel Provincialis alicujus Provinciæ, & tunc Romæ degant Conventuales; ex quibus ſi aliquis deſit, nullo modo expectetur; ſed qui tunc aderunt ſimul congregati duos nominent: alterum ex numero eligentium prædictorum, alterum ex Magiſtris gravioribus exiſtentibus extra Urbem, per hæc vota in eademque ſchedula: *Nomino pro electione Vicarii Generalis P.M.NN.* Qua priori nominatione habita, iterum ex illis duobus unus eligatur in V. Generalem per vota ſecreta; & in quem plura vota conſenſerint juxta præſcriptum Conſtitutionis de Electione Generalis, habeatur pro V. Generali, & Regimen Ordinis ſuſcipiat. Quod ſi electus in V. Generalem fuerit ex ipſorum Eligentium, qui nominatus fuerit in prima electione ex exiſtentibus extra Urbem ſuccedat in locum, quem occupabat Aſſumptus.

Vicarius autem Generalis ſic electus exercebit ſuum Officium uſque ad complementum ſexennii; & ſi in dicto Officio duraverit per Triennium careat omni voce paſſiva; ſi vero minus Triennio, beneficio vocis paſſivæ in ſequenti Capitulo perfruatur. Hæc autem integre obſerventur, caſu quo V. Generalis electus infra Sexennium deceſſerit, *Cap. gen.* 1648.

63. Vicarius Generalis Ordinis, qui quocumque modo vacante Prioratu Generali juxta ſuperius decretum *Cap. gen.* 1648. eligetur, non

non amplius V. Generalis erit, ſed ſicuti eadem, qua Pater Generalis, plenaria poteſtate potitur, ita pro eo tempore Prior Generalir erit, & ab omnibus Prior Generalis compelletur. *Cap. gen.* 1680.

## §. X.

### *De Procuratore Generali.*

64. Procurator Generalis Ordinis, ejuſque Secretarius, & Converſus ſemper fuerunt, & ſunt immediate ſubditi Reverendiſſimo P. Generali. *Cap. gen.* 1680.

65. Prohibetur, ne quis noſtrorum Fratrum negotium aliquod, vel cauſam, aut litem quamcumque in Curia Pontificia per ſe, vel alium, pro ſe, vel alio, etiam pro Provincia, vel Communitate alicujus Conventus, virtute Commiſſionis ſibi datæ a Provinciali, Priore, vel Communitate, aut quovis alio titulo, tractare, inchoare, vel defendere audeat, quam per Procuratorem Generalem Ordinis, aut de illius, vel P. Generalis expreſſa licentia in ſcriptis obtenta, ſub pœna privationis gradus, officii, & vocis, & loci, ipſo facto. *Cap. gen.* 1680.

66. Procurator Generalis eſt Aſſiſtens natus, & intelligitur comprehenſus in nuncupatione Aſſiſtentium, & Conſilii Ordinis. *Cap. gen.* 1704.

67. Illi, qui Officium Procuratoris Generalis functi ſunt in Curia Romana habeant votum conſultivum, & deciſivum in Definitorio ſuarum Provinciarum. *Cap. gen.* 1654.

68. Procuratores Generales inſtituti pro Aulis Imperatorum, & Regum, nullo modo, & quocumque prætextu poſſunt ſe ingerere in Regimine Provincialium, & Priorum Localium; imo, ut regulariter (ut ſupponitur) ſemper vivant, & ſub aliqua correctione (attenta quammaxima diſtantia inter Reverendiſſimum Patrem, & ipſos) in actuali Viſitatione P. Provincialis Provinciæ, in qua ipſi degunt, ejus ſalutari correctioni ſubjacere debent. *Cap. gen.* 1686. & 1692.

69. Item iidem Procuratores pro Aulis Imperatoris, & Regum non poſſunt iſtud munus exercere, niſi prius ſecundum Conſtitutiones ſolitum Fidelitatis juramentum præſtiterint, & de eo conſtet per Actum a Reverendiſſimo Patre, & Secretario Ordinis ſubſcriptum. Illi autem declarantur eſſe, & fore de Familia Conventus, in quo ratione ſui Officii morabuntur, a quo ipſis, ſicut & cæteris de dicta Familia, ſuppeditabuntur omnia ad victum, & amictum neceſſaria. *Cap. gen.* 1680.

Ex-Procuratores Generales Ordinis habent vocem in Capitulis generalibus. Vide

## §. XI.

### *De Provinciali.*

70. Si quis Provincialis Profeſſum alterius Provinciæ ſine conſenſu expreſſo proprii Provincialis, aut licentia Reverendiſſimi P. Generalis, præſentaverit ad Ordines, eo ipſo abſque alia declaratione ſit ſuſpenſus a divinis, nec ullo modo illa exerceat, donec a P. Generali, audito prius Patre Provinciali Fratris ordinati, abſolutionem obtinuerit. *Cap. gen.* 1680.

71. Ex-Provinciales reales in ſuis reſpective Provinciis præcedant cæteros Magiſtros, qui in illa Provincia Provinciales non extiterint; & ſint Definitores perpetui cum voto conſultivo, & deciſivo; poſſintque ſibi aſſumere unum ex Converſis, ut ipſis inſervire habeat, abſque gravamine ſolvendi ipſis veſtiarium, quod potius a Conventu, in quo erunt de Familia, ſolvendum erit. *Cap. gen.* 1686.

72. Provinciales Titulares ultra ſexennium non durant; ut per Reſcriptum Clementis XI. declaratum fuit. *cap. gen.* 1704.

73. Ex-Provinciales Titulares non gaudeant imposterum Privilegiis Ex-Provincialium Realium. *Cap. gen.* 1704.

## §. XII.

### *De communi cuſtodia Bonorum, & bono Regimine Conventuum.*

74. Præcipitur in primis, ut juxta Conſtitutiones par. 2 cap. 11. n. 2., & ſub pœna depoſitionis ab Officio ibidem præſcripta ipſo facto incurrenda, & irremiſibiliter infligenda, ſingulis hebdomadibus computus dati, & accepti in illa hebdomada coram clavariis reddantur, a quibus niſi approbati, & ſubſcripti fuerint, nullius ſint valoris; generales autem coram tota Communitate ſingulis trimeſtribus reddantur; & ſi aliquod dubium acciderit circa approbanda, vel reprobanda, tam a Clavariis, quam a tota Communitate, ſtatim Superior Provincialis, vel Generalis moneatur, ut de opportuno remedio quantocius providere procuret, & interim nihil innovetur. *Cap. gen.* 1680.

75. Clavarii non permittant, aliquas expenſas computibus inſcribi, niſi ipſis conſtet, eas vere, & legitime factas fuiſſe: & curent omnes ſummas nomine Conventus receptas fideliter iiſdem computibus inſeri: ſi ſecus fecerint, erunt rei furti ſacrilegi, & ultra obligationem reſtituendi, eo ipſo incurrent excommunicationem latæ ſententiæ Reverendiſſimo Patri reſervatam, a qua

non

non poterunt abſolvi, niſi prius facta dicta reſtitutione. *Cap gen.* 1680.

76. Item ſtricte prohibetur, ne Priores, aut Vicarii, pro quacumque re expenſas faciant, ultra vires Conventus ſui; nec pro illis pecunias mutuo recipiant, aut recipi permittant, niſi pro urgenti neceſſitate, & habito prius conſenſu totius Communitatis ad ſonum campanæ capitulariter congregatæ, & inſtrumentum ſummæ mutuo acceptæ coram Notario ab omnibus Gremialibus ſubſcribatur: ſi ſecus factum fuerit, ſumma a Conventu non exolvetur, ſed ab eo, qui eam acceperit, qui inſuper officio ſuo privatus, & ad quodlibet aliud inhabilis manebit ad tres annos, a die qua ſummam reſtituerit computandos. *Cap. gen.* 1680.

77. Item mandatur in virtute ſanctæ Obedientiæ Provincialibus, Commiſſariis, & Viſitatoribus, ut quotieſcumque reperient exitum, ſeu expenſa excedere introitum, ſeu recepta, ſtatim ſummam excedentem declarent incorporatam Conventui, prout exnunc declaratur incorporata, niſi clare conſtet eam procedere, ex pecunia mutuo, modo, & forma, ut ſupra ordinatum eſt, accepta. *Cap. gen.* 1680.

78. Item Priores omnia videant, ſed nihil tangant, ac per ſeipſos neque immediate, neque mediate aliquid expendant, vel recipiant, ſed totum fiat per Officiales Conventus, ſub pœna privationis Officii ipſo facto incurrenda. *Cap. gen.* 1680.

79. Statuitur, ut nihil ex quocumque Archivio extrahatur, aut a quoquam extrahi permittatur, niſi omnes, ad quos ſpectat, per ſe, vel alios modo infraſcripto deputandos, ſint præſentes, & in libro ad hoc deſtinato, ac in Archivio ſemper includendo, exactè notentur inſtrumenta, litteræ, & quæcumque extrahentur, una cum nominibus illorum, quibus conſignabuntur, qui ſubſcribent ſe illa recepiſſe, diligenter ſervaturos, & quamprimum in Archivio repoſituros, quibus etiam invigilabunt illi, quibus cuſtodia Archivii eſt commiſſa: & ſi contingeret aliquem, ob abſentiam, vel infirmitatem non poſſe adeſſe, dum Archivium aperitur, clavim ſuam committet alteri probo, & fideli, qui vice illius adſit. *cap. gen.* 1680.

80. Prioribus Conventuum noſtrorum mandatur, ut res omnes, & geſta, quæ ad ſuum Conventum, Provinciam, vel Ordinem quomodocunque ſpectare poſſunt, & culpas publicas ſuorum ſubditorum ad Provincialem ſuum ſtatim perſcribant, & Provincialibus, ut illa indilate ſignificent Reverendiſs. Patri. *cap. gen.* 1680.

81. Aſſiſtentibus ſeu Sociis Provincialium injungitur, ut curent deſcribi in libro ſpeciali ad id deſtinato omnes Bullas, Conſtitutiones, & Decreta Pontificia, ac SS. Congregationum, Acta Capitulorum Generalium, necnon Ordinationes, & litteras PP. Generalium, concernentia Ordinem, vel Provincias, aut Conventus particulares, & ſingulis annis mittant ad P. Generalem ſpecificationem eorum, quæ ſcripta fuerint a P. Provinciali ſubſcriptam. *cap. gen.* 1680.

§. XIII.

## §. XIII.

### *De Apoſtatis, & vage diſcurrentibus.*

82. Vagi, & Apoſtatæ incarcerentur a Superioribus Conventuum, per quos tranſierint ſub pœna depoſitionis ab Officio, & expenſæ refundantur a Conventu, vel Provincia, quorum ſunt Filii; ſtatimque de omnibus P.Generalem, & Provincialem fugitivi moneant. *cap. gen.* 1660. *&* 1680.

## §. XIV.

### *De Appellationibus, & Recuſationibus.*

83. Statuitur, quod a pœnitentiis ſalutaribus, obedientiæ præceptis, amotione a ſtudio, aut ab uno Conventu ad alium, & ab impoſitione quarumcumque pœnarum per Conſtitutiones pro culpis infamiam non inferentibus præſcriptarum, nulli prorſus liceat appellare. *cap. gen.* 1680.

84. Nec etiam a privatione Officii, Vocis, & Loci in Conſtitutionibus, Decretis Capitulorum, vel Viſitationum, aut Ordinationibus Generalium, vel Provincialium comminatis; nec ab aliis pœnis, quæ in Capitulo, vel Viſitatione ſine proceſſu compilato juxta dictas Conſtitutiones, & antiquam Ordinis obſervantiam, imponi ſolent; dummodo tamen correctionis modus in Statutis, aut Decretis, vel Ordinationibus præſcriptus, graviter non excedatur. Et ſi forte contingeret in illis aliquo uſque exceſſum fuiſſe, Fratres noſtri pro communi bono, & ad avvertenda majora mala, id patienter ſuſtinebunt exemplo Chriſti, qui pro noſtra ſalute iniquorum Judicum judicio ſponte ſe ſubmiſit, pœnaſque ſibi impoſitas ſubivit. Si quis autem in ſupradictis obedire, vel pœnæ ſibi impoſitæ ſubjacere noluerit, ut contumax, & rebellis, pœna carceris, juxta Conſtitutiones, & caſus exigentiam indiſpenſabiliter puniatur. Poterit tamen in prædictis caſibus (executione non retardata) haberi recurſus ad Prælatum Superiorem, per modum ſupplicationis, ut is re mature penſata, & audito Superiore, ex toto, vel ex parte mitiget ſententiam. *Cap. gen.* 1680.

85. In quacumque autem re notabili infamiam inferente, appellare licebit, etiam quoad effectum ſuſpenſivum, dummodo gravamen ſit evidens, & certum; v. g. ſi correctio notabiliter excedat quantitatem, vel qualitatem pœnæ a jure, Conſtitutionibus, aut Decretis impoſitæ; vel ſi aliquod eorum, quæ eſſentiam judicii, juxta ſtylum in Religione ſervari ſolitum, pertinet, fuerit

rit omiſſum; ut ſi reus non fuerit auditus, nec citatus; ſi negatæ fuerint defenſiones de jure, vel conſuetudine competentes; vel ſaltem delictum non fuerit probatum; nam ob gravamen dubium, & probabile non permittitur Appellatio. *cap gen.* 1680.

86. Ut autem Judex *a quo* cognoſcat, an deferendum ſit Appellationi; illius cauſa neceſſario exprimenda eſt in inſtrumento appellationis; etiam quando appellatur ab interlocutoria vim definitivæ habente, vel quæ per definitivam reparari non poteſt. *cap. gen.* 1680.

87. Cauſa appellationis pendente, nihil innovetur; & appellans, ſi carceri incluſus ſit, in eodem permaneat, donec Superior *ad quem* appellatum eſt, viſis actis, & cauſa cognita, aliter decernat. *Cap. gen.* 1680.

88. Juxta S. Concilii præſcriptum cap.1. ſeſs.13. de Reformat. „ In cauſis viſitationis, & correctionis, ſive habilitatis, & inhabilitatis, necnon criminalibus ante definitivam ſententiam, ab „ interlocutoria, vel alio quocumque gravamine appellare non „ licet: Nec tenebitur Prælatus, *a quo* appellatur, ejuſmodi appellationi, tamquam frivolæ, deferre; ſed illa, & quacumque „ inhibitione per Judicem appellationis emanata, necnon omni „ ſtylo, & conſuetudine, etiam immemorabili contraria non „ obſtante, ad ulteriora valeat procedere, niſi gravamen hujuſmodi, per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit: *Nec juxta decretum fæl. me. Clementis VIII. conditum 16. Octob.* 1600. „ ante definitivam ſententiam, „ vel vim definitivæ habentem, de gravamine illato ſuperiores, „ *ad quos* appellatum eſt, cognoſcere poterunt, licet ſe id citra „ præjudicium curſus cauſæ facere conteſtentur; nec ad hunc effectum licebit eis inhibere, aut ſimpliciter mandare, ut ipſis „ copia proceſſus tranſmittatur. „ *Cap. gen.* 1680.

89. Quod ſi reus ante ſententiam definitivam appellaverit, & ſuperiores ſuos adiverit, ad eum, *a quo* appellavit, remittatur, ad judicium ejus definitivum expectandum, & interim pœna Apoſtatarum indiſpenſabiliter puniatur. *Cap. gen.* 1680.

90. Meminerint autem ſuperiores, ſe ſimul eſſe Judices, & Patres; & licet pœnas a Jure, Conſtitutionibus, vel Decretis ſtatutis (niſi aliqua circumſtantia id exigente) minuere non valeant, tamen cum manſuetudine rigorem, & cum lenitate ſeveritatem adhibeant, ac ita ſe gerant, ut quantum fieri poteſt, ſalva æquitate, occaſionem appellandi, & recurrendi non præbeant. *Cap. gen.* 1680.

91. Quando appellationi locus erit, ſervabitur ordo præſcriptus in variis Conſtitutionibus Apoſtolicis, Decretis S. Congregationis, & Statutis Ordinis; ſcilicet a Priore ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali ad S. Sedem, ejuſque S. Congrega-

gregationes; ſicuti de jure fieri debet, & antiquus uſus obtinuit. Quod etiam obſervandum decernimus pro ſimplici recurſu. *Cap. gen.* 1680. *&* 1704.

92. Ad excurſus, & ſumptus inutiles vitandos, atque litigia (quæ Religioſos dedecent) abbrevianda, appellans gravamina, ſeu cauſas appellationis, & alia, quæ proponere voluerit, in ſcriptis ordinate rediget, & Prælato, *a quo* appellavit, intra tres dies poſt appellationem conſignabit; alias appellatio eo ipſo deſerta manebit: & Prælatus intra tres alios dies, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ad tres menſes ipſo facto incurrenda, reſpondebit, & omnia tam ab appellante, quam ab appellato ſcripta, & exhibita, cum copia Actorum primæ inſtantiæ, coram iiſdem clauſa, & ſigillo Conventus munita, a Monitore, aut Secretario Conventus, vel, iis abſentibus, a primo Clavario quantocius mittentur ad Prælatum, ad quem appellatum erit, ut quod juſtum fuerit decernat *Cap. gen.* 1680.

93. Si Prælatus reperiat appellantem non probaſſe ſua gravamina, vel ea eſſe frivola, & non fundata, pœnam ei impoſitam duplicabit, & carceri ad menſem pro ſua contumacia, & rebellione damnabit; & poſtquam ea perſolverit, illum utraque voce privatum ad aliam Provinciam a P. Generali aſſignandam relegabit. *Cap. gen.* 1680.

94. Si reus ad Sedem Apoſtolicam, vel S. Congregationem appellaverit, Prælatus *a quo*, terminum a jure præfixum pro inſtituenda cauſa appellationis, abbreviare, &, attentis circumſtantiis perſonarum, diſtantiæ locorum, & temporis, alium determinare poterit, intra quem ſi introducta non fuerit, eo ipſo appellatio deſerta erit. Si autem eum frivole ad S. Sedem, vel S. Congregationem appellaſſe judicatum fuerit, aut appellationem deſeruerit, vel illi ante tres dies ab ea emiſſa non renuntiaverit, aut a recurſu facto non deſtiterit, pro temeritatis ſuæ caſtigatione, ultra pœnam in ſententia inflictam, carceri mancipetur ad duos menſes, & officio, gradibus, ac utraque voce privatus ad exteram Provinciam dimittatur. *Idem Cap. gen.*

95. Inſuper, ut obvietur litibus, quibus nonnullorum animi nimis addicti deprehenduntur, ſtatuimus, quod qui quamcunque litem adverſus quemcumque incœperit, ſi cauſa cadat, ultra pœnam talionis (ſi fuerit criminalis) aliam privationis officii, & vocis, ac loci ad ſex annos ſubeat: Qui vero authoritatem Priori Generali per Ordinis Conſtitutiones conceſſam impugnaverit, perturbaverit, illi non obediverit, vel ab aliqua ejus ſententia, decreto, præcepto, vel proviſione, aut diſpoſitione quocumque modo appellaverit, ſi a Judice, *ad quem* facta eſt appellatio, vel recurſus, contra impugnantem, appellantem, vel recurrentem, pronuntiatum decretum fuerit, is ipſo facto, & abſque alia declara-

claratione manebit perpetuo privatus officio, voce activa & paſſiva, gradu, & dignitate, & ultimum locum inter laicos tenebit. Si Clericus fuerit, ad Ordines non promovebitur, eique corona abradetur: & laicus utroque caputio privabitur, & in carcere, juxta temeritatis ſuæ exigentiam detinebitur. *Idem Cap. gen.*

96. Et quia in cauſis Eccleſiaſticis, ubi remedium appellationis adimitur, ſicuti appellationi, ita & recuſationi non eſt aliquatenus deferendum; declaramus, quod in cauſis ſupra recenſitis, in quibus prohibita eſt appellatio, etiam interdicta ſit recuſatio: verumtamen in cauſis gravibus infamiam inferentibus admittenda eſt, ſi ſuſpicionis ſubſit cauſa legitima, & manifeſta, quæ ex ſcriptis a recuſante proponetur, illique recuſatus intra unum, atque alterum diem ſcripto reſpondebit: & omnia utrinque exhibita, ac ſigillo Conventus clauſa, eodem modo, quo ſupra pro appellatione ſtatutum eſt, ad Superiorem immediatum mittatur; qui ſi recuſationem juſtam reperiet, alium Judicem in locum recuſati ſubrogabit; vel, ſi magis expediat, cauſam a ſeipſo cognoſcendam retinebit: ſi autem frivolam, recuſantem ad carcerem, ad unum menſem, vel ultra, juxta exigentiam injuriæ recuſato irrogatæ, condemnabit, & ad eum remittet, ut proceſſum inſtruat, vel jam incœptum perficiat. *Idem Cap. gen.*

97. Pendente cauſa, recuſans in eo ſtatu, quo ante, manebit: ſi tamen ſuſpectus eſſet de fuga, carceri per modum cuſtodiæ includi, vel in alio tuto loco reponi poterit. *Idem Cap. gen.*

98. Nullæ pœnarum contra appellantes ſupra conſtitutarum, remitti poterunt per P. Generalem. *Idem Cap. gen.*

99. Illi, qui per modum cuſtodiæ includuntur carceri, liberi ſunt a trino jejunio in pane, & aqua præſcripto in Conſtitutionibus; ad quod ſolum tenentur ii, qui per ſententiam ad carcerem ſunt damnati, niſi aliter, ob juſtam rationem ordinaverit Superior. *Idem Cap. gen.*

100. Ad accelerandam terminationem proceſſuum, qui alias ad annos protraherentur, & præpediendum, ne Fratrum noſtrorum culpæ, & crimina ſæcularibus innoteſcant, declaramus, quod, juxta Privilegia Regularibus a S. Sede conceſſa, in quibuslibet cauſis, omiſſis apicibus juris, ac rigoroſa tela judiciaria, ſummarie, de plano, ſimpliciter, ſine figura, & ſtrepitu Judicii, & ſola veritate rei inſpecta, ſit procedendum. *Idem Cap. gen.*

101. Etiam declaramus, quod ex antiquo uſu Ordinis noſtri, ſicut & fere omnium Tribunalium, etiam ſæcularium, Superior ſine præcedente publica infamia, ſeu diffamatione, vel clamoroſa inſinuatione, poteſt ex officio inquirere ſpecialiter de quolibet delicto, ex ſimplici denuntiatione, vel ex indiciis, vel ex confeſſione extrajudiciali, &, ſi delictum ſemiprobatum reperiat, reum interrogare, conſtituere, & ſententiare. *Idem Cap. gen.*

102. Proceſſus contra Fratres fabricati, aut eorum copiæ, a nemine, nec ab ipſis Superioribus, poſt expletum eorum officium retineri, vel lacerari, aut comburi poſſunt; ſed illi qui, per ſententiam executioni mandatam, terminati ſunt, in Archivio communi Provinciæ tempore Capituli Provincialis reponi, & cuſtodiri debent, ſub pœna privationis officii, & gradus iis, qui ſecus fecerint: Proceſſus tamen eorum, qui obierunt comburendi ſunt, ſi ſine præjudicio eorum, qui adhuc in vivis degunt, fieri poteſt. *Idem Cap. gen.*

## §. XV.

### *De Proprietariis.*

103. In Conventibus, in quibus non eſt introducta vita communis obſervetur depoſitum reale, itaut pecuniæ quomodolibet acquiſitæ ſtatim in arca trium clavium reponantur, ſub pœna, & culpa proprietariorum; & ſi in morte ab aliquo Religioſo obſervatum non fuiſſe, repertum fuerit, prout juris eſt cum ipſis, vel parte ipſarum in ſterquilinio ſepeliatur (ſi tamen hoc extraneis ſcandalum afferre non poſſit.) Admonentur autem ipſi Superiores, ne præfatas pecunias depoſitas in alios uſus expendant præter ipſius deponentis, ſub pœnis infligendis ad arbitrium Superioris viſitantis. *Cap. gen.* 1645.

104. Priores, & Vicarii non extrahant a capſa communi pecunias ad uſum Religioſorum depoſitas, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda. *Cap. gen.* 1692.

105. Nullus profeſſorum Ordinis noſtri (cujuſcumque conditionis ſit) poteſt diſponere de bonis, quæ ſibi ad incertum uſum permiſſa fuerint, & quidquid ſecus factum fuerit, irritum, & inane ipſo jure erit, non obſtantibus Conſtitutionibus Ordinis par. 1. cap. 22. n. 2. uti declaravit S. C. C. die 26. Martii 1678. *Cap. gen.* 1680.

## §. XVI.

### *De Monialibus.*

106. Inhibetur, ut Provinciales nullo prætextu, triennio tranſacto, confirment Confeſſarios Monialium noſtrarum ad aliud triennium. *Cap. gen.* 1692.

## §. XVII.

### *De Capitulo Generali, & qui poſſunt in eo intereſſe.*

107. Acta Capituli Generalis compleantur ante Feſtum SS. Trinitatis, ad hoc, ut poſſint confirmari a Definitoribus, & typis mandari, alias omnia ſint nulla præter electionem. *Cap. gen.* 1692.

108. Negotia Religionis in Capitulo G. una die proponantur, & altera reſolvantur per ſuffragia ſecreta. *Cap. gen.* 1692.

109. Qui laudabiliter in Ordine officio Procuratoris Generalis eſt functus habeat vocem activam, & paſſivam in Capitulo G. *Cap. gen.* 1648.

110. Definitoriatus Generalis ex gratia, utpote nec ordinariæ juriſdictioni, nec officio privilegiato innixus, præter jus ſuffragandi in Capitulo G. nihil aliud importat. *Cap. gen.* 1728.

111. In Definitorio Generali habent vocem Socii, ac Secretarii generales de novo electi, minime Ex-ſocii generales. *Cap. gen.* 1744.

112. Ex Generales poſſunt conſtituere Procuratorem in Capitulo G., ei vices ſuas ſubdelegando. *Cap gen.* 1716.

113. Provinciales poſſunt mittere Procuratores ad Cap. G. ſi probatur cauſa impedimenti ad accedendum. Socii vero nullo modo poſſunt, quocumque modo ſint electi, vel inſtituti. *Cap. gen.* 1686.

114. Procuratores conſtituti in albo non ſunt admittendi, ſed illi ſolum Procuratores admittendi ſunt, qui ſunt conſtituti ſervata forma Capituli G. anni 1686. videlicet, dummodo conſtituentium infirmitas a Definitoribus, & Medicis atteſtata ſit, & aliud quodcumque impedimentum. *Cap. gen.* 1710.

115. Declaratum fuit, admittenda eſſe mandata Procuræ, etſi in illis deficiat teſtimonium Definitorum de impedimento Provincialium, quando impedimenta ſunt omnibus nota. Item de mandato, & oraculo Benedicti XIV. admittenda etiam eſſe mandata Procuræ pro caſu infirmitatis cum ſola atteſtatione Medicorum, etſi ſine atteſtatione Definitorum, non obſtante Decreto Capituli G. de anno 1686. & 1710. *Cap. gen.* 1744.

116. Decernitur impoſterum nullatenus admittendas eſſe in Capitulis G. Procurationes, quas forte Provinciales, aliique forent conceſſuri Religioſis alterius Provinciæ, quam ſuæ, ſub pœna privationis ipſo facto vocis activæ talibus Procuratoribus in iiſdem Capitulis G. *Cap. gen.* 1756.

117. Procurator Definitoris generalis electi a Provincia admitti tantum poteſt ad ſuffragandum in Definitorio G. in Sociorum abſentia, ſive Provincialis non Definitoris, & alterius Socii, etiamſi

etiamſi nulla habuerint vota in ea electione ; ex ipſis vero præferendus eſt, qui plura vota habuit; vel ſi ambo nulla, vel paria habuerint, Provincialis Socio, & primus Socius ſecundo præferri debet. *Cap. gen.* 1728. & 1738.

118. Statuitur impoſterum quarto anno Priores Provinciales gaudere, qui interfuerint perſonaliter ad dandum ſuffragium in Capitulo G., ſecus vero de illis, qui perſonaliter non ſuffragarunt. Id pariter de Provincialibus titularibus ſancitum eſt, & de Prioribus. *Cap. gen.* 1722.

119. Electiones Provincialium non liceat impoſterum in Comitiis Generalibus anticipare. *Cap. gen.* 1698.

120. Bullæ Pontificiæ, quæ pro Religione noviter obtinentur, ſicut & pariter Decreta Capituli G. tranſmittantur ad Provincias Ultramontanas, ut & iiſdem notum ſit, quid in dictis Bullis, & Decretis continetur, alias non ſubjiciantur dictorum Decretorum obſervantiæ. *Cap. gen.* 1698.

## §. XVIII.

### *De electionibus in communi.*

121. Electiones Prælatorum fiant per ſcrutinium, & vota ſecreta cum tribus ſcrutatoribus, ut dicitur in cap. *quia propter*. Licet in Conſtitutionibus Ordinis aliter ſtatui videatur. *cap. gen.* 1645.

122. Electio Priorum numquam impoſterum fiat per Capitulum Conventuale, alias ipſo facto ſit irrita, & nulla, quacumque anteriori Conſtitutione, vel Decreto non obſtante, ſed quocumque modo vacante Prioratu ſtatim per primam vocem Conventus certioretur Provincialis, qui juxta Conſtitutiones Ordinis par. 4. cap. 22. n. 1. providebit de Vicario uſque ad Congregationem intermediam, in qua ad Definitorium Provinciæ ſpectabit vel inſtitutum a Provinciali confirmare, vel alium pro libito eligere uſque ad Capitulum Provinciale. *cap. gen.* 1680.

123. Omnes electiones conformiter præſcripto Concilii Tridentini, & Conſtitutionum faciendæ ſunt per vota ſecreta, ita quod nec nomina eligentium manifeſtentur, nec eorum chirographa agnoſcantur, & ut id exacte ſervetur, ante quaſcumque electiones pro ſingulis electoribus parabuntur ſchedulæ in charta ejuſdem formæ, & magnitudinis, in quibus ab una parte eodem charactere ſcripta ſit forma juramenti a ſingulis ſingillatim præſtandi, & ab alia parte hæc verba: *Eligo in Priorem, vel in Provincialem, vel in Definitorem &c.* in quibus præter nomen, & cognomen perſonæ, quam eligit, nemo eligentium quodcumque aliud verbum, notam, characterem aut ſignum addat, inſcribat, aut appo-

apponat, unde nomen, & perſona eligentis poſſit cognoſci; alias hujuſmodi ſchedulæ, ſeu ſuffragia tamquam nulla, & invalida rejiciantur, & ſi cum cæteris computentur, eo ipſo electio ſit irrita. *Cap. gen.* 1680.

124. In omnibus electionibus Prælatorum faciendis in Capitulis Provincialibus, & Conventualibus, vel Congregationibus annuis Definitorum, tres, & non plures ſcrutatores eligantur a Præſide Capituli Provincialis de conſenſu Provincialis, & Definitorum, & in Conventuali, trium primas voces habentium, qui præſtito prius ſolito juramento, ſingulorum eligentium vota complicata in urna recipiant; quorum unus illa extrahet, numerabit, & evolvet, eaque viſa, & aliis duobus oſtenſa leget, & publicabit; quæ ſchedulæ dum legentur, a Secretario, & tribus ſaltem gremialibus per Præſidentem deſignandis adnotabuntur, ſtatim publicabuntur, & fiet collatio numeri illorum ad numerum, ut videatur in quem major pars conſenſerit, &, ſi poſt trinam interrogationem Præſidis de validitate electionis, nulla fiat oppoſitio, ipſe interponet Decretum electionis, ſeu electionem faciet nomine omnium Gremialium forma præſcripta in Conſtitutionibus, in quo Decreto electio eſſentialiter conſiſtit, & ſine quo nullum jus acquiritur electo, nec ipſe confirmari poterit; quia ſuffragia eligentium ſunt tantum quoddam electionis præparatorium ad cognoſcendum in quem Gremiales conſenſerint, illaque electio communis a Præſide facienda eſt ſtatim a publicatione ſuffragiorum, illorumque collatione, & antequam Electores ad actum externum divertantur, alias, aliquo ſupradictorum deficiente, electio erit nulla, & invalida. Quæ omnia, niſi ſuo ordine deſcripta ſint in Actis Capitulorum, ſeu in inſtrumento cujuslibet electionis, electio non confirmabitur, & jus alium, vel alios inſtituendi, eo ipſo devolutum erit ad P. Generalem. *Cap. gen.* 1680.

125. Acta Capitulorum Provincialium, quæ ad P. Generalem confirmanda mittuntur, juxta antiquum uſum Ordinis, & formulam celebrandi Capitulum Provinciale a Reverendiſſimo Patre Generali Stratio (*quæ habetur in ſumma noſtri Lezanæ tom.2. cap.12. n.55.*), ſubſcribantur a Præſide, Provinciali recens electo, & abſoluto, ac a Definitoribus, ſub eadem pœna, qua in articulo præcedenti: illa autem, & quæ in eis continentur, etiam electiones Priorum, quæ fiunt a Definitorio, nullam habent juris ſubſiſtentiam ante confirmationem Generalis, quæ (ceſſante legitimo impedimento) impetrari debet intra tempus præſcriptum a Conſtitutionibus. *Idem Cap. gen.*

126. Omnia Acta Capitulorum, Congregationum, & cætera quæ mittenda ſunt ad P. Generalem, & alia quælibet Acta, quæ exhiberi debent Viſitatoribus, ſcribantur latino idiomate, alias ad illa non attendetur. *Idem Cap. gen.*

127. Acta

127. Acta Congregationis annuæ Definitorum, & intermediæ mittenda ſunt ad P. Generalem, ut confirmentur, ſicut & Acta Capitulorum Provincialium; ante quam confirmationem nullius erunt roboris, & momenti. *Idem Cap. gen.*

128. In caſu, quo in aliquo Conventu ex quinque Vocalibus ſint Prior, & duo Magiſtri, votum unius Vocalis ſufficit ad Socium pro Capitulo Provinciali eligendum. *Cap. gen.* 1654.

129. Clerici non habeant vocem paſſivam in electione Socii Prioris pro Capitulo Provinciali, ſed tantum activam. *Cap. gen.* 1692.

130. Quando novus Conventus ſemel acceptatus fuit in Capitulo Provinciali, vel Congregatione, is, qui ei titulo Vicarii præficitur (ſi in illo degat Religioſorum numerus a Conſtitutionibus præſcriptus) debet habere vocem, & locum in Capitulo Provinciali; nec ad id ulla declaratio, ſeu Capituli Provincialis, ſeu Definitorii requiritur. *Cap. gen.* 1680.

131. Ex ſenſu Conſtitutionum, electio Definitoris, qui triginta annos non complevit, nulla eſt, & invalida; ſimiliter electio Definitoris in Socium ad Capitulum Generale. Qui Socius, etiamſi habuerit plura vota poſt quartum Definitorem, non poteſt ſubintrare locum alicujus Definitorum per mortem, aut amotionem deficientis. *Cap. gen.* 1680.

132. Provincialis in Capitulo, in quo eſt abſolvendus ab officio nulla ratione eligi poteſt in Definitorem. *Cap. gen.* 1680.

133. Commiſſarius, qui juxta præſcriptum Conſtitutionum ſupplet vices ejus, qui a Generali, vel Provinciali mittendus erat ad præſidendum Capitulo alicujus Provinciæ, vel Conventus poteſt eligi in Provincialem, vel Priorem; non autem alius ab iiſdem Generali, vel Provinciali deputatus. *Cap. gen.* 1680.

134. Ad tollenda inconvenientia, quæ poſſunt occurrere in Capitulis Provincialibus Provinciarum non Reformatarum, ſancitum eſt, quod Præſidentes, ſicuti quando ſunt miſſi a P. Generali juxta Conſtitutiones non poſſunt eligi in Provinciales, ſic pariter neque in Socios Capituli Generalis. *Cap. gen.* 1680.

135. Socius Provincialis non poteſt eligi in Socium pro Capitulo Generali. *Cap. gen.* 1686.

136. Cum in Conſtitutionibus *par.*4. *cap.*15. *n.*2. dicitur: Nullus poteſt eligi in Provincialem, *niſi ſit ſaltem habilis ad docendum.* Declaratur, quod per hæc verba non denotantur ſimplices Concionatores, ſed ii, qui poſſunt alios docere, ſaltem in Theologia Morali. *Cap. gen.* 1645.

137. Socii ſemel electi pro Capitulo Generali poſſunt iterum eligi, ſi Capitulum Generale celebratum non fuerit, & ad illud non acceſſerint. *Cap. gen.* 1654.

138. Qui per ſexennium ſtudiis non vacaverit aſſumi nequeat ad Definitoriatum, & ad Prioratum. *Cap. gen.* 1744.

139. Nullus poſſit eligi, vel inſtitui in Priorem alicujus Conventus, niſi ſit examinatus, & approbatus ab Ordine, & ab aliquo Ordinario ad confeſſiones ſæcularium audiendas. *Cap. gen.* 1660. *&* 1704.

140. Priores Conventuum non Reformatorum non poterunt deinceps confirmari ultra triennium, niſi prius probaverint vere, & realiter ſubſiſtere unam ex cauſis recenſitis in Conſtitutionibus *par.*4. *cap.*19. *n.*5. & illa probata fuerit a P. Generali, & ſuis Sociis. *Cap. gen.* 1686.

141. Cum celebrandum venerit Capitulum Provinciale in Provinciis longinquis Italiæ eodem anno cum Capitulo Generali, differri debet ad alium annum; & ſic etiam Priores; cum hoc tamen, quod in Capitulo Generali non poſſint Provinciales denuo confirmari. *Cap. gen.* 1692. Quod intelligitur etiam de Vicariis Prioribus, ut declaratum eſt in *Cap. gen.* 1750.

142. Ubi Capitulum Provinciale celebratur Dominica III. poſt Paſcha, deinceps Gremiales accedant ad locum dicti Capituli feria III. immediate ante dictam Dominicam, & poſt Veſperas legetur commiſſio Præſidis, ſtatimque incipientur Actus Capitulares & expedientur negotia, quæ ſolebant fieri poſt electionem Provincialis. *Cap. gen.* 1680.

143. Illi, qui ſe attingunt in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis poſſunt in eodem Conventu manentes habere Officia concernentia regimen temporale ejuſdem, necnon in Capitulo Provinciali eligi in Definitores. *cap. gen.* 1686. Quod intelligatur in illis tantum Conventibus, ubi ſunt ſaltem triginta Fratres, non vero in Conventibus inferioribus. *cap. gen.* 1692.

## §. XIX.

### *De modo recipiendi ad noſtri Ordinis Beneficia.*

144. Nulla impoſterum concedatur licentia ſacrum Scapulare benedicendi ſub pœna nullitatis, niſi limitata ad duos annos, & niſi regiſtretur a Provincialibus. Dicta autem licentia non poſſint uti extranei præſente aliquo Sacerdote noſtri Ordinis, qui eandem auctoritatem habeat. *cap. gen.* 1680.

145. Non intendit noſter Ordo, ut Litteræ Affiliationis, quæ extra Religionem tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus conceduntur, ulla ratione proſint iis, qui revera non ſunt illius Benefactores in rebus maximi momenti, & Privilegiis per dictas Litteras conceſſis æquivalentibus. *cap. gen.* 1680.

## §. XX.

### *De delictis, & pœnis.*

146. Omnibus noſtri Ordinis Alumnis in virtute Spiritus Sancti interdicimus, nullas litteras, vel alia ſcripta anonyma ſub quocumque titulo, vel prætextu etiam libelli ſupplicis continentia injurias, convicia, vel quocumque modo famam, & honorem cujuſcumque domeſtici, aut extranei lædentia, componat, ſcribat, typis mandari curet, vel ab aliis compoſita, ſcripta, aut typis mandata retineat, quocumque modo manifeſtet, publicet, aut ad quemcumque tranſmittat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, privationis graduum, officii, utriuſque vocis, ac inhabilitatis, & infamiæ perpetuæ, necnon carceris ad annum, vel ulterius, juxta exigentiam delicti, ipſo facto incurrendis. *cap. gen* 1680.

147. Omnibus cujuſcumque gradus, aut ſuperioritatis ſint, prohibetur detinere in cella arma prohibita (etiam prætextu venationis, quæ per ſacros Canones Clericis, & potiori jure Religioſis interdicta eſt) ſub pœna Sacerdotibus privationis vocis, & loci in perpetuum, & carceris ad annum; Clericis inhabilitatis perpetuæ ad Ordines, & carceris ad triennium; Converſis vero triremium ad tres annos. Illis autem, qui aliqua illorum geſtaſſe probabitur pœna afflictiva duplicabitur. Si autem in quibuſdam Conventibus ad propriam defenſionem contra latrones, & malevolos, neceſſaria ſint, licebit illa detinere in aliquo cubiculo clauſo, cujus clavis manebit penes Priorem, ſi tamen Provincialis id ſcripto permiſerit; Nec Religioſis tradentur, niſi in caſu prædictæ neceſſitatis. *cap. gen.* 1680.

148. Quando in noſtris Conſtitutionibus pro aliquo delicto non eſt pœna ſtatuta, recurrendum eſt ad pœnas per ſacros Canones præſcriptas; & iis deficientibus, deſumendæ ſunt a legibus, ad ſtatum Regularem, & Conſtitutionum noſtrarum normam moderandis; quæ ſi etiam deſint, Superior poterit imponere pœnas in aliis Religionibus uſitatas, vel alias, juxta qualitatem criminis pro ſuo arbitrio ſtatuendas. *cap. gen.* 1680.

149. Quando in tranſgreſſorem alicujus Conſtitutionis, vel Decreti ſtatuta eſt pœna privationis vocis, pro Converſis infligenda eſt privatio caputii. *cap. gen.* 1680.

150. Quia in Conſtitutionibus, & Decretis Capitulorum, ſive Generalium, ſive Provincialium, necnon Priorum Generalium, & Provincialium, ſæpe tranſgreſſoribus infligitur pœna privationis vocis, & loci, vel officii, vel ſuſpenſionis gradus, vel dignitatis, vel inhabilitatis; & in iiſdem Conſtitutionibus Ordinis *par.* 5. *cap.* 7. *n.* 9.

*n.*9. & Reformationis *par* 4. *cap.*16. cavetur, quod ſi ejuſmodi pœna ſtatuatur *ipſo facto* incurrenda: *is intelligitur privatus, depoſitus, ſuſpenſus, & inhabilis, ſi in capitulo, vel Viſitatione fuit convictus, vel confeſſus coram ſuo Superiore* = & quidem *abſque alia ſententia*; nihil autem exprimunt de pœnis ſimpliciter incurrendis, ſeu quibus non additur *ipſo facto*: & etiam a nonnullis dubitatum eſt, quando quis cenſendus ſit legitime convictus: Ad occurrendum hujuſmodi dubiis, declaratum eſt, quod ſecundum ſenſum Conſtitutionum, & uſum Ordinis pro modo infligendi pœnas, quæ ipſo facto non incurruntur, ſufficit, quod traſgreſſor ſit in Capitulo, & Viſitatione convictus, vel confeſſus coram ſuo Superiore, ſed Superior debet tunc verbo, vel ſcripto proferre ſententiam privationis, depoſitionis &c. Ad id tamen Superior non tenetur, quando appoſita ſunt verba *ipſo facto*, quia tunc abſque alia ſententia manet privatus, depoſitus &c.

In utroque autem caſu tranſgreſſor legitime convictus manebit, quando Superior habita congrua probatione culpæ ad convictionem ſuper dictam culpam, in Capitulo, vel tempore Viſitationis extra Capitulum coram Superiore Locali, & duobus Diſcretis Conventus, illum verbaliter interrogaverit, & reſponſiones illius ad evacuandam culpam inſufficientes repererit; vel, ſi ſufficientes fuerint, illico tranſgreſſor teſtes ad illas probandas non nominaverit; tunc enim convictus cenſebitur. Si vero eos nominaverit, Superior tenebitur illos verbaliter interrogare, & poſtea perpenſis illorum teſtimoniis, declarare an ſit convictus, an non. Quæ omnia per Aſſiſtentem Provincialis, vel Secretarium Conventus (qui juxta uſum Ordinis ſunt Actuarii, ſeu Notarii nati pro ejuſmodi cauſis, & criminalibus) deſcribentur in libro Conventus, vel Provinciæ, juxta formulam infra ponendam, iiſque ſubſcribent Provincialis, vel Prior, & duo Diſcreti, aut alii, qui iſtis præſentes fuerint, cum Actuario; & ejuſmodi Acto plena fides adhibenda eſt. In cauſis tamen gravibus, quæ infamiam juris adnexam habent, ſcripto procedendum erit, & ſervanda erunt ſubſtantialia judicii, ſcilicet citatio, probationes, & definitiones; ſed de plano, ſine figura judicii, ſolaque rei veritate inſpecta, ut dictum eſt alibi.

*Formula Acti faciendi pro depoſitione ab Officio, privatione vocis &c.*

151. Cum in ſcrutinio Viſitationis hujus Conventus noſtri N. inchoatæ die &c. menſis &c. anni &c. ex variis depoſitionibus conſtitiſſet P. N. Priorem indebitaſſe Conventum ſine inevitabili neceſſitate, & licentia &c. *vel* F. N. Sacriſtam prætioſiora ornamenta comodaſſe ſine licentia; P. Provincialis illum verbaliter interrogavit in Capitulo: & quia rationes per eum adductæ pro ſua excuſatione indicatæ ſunt inſufficientes; *vel*, quia nullos nomina-

minavit teſtes, qui aſſererent, ea, quæ pro ſua expurgatione allegavit; *vel*, quia teſtes ab eo nominati non aſſeruerunt, quæ reus allegavit, declaratus eſt convictus, & manſit privatus officio ſuo. *Si vero pœna depoſitionis, &c. non ſit impoſita ipſo facto, ſcribetur*: Declaratus eſt convictus, & ab officio ſuo depoſitus fuit per Provincialem; *vel*, privatus eſt voce &c. *Cap. gen.* 1680.

# ADDITAMENTUM

## *De incorrigibilibus, & modo eos expellendi.*

152. Si aliquando nonnulli, rejecta omni regulari diſciplina, tanto eſſent dedecori, & detrimento Religioni noſtræ, ut tamquam incorrigibiles ab Ordine expelli deberent, ſervanda omnino ſunt Decreta S. Congregationis Concilii ſub Urbano VIII. edita, & alia ſub Innocentio XII. quæ videri poſſunt in noſtro Bullario tom.2. pag.409., & 660.

Ut autem aliquam rationem procedendi canonice contra incorrigibiles præſcribamus, ea propter caſus ad incorrigibilitatem ſpectantes enumerabimus; deinde procedendi modum aſſignabimus. Caſus igitur hi ſunt: videlicet, dimiſſio habitus animo apoſtatandi, vagatio extra Conventum per menſem ſine obedientia, & retento habitu, percuſſio gravis, furtum in re gravi, lapſus carnis cum quacumque tertia perſona, rebellio contra Superioris mandatum, falſificatio litterarum, ſeu ſigillorum Superiorum, falſa accuſatio, ſeu teſtimonium falſum, recurſus ad Tribunalia incompetentia, conſpiratio contra quemcumque Superiorem, ſcribentes libellos famoſos, ſeu litteras infamatorias, luſores ludis prohibitis, ingredientes Monaſteria Monialium, introducentes mulieres ad malum finem intra ſepta Monaſterii, venefici, percutientes Superiores, & alia ſimilia flagitia, enormiaque delicta pluries repetita, ut dicitur in noſtris Conſtitutionibus Reformatis *par.4. cap.19.* ab Urbano VIII. confirmatis. Ita quod ſi Religioſus criminoſus retineatur in Provincia, alii Fratres ejus exemplo poſſint infici, & extranei de tali retentione ſcandalizari.

Si quis ergo in prædictis caſibus deliquerit, conficiendus erit legitime proceſſus ſecundum ritum, & ſtylum ſervari ſolitum inter Regulares, & per ſententiam puniendus reus: quod ſi ſecunda vice in idem, vel aliud grave, & enorme delictum inciderit, facto denuo proceſſu, per ſententiam puniendus eſt, & monendus, ut ab hujuſmodi exceſſibus impoſterum caveat, ſub pœnis incorrigibilibus propoſitis: ſi tertio demum peccaverit (ut præfertur) proceſſu formato, & ſententia lata ad pœnas debitas condemnabitur, & præſertim ad carceres ſex menſium; quibus elapſis, ſi non reſipuerit, ſed animo indurato perſeveraverit in

ma-

malo, vel in carcere ipſo vera emendationis ſigna non exhibuerit, ne tamquam morbida pecus totum corrumpat ovile, ejicietur, vel a P. Generali (ſi ab ipſo expellendus erit) de conſenſu, & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus Religioſis in Capitulo Generali electis; vel a Provinciali (ſi ab ipſo factum eſt judicium) de conſilio, & conſenſu ſex graviorum Patrum in Capitulo Provinciali electorum, accedente approbatione P. Generalis, & ſervatis ſervandis juxta Decreta S. C. C. ſuperius citata.

Declaramus, quod condemnatus ad carcerem, per ſex menſes cogendus eſt ad jejunium in pane, & aqua feriis II. IV. & VI. juxta diſpoſitionem Conſtitutionum Ordinis *par.5. cap.6. n.5.*

Sententia expulſionis a Superiore notificanda eſt Ordinario loci, cujus juriſdictioni, & obedientiæ ejectus ſubjectus erit. Formula autem, ſecundum quam eſt Ordinario ſignificanda, datur per extenſum a Peyrino Formul. Prælat. lit. E. cap.39. & a Matthæucci Official. Cur. Eccleſ. cap.25. n.30. ubi habetur etiam Formula litterarum teſtimonialium ejectionis, quæ a Superiore tradi poſſunt ejecto, ſi ab ipſo requirantur, quo in cap. plura pariter habentur pro hac materia.

*F I N I S.*

# INDEX PARAGRAPHORUM


| | | |
|---|---|---|
| §. I. | *De Receptione Locorum.* | Pag. I |
| II. | *De Officio Divino.* | ibid. |
| III. | *De Jejunio.* | II |
| IV. | *De Honeſtate extra Monaſterium ſervanda.* | III |
| V. | *De Receptione Novitiorum.* | ibid. |
| VI. | *De Laicis.* | IV |
| VII. | *De Studiis, Studentibus, & Lectoribus.* | V |
| VIII. | *De Prærogativis Graduatorum.* | VII |
| IX. | *De Priore Generali.* | IX |
| X. | *De Procuratore Generali.* | XI |
| XI. | *De Provinciali.* | XII |
| XII. | *De communi cuſtodia Bonorum, & bono Regimine Conventuum.* | ibid. |
| XIII. | *De Apoſtatis, & vage diſcurrentibus.* | XIV |
| XIV. | *De Appellationibus, & Recuſationibus.* | ibid. |
| XV. | *De Proprietariis.* | XVIII |
| XVI. | *De Monialibus.* | ibid. |
| XVII. | *De Capitulo Generali, & qui poſſunt in eo intereſſe.* | XIX |
| XVIII. | *De electionibus in communi.* | XX |
| XIX. | *De modo reoipiendi ad noſtri Ordinis Beneficia.* | XXIII |
| XX. | *De delictis, & pœnis.* | XXIV |
| | *De incorrigibilibus, & modo eos expellendi.* | XXVI |


| ERRATA. | | | CORRIGE. |
|---|---|---|---|
| *Num.* 57. | *lin.* 3. promiſſiones | | proviſiones. |
| *Num.* 62. | *lin.* 13. vota | | verba in una. |
| *Num.* 69. | *in fine poſt* vide, *adde* | | n. 109. |
| *Num.* 125. | *lin.* 4. *poſt* G. Stratio, *adde* | | præſcriptam. |
| *Num.* 134. | *in fine* 1680. | | 1710. |

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Optio cellularum in tota Religione conferri debet juxta Professionis, aut gradus antiquitatem. Cap. Gen. an. 1731. Vid. §. 1. de receptione locorum num. 2